SACRA BEATAE MARIAE VIRGINIS EX EVANGELIO AD LITERAM EPITHETA: SANCTORUM...

Miguel : de Ulate

Digitized by Google

32
6 F
28

§ 15

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

SACRA BEATÆ MARIÆ VIRGINIS
EX EVANGELIO AD LITERAM EPITHETA:

SANCTORVM PATRVM AC Interpretum doctrina accuratè explanata:

HVMANIORIBVS QVOQVE literis, & moralibus conceptibus vſui concionatorum interdum exculta:

TANDEMQVE NON PAVCIS DVBIIS excitatis, & ſolutis, quaſi floſculis, virentia;

EXPLANATORE MAGISTRO
Fr. Michaele de Vlate, Matritenſi, Regalis ac Militaris Ordinis Beatæ Mariæ de Mercede, Redemptionis Captivorum, Minimo Filio.

AB EO,
EIDEM BEATÆ VIRGINI Mariæ, cuius ſunt propria, ſuppliciter dicata.

MATRITI: Ex Typographia Hieronimi de Eſtrada.
Anno M.DCC.VII.

[illegible]

Digitized by Google

BEATÆ VIRGINI MARIÆ,
Gratia plena, Benedictæ inter mulieres; Digniſsimæ Dei Matri, Hominum, & Angelorum Reginæ Potentiſsimæ.

COGITABAM Quid Tibi ſupplex offer-
rem, Intacta Dei Genitrix, & mea Piiſ-
ſima Mater, vt quamuis indignum, me
tamen, quoquo pacto poſſem, filium
demonſtrarem. Verùm eâ ſum ingenij
paupertate ac tenuitate, vt non huius
generis duo minuta, ſicut ex metallico
paupercula illa in Gazophilacium miſit, Marc.c.12.
ego in laudum Tuarum theſaurum mittere valeam. Sed mihi
id equidem cogitanti, & ardentèr Te laudare deſideranti,
commodùm in mentem venit villicus ille, qui in Evangelio Luc.c.16.
prudentèr feciſſe laudatur: quippè fraudulentèr imminutis do-
mini ſui divitijs, ſibi tamen non malè induſtrius, & vtilis, ſeſe
recipiendi in illius domos, artem excogitavit. Huius ego, ſine
noxâ tamen, quaſi induſtriam æmulatus, quando alitèr, ò Pia
Mater, non ſum ſolvendo, vt Tuæ laudationi me aptarem:
Tuas inclytas laudes, mirabiles Titulos, atque Cœli divitias,
quarum opulentiſsima es, paucas numero, ſurripui. Feci ergo
quod ſolent filij, bona matris clanculùm furari: tamen pium
furtum commiſi, nec ditior factus, furtum retineo; ſed Do-
minæ meæ reſtituo, addito aliquali in laudibus Tibi reſtituen-
dis labore ac ſtudio: ne ſine aliquâ gratiâ, & decòre, ſiquem
meum illis impolitum ingenium addere poteſt, illæ ad Te, Pia
Mater reſtitûtæ redîrent. Itaque cum viderem exaratas ſacro
Evangeliſtarum calamo Tuas cœleſtes laudes, illas, provt à
Spiritu Sancto ſine Allegoriæ involucro fuère revelatæ, in Te
laudandâ expendere, offerre, dicare, ſacrareque Tibi inve-
recundus laudator auſus ſum. Profectò nil ego de inopi meo
penu Tibi dono, ſed quæ tua ſunt, Tibi reddo. Nec quidem
huiuſmodi ſolvendi ars à iuſtitiâ deficit: etenim Deo, & Cæ-
ſari, reddentes quæ illorum ſunt, tributum ſolvimus. Do-
cuit id Divinus Legislator, Chriſtus Dominus: Reddite, in-

quit, quæ ſunt Cæſaris Cæſari, & quæ ſunt Dei Deo. Tributum ergo laudis, Pia Mater, hac arte, Tibi ſolvere decrevi. Ob hoc equidem Explanatoris munus aſſumpſi: id cogitans, immenſas laudes, quæ in paucis Titulis, & Epithetis Tuis latent, piâ eruditione à Sacris Patribus, & Doctoribus manifeſtatas, & luci expoſitas, referre commemorareque. In quo quidem munere multum ab eis fœneratus ſum, videlicet facũdo diſſertiſsimoque (quod ego meo non poteram) Te omnium illorum ore laudare. Nec id mihi ſatis, amplius meus erga Te peroptat amor. Memini rem prorſus indignam, & exſecrandam me legiſſe: id certè, quod Euripides Poeta Tragicus, & in impio affectu tragicus, dicere auſus eſt: Quidquid dictum ſcriptumve, probroſum, contumelioſum, maledicentiæque plenum, adverſum fæminas fuerit: à me dictum ſcriptumque eſſe volo. Tanta fuit hominis tragici inſania, vt, ſi non linguâ, & calamo, improbo tamen affectu, & cæcâ voluntate, omnes diras omniaque maledicta in fæmineum genus effuderit. Hinc ego, ex adverſo, ò Virgo Excelſiſsima, fæminarum omnium decus, & gloria, pulcherrimumque ornamentum, quaſcumque benedictiones, laudes, & præconia à Divino Spiritu nobis de Te revelata, ab Angelis cantata; à Sacris Evangeliſtis ſcripta, ab hominibus inventa, Tibique meritò, & vt par eſt, attributa; à me filiali affectu rata, dicta ſcriptaque eſſe volo: vt ſaltem meus in Tuis laudibus ſpiritus exuberet: & Te, quam Beatam dicent omnes generationes, ego cum illis eodem carmine indeſinentèr cantem, & celebrem. Nunc vero reliquum eſt, vt in hoc tenui labore, quem Tibi offero, aliquid ad Tuam gloriam profecerim: quod ſi, vt timeo, non ſum aſſecutus, devota voluntas non defuit. Hanc, quâ Tibi ſervire volui, ſereno vultu accipe, & inſipientis filij erratis parce, benigna Mater: meque ipſum cum levi munuſculo ad roſeos Tuæ Maieſtatis provolutum pedes protegere dignare. Hoc ſupplex rogo:

Matth. 22.

Accipe, ſume manu, nec iam munuſcula dicam:
Eſſe Tuæ facient grandia quippe manus.
Accipe, ſume manu, interea vt reverentèr adorem,
Et figam plantis oſcula grata Tuis.

Humillimus ſervus, & Filius,
Fr. Michael de Vlate.

LI

LICENTIA ORDINIS.

FR. Ioſeph Montes de Porres, in Sacra Theologia Magiſter, Dei, & Apoſtolicæ Sedis gratia, totius Regalis Ordinis Beatæ Mariæ de Mercede, Redemptionis Captivorum, humilis Magiſter Generalis, Dominus Baroniarum de Algar & Scales in regno Valentiæ, & Hiſpaniæ Primas, &c. Tenore præſentium, & auctoritate noſtri Officij, Licentiam impartimur R. P. Fr. Michaeli de Vlate, in Sacra Theologia Magiſtro, vt obtentis prius Licentijs neceſſarijs in lucem edat, *SACRA BEATÆ VIRGINIS MARIÆ EX EVANGELIO AD LITERAM EPITHETA*. Cum certi ſufficienter ſimus, de Viro, probatæ auctoritatis, & ſcientiæ noſtræ Religionis, nihil diſſonum, & oppoſitum optimis moribus continere: In cujus rei teſtimonium præſentes Literas dari iuſsimus, manu propria ſubſcriptas, Sigillo Minori noſtri Officij communitas, & à noſtro Secretario referendatas: In hoc noſtro Conventu Matritenſi die tertia Menſis Ianuarij, Anno Domini milleſimo ſeptingenteſimo ſeptimo. Et à Deſcenſione Sacræ Deiparæ, noſtræque Religionis Revelatione, & Fundatione 489.

Fr. Ioſeph Montes de Porres.
Mag. Ordinis.

Iuſſu R.mi P.N. Generalis,

Fr. Franciſcus Eſtevan.
Præſentatus, & Secretarius Generalis.

CEN-

Digitized by Google

CENSVRA R. ADM. P. M. FR.
Ioannis Interian de Ayala, Regalis Ordinis Beatæ Mariæ de Mercede, Redemptionis Captivorum, Olim Philoſophiæ, modò Sacræ Linguæ in Salmantina Academia Proprij Moderatoris.

LIbrum cui titulus: *SACRA BEATÆ VIRGINIS MARIÆ EX EVANGELIO AD LITERAM EPITHETA*, ſerio pervoluere, de eoque iudicium, qualecumque id ſit, proferre meum, ab Rmo. P. N. M. Fr. Ioſepho Montes de Porres, Domino Baroniarum de Algar & Eſcales, totiuſque Ordinis Generali Magiſtro, iam dudum in mandatis habui. Ego vero, qui Authoris (is eſt Author R. P. M. Fr. Michael de Vlate) cum ingenij, tum animi, præclaras virtutes, ſubtilitatem, pietatem, doctrinam, atque omnigenam illam, quam Græci vocant, non perfunctorio labore comparatam polymathiam ſatis perſpectas habeo, vt primum exequerer, non compellendus fui, ſed invitandus: vt autem poſterius, hoc eſt, cenſorium illud præſtarem munus, non niſi imperio, cui parêre omnino neceſſe fuit, adduci potùi, vt qui meæ tenuitatis conſcius, quid de pulcherimo atque eleganti opere animo conceperim vix, vt decet, verbis efferre quæam. Faciam tamen, vt potero, quandoquidem non encomium parare iubeor, ſed cenſuram: Quamquam, & ſi exacti plane, atque omnibus, quod aiunt, numeris abſolutiſsimi operis laudum proprius hic eſſet locus, non ob id tamen ſilentio premendas arbitrarer, quod eæ laudatori minus apto contingerent; *Careret quippe fama magnorum virorum celebritate, ſi etiam minoribus teſtibus contenta non eſſet*; Quod vrbanè, ſcitèque quidam olim protulit.

Symmach. lib 8. Epiſt. 22.

Eſt igitur (abſit invidia verbo, faceſſat adulatio) opus grave, doctum, elegans, eruditum, in quo paſsim quivis, modo non cæcus aut cæſpitans advertet, & ſacrarum literarum maieſtatem, cum ingenij vbertate, & iudicij ſeveritatem cum men-

mentis pietate fœderato quodam nexu, atque amica ſocietate coniungi. Argumenti etiam, neque vulgaris, vt opinor, neque vulgariter tractati materiem adeo concinnè digerit, & exornat, ijs priſcorum Patrum bonorumque interpretum teſtimonijs munit, ea denique caſta quidem, & pura, ſed minime fucata, aut phalerata dictione perluſtrat, vt mihi videatur id totum, quod Vincentius Lirinenſis, gravis in primis Author Doctori præſcribit catholico, Authorem hunc noſtrum eruditiſsimum perfeciſſe. Sic enim habet: *Eſto*, inquit, *ò Doctor quaſi Beſeleel, & pretioſas divini dogmatis gemmas exculpe, fideliter coapta, adorna ſapienter, adijce ſplendorem, gratiam, venuſtatem; intelligatur te exponente, illuſtrius, quod antea obſcurius credebatur. Ea tamen doce, quæ didiciſti, vt cum dicas novè, non dicas nova.* Atque hic quidem meæ ſive laudis, ſive cenſuræ finis eſto. Supereſt, vt auſpicato ſydere prodeat in lucem, haud quaquam morituram, excultum opus, quod non modo incorruptis Fidei dogmatibus, bonis ve, & pijs moribus abſonum nihil continet, ſed quod piorum, & eruditorum manus bono, vt arbitror, cum fructu teneant. Ita cenſeo, ita iudico, Salvo, &c. In Almo Collegio Veræ-Crucis Invicto Martiri, Doctorique Sapientiſsimo D. Petro Paſchaſio, ipſo die ſacro decimo, ſcilicet Kalendas Novembris, Anno milleſimo ſeptingenteſimo ſeptimo.

Vinc. Lirin. commonit. 1. cap. 27. ad fin.

Fr. Ioannes Interian de Ayala.

LICEN-

LICENCIA DEL ORDINARIO.

NOs el Doctor Don Manuel Menchero y Rozas, Inquiſidor Ordinario, Dignidad de Arcipreſte de la Santa Igleſia Magiſtral de San Juſto, y Paſtor, de la Ciudad de Alcalà de Henares, y Vicario de eſta Villa de Madrid, y ſu Partido. Por la preſente, y por lo que à Nos toca, damos Licencia para ſe pueda Imprimir, è Imprima el Libro intitulado: *SACRA BEATÆ VIRGINIS MARIÆ, EX EVANGELIO AD LITERAM EPITHETA.* Compueſto por el Reverendiſsimo Padre Maeſtro Fray Miguèl de Vlate, de el Orden de nueſtra Señora de la Merced, Redempcion de Cautivos de eſta Corte. Atento de nueſtra orden, y remiſsion ha ſido viſto, y reconocido, y no contiene coſa que ſe oponga à nueſtra Santa Fee Catholica, y buenas coſtumbres. Dada en Madrid à treze de Abril, año de mil ſetecientos y ſiete.

Doct. D. Manuel Menchero y Rozas.

Por ſu mandado,

Manuel Diaz Remon de Moncada.

CEN-

CENSVRA R. P. MAGIST. FR. Mathiæ Eſcolar, Ordinis Sanct. Baſilij Magni: olim Collegij ſui Complutenſis, & Matritenſis Monaſterij Abbatis, modò Archiepiſcopatus Toletani Examinatoris Synodalis, & Provinciarum Hiſpaniæ Vicarij Generalis.

IUSSU D. D. D. Emmanuelis Menchero & Rozas, in Magiſtrali Complutenſi Eccleſia Archipresbiterali dignitate meritò fulti, & huius Matritenſis Curiæ æquiſsimi Vicarij, vidi, legi, & quidem dulcedine tanta allectus, ſine vlla dilatione perlegi Librum cuius titulus eſt: *SACRA BEATÆ VIRGINIS MARIÆ EX EVANGELIO AD LITERAM EPITHETA*, apprimè, & eleganter elaboratum à R. P. M. Fr. Michaele de Vlate, Regalis Ordinis Beatæ Virginis Deiparæ de Mercede, Redemptionis Captivorum Regio Filio, & vere Regio, quippe Ariſtotele teſte, *Præditum eſſe ſapientia Regium eſt*, ſiquidem ſcientia, & doctrina ſua, vti regali corona redimitur. Ariſtot. lib. 1. Rethor. c. 12.

Et quidem, vt verum fatear, quem ius Cenſorem effecit, Operis merita laudatorem, licet imparem, fecerunt. Materia enim ambitioſa laudum in hoc diſerto volumine encomia conſtruit Authoris. Eſt opus, igitur, abſolute perfectum, & omnibus numeris vndequaque abſolutum; ab ſtylo, ab eruditione, à materia.

Fluit ſtylus ſententioſe ſublimis gravitatem cum humilitate amico fœdere innectens; rutilat oratio ſententiarum maieſtate; Lectio dulcis, & grata, adeo, vt mihi viſum ſit, in Sanctiſsimi ſui Patris dextera intinxiſſe calamum, ſicque cum ad manus cuiuslibet, ſaltem ſermonis latini non ignari, venerit, & ſi otioſum non inveniat, faciet tamen. Senſum literalem Evangelij exponit divite brevitate, ita vt *non paucas ſilabas ſcribat, ſed de plurimis rebus paucas*, vti Laconicos Nazian. Pat. Nazianz. Ep. 3.

 zian.

Digitized by Google

zian.P. volebat. Nec adhoc cincinnatos exambit ſermones, nec dictiones flores ſpirantes; ſed neque ita calamum aut deprimit, aut caſtigat, vt aliquando orationem, vt vivacius mentem exprimat, comptis verbis non comat, & ornet, quod non dictionis autumat vitium, ſed rerum vigorem, & energiam. Sic præſcriptum obſervat Senecæ: *Verbis non vltra quàm ad intellectum ſatis eſt, vtor*; & aliorum aut exceſſum, aut defectum à Philone depreſſum, vitat: *Multi enim excogitant quidem optime, ſed male interprete ſermone deſtituuntur*; ſive quia verba ambitioſius comuntur, ſive quia ruſticana rerum elegantiam devenuſtant. Vnde tanta verborum luculentia Epitheta explanat, tanta linguæ proprietate conſpicua reddit, & venuſtat, vt niſi ex Evangelio ad literam decerpta audires, propria & pia inventa putares.

Seneca. lib. 1. de Benef. cap. 3. Phil. heb. lib. de Migrat. Abrahæ.

Affluit eruditione Authoris Opus quæ tanta eſt, quantam quodlibet operis exhalat caput. Nullum eſt quod non integram Bibliothecam ſpiret, vtpote quodlibet adeo dives, & humanis literis refertum eſt, vt vtriuſque eruditionis referat archiva. Iam mihi totus Biblicus apparet, & veluti *divinæ Scripturæ impreſſus*, vt de Candacis Reginæ Eunucho Prophetas lectitante aiebat Tertullianus. Iam Mythologicus totus, cum Virgilios, Horatios, Poetas Omnes, & Oratores quoslibet in hac opella quantitate parva, virtute & ſapientia magna, legam, ea proprietate adductos, vt non comentitia, ſed Epitheta Virginis Matris aut cecinisse, aut declamaſſe videatur. Iam denique totus Theologicis rationibus incumbens ſeſe offert in opere, ac ſi nunc literaria Salmanticæ, & Compluti gymnaſia tereret, & verſaret diſputationibus ſubtiliſsimis, & argumentis acutiſsimis inſudans, & Palæſtras luſtrans. Quid ergo eſt eruditiſsimus hic ſcriptor? Theologus ne, an Biblicus, an Mithologicus totus? hæret indeciſa mens, ſed vinci gaudet à dubio. Sufficiat mihi abſque adulationis fuco illud à Ioann. Ovven. decantatum ſuo operi accommodare:

Tertul. lib. de Bapt. cap. 18.

Quodcumque eſt Sophiæ, quodcumque eſt artis vbique,
Ingenij atque genij quidquid vbique viget.

Omne id reor tuo inſediſſe libello.

Ioan. Ovven. Epigrammat. lib. 1.

Aſt quænam materia tanto Magiſtro aptior quam Virginem Mariam enconiare, eius ex Evangelio Epitheta eleganter elucu-

cu-

cubrando. Noſtrum Ethimium auſculta: *Oportet habere linguam Theologicam ad loquendum de Matre Dei Sanctiſsima.* Habuit hanc, pollet, inquam, hac flammigera lingua Theologus Author iſte. Cum enim in Architectonica ſcientia verſatiſsimus ſit, & profeſsione, & devotione, divina illa flamma, Deificus ille Marianus ignis ſuam abſdubio linguam inflammavit, vt talia, tantaque de ipſa Virgine ructaret, divinum, nimirum, illud quod de Epithetis Virginis Matris in litera Evangelij humano ſermone occultabatur, veluti in terra aurum, gemma in lapide, verſaret, diſtingueret, luculenter dilucidaret, & elimaret opifice diſciplina, qua opus ſuum, dum non tranſcribit, ſed ſcribit, fauſtiſsime fabricat Autographus Architectonico calamo, & perpolitum reddit Sanctorum Patrum pretioſâ limâ, quorum teſtimonia, non in ipſorum iniuriam, ſed in gloriam adducit. Sic operis inventio nova lepore, & nitore vetuſtatis rutilat, & antiqua priſtino fulgore novitate refulgent. *Decreta ergo noſtra* (dictabat Antiquus ille, & diſertiſsimus Senator) *priſcorum reſonent inſtituta, quæ tantam ſuavitatem laudis inveniunt, quantum ſaporem vetuſtatis aſſumunt. Sic fiet, vt antiqua in nitorem priſtinum contineam, & nova ſimili antiquitate producam.*

Noſt. Euthim. Ordezon. Deipar.

Caſsiod. lib. 8. var. Ep. 13. & 7.

Vnde cum Opus ab ſtylo grave, ab eruditione diſſertiſsimum, à materia pium, & excelſum evadat, & aliunde (iam Cenſorem ago) nihil in eo Ortodoxæ fidei diſſonum viderim, moribus Catholicis nihil non conſonum repererim, ſerio cenſeo dignisſimum eſſe vt quantocius typis mandetur, ad magnum omnium pietatis, & eruditionis incrementum, ad ſui Authoris nunquam perituram gloriam, & ſuæ Regalis Familiæ Regium ornamentum. Sic ſentio in hoc noſtro Sancti Baſilij Magni Matritenſi Aſceterio. Die 12. Menſis Martij, Anno Domini 1707.

Mag. Fr. Mathias Eſcolar.

¶¶ 2 CEN-

Digitized by Google

CENSVRA R. P. MAGIST. FR. Franciſci Palanco, Lectoris emeriti, Supremi Fidei Senatus integerremi Cenſoris, & à Secretioribus Conſilis, Bibliothecarum Hiſpaniæ Expurgatoris eruditiſsimi, Archiepiſcatus Toletani Synodalis Examinatoris, totiuſque Caſtellanæ Provinciæ clariſsimæ Religionis Divi Franciſci de Paula, digniſsimi Vicarij Generalis.

M. P. S.

EX Commiſsione Supremi, ac Regalis Caſtellæ Senatus lubenti animo perluſtravi librum, cui epigraphe, *SACRA BEATÆ MARIÆ VIRGINIS EX EVANGELIO AD LITERAM EPITHETA.* Cuius Author Reverendiſsimus P.M.Fr.Michael de Vlate, ex Sacra, ac Regali Beatæ Mariæ Virginis de Mercede, Redemptionis Captivorum, Familia proles fæcunda, ac facunda. In quo quidem elaboratiſsimo opere affatim quod iam diu animus deſideraverat impletum invenio. Et ſi quippe plures in dies excreverint encomiaſtici, Marianas laudes prærrogativaſque extollentes, animadverti tamen, ipſos potius typicis figuris, acommodatitijſque Sacri textus ſenſibus innitentes, quàm literalibus, cuius eſt per ſe fidem facere, aut Evangelicis teſtimonijs quod dicerent exponentes. Id vero cummulatiſsimè præſtat noſter Author, dum ex nitidiſsimo Evangelij fonte, adiunctis Sanctorum Pat. literaliumque expoſsitorum gloſsis Beatæ Mariæ Virginis encomia depromit, de hiſque fidem facit, mentemque contra Neothericos præſertim hæreticos firmat, eoque collimat, vt quæ de Beatæ Virgine Catholica eructat devotio, nedum magna, nedum pia, ſed vera etiam ſine ambiguitate credantur, vti fundamentis ſolidis ex Sacro Textu fulcita.

Fun-

Digitized by Google

Fundamenta eius (inquit Regius Profeta) *in Montibus Sanctis*; Montes quippe Sancti ſunt Sacri Evangeliſtæ, montis Sancti ſunt Sancti Eccleſiæ Pat. in his Author fundamenta revelat, quibus Beatæ Virginis encomia ſolidè nituntur; ex his Sacris montibus veluti ſcindit lapides, dum teſtimonia ſeligit quibus Marianæ laudis ſtructuram, & ſi ſupra Angelorum choros omnes evehit, funditùs tamen ſtabilit, ac firmat. Nec ſolum antiqua promit in hunc ſcopum, ſed vt verè ſapiens nova etiam ex nuperis interpretibus, nec non ex proprio theſauro profert: Itaque omnigenæ eruditionis copia abundat, tùm Sacræ, nùm profanæ, vt planè demonſtret ſe Sacris, & Humanis literis, iam diu deditiſsimum, nec mirum, quippe qui metrcis orationibus, ac declamationibus ſacra plura elegantiſsimè deſcripſit, & exornavit nuper, nuncque oratione ſoluta maiora non minori exponit facundia, vt in vtroque orationis genere eximium Authorem mireris, cuius in hoc opere nihil ſanè, quod à recta fide, divinique verbi ſana expoſitione declinet, reperi; eaque propter illud Zedro, & laude dignum exiſtimo. In hoc Divæ Mariæ de Victoria Matritenſi Cœnobio, die 17. Iunij, Anno Domini 1707.

Fr. Franciſcus Palanco.

PRIVILEGIO.

DON Bernardo de Solis, Secretario del Rey nueſtro Señor, y ſu Eſcrivano de Camara mas antiguo, de los que reſiden en el Conſejo, certifico que por los Señores de èl ſe ha concedido licencia al Padre Maeſtro Fr. Miguèl de Vlate, del Real Orden de nueſtra Señora de la Merced, Redempcion de Cautivos de eſta Corte, para que por tiempo de diez años, pueda imprimir, y vender vn Libro que ha compueſto, intitulado: *SACRA BEATÆ VIRGINIS MARIÆ EX EVANGELIO AD LITERAM EPITHETA*, con que la dicha Impreſsion ſe haga por el original que và rubricado, y firmado de mi firma, con que antes que ſe venda ſe traiga al Conſejo, juntamente con ſu original, y certificacion del Correctur, de eſtàr impreſſo conforme à èl, para que ſe taſſe el precio à que ſe ha de vender, guardando en la dicha impreſsion lo diſpueſto por las Leyes, y Pragmaticas de eſtos Reynos. Y para que conſte lo firmè en Madrid, à 23. dias del Mes de Julio de 1707. años.

D. Bernardo de Solis.

ER3

Digitized by Google

ERRATA, QVÆ EX PRÆLO
irrepſerunt ſic corrige.

PAg. 1.honoris,lege Honorij.P.2.Beneficientiæ,l.beneficentiæ.P.9.cæſſerat,l.læſſerat. P.10.Abulenſi,l.Abulenſis. P.20.apus,l.opus. P.24.demonſtratum,l.demonſtrativum.P.26.propterа,l.propterea.Ibi.huiuſque,leg. hucuſque.P.62.dulisſimè,l.dulcisſimè.P.63.doctrinu,l.doctrina.P.64.impulcherrimi,l.in pulcherrimi. P.85.obumbravit,l.obumbrabit. P.86.ſimilis,l.ſimiles. P.90.exaltationem,l.exultationem. Ibid.contingerunt, l.contigerunt. P.94.ſpes.l.pes. P.120.Cap. 1.l.Cap.2. P.145.Epitheton,l.Epitheto. P.146. Pali,l.Pauli. P.163.mari,l.amari. Ibid.tiam,l.etiam. Ibid.vtrimenta,l.nutrimenta.P.175.pare,l.par.P.176.creatæ,l.increatæ.P.178.quædam,l.quadam. P.179.cantici,l.Canticis. P.194.capat,l.caput. Pag.209.myſtetium,l.myſterium.P.211.prodene,l.prodere.Ibid.penfent,l.penſent.P.216.phareta,l.pharetra.P.229.ita,l.iſta.P.215.re hæc,l.hac,P.238.ambigerit,l.ambigeret.

Demptis his mendis correſpondet ſuo exemplari. Matriti die 28.Novemb.Ann.1707.

Lic. Rio & Cordido.
Corrector Gener. à Rege.

SVMA DE LA TASSA.

TAſſaron los Señores del Conſejo Real, eſte Libro intitulado: *SACRA BEATÆ VIRGINIS MARIÆ EX EVANGELIO AD LITERAM EPITHETA*, compueſto por el P.M.Fr.Miguèl de Vlate, de el Orden de nueſtra Señora de la Merced, Redempcion de Cautivos de eſta Corte, à ſeis maravedis cada pliego, como mas largamente conſta de ſu original, à que me remito, deſpachado en el Oficio de Don Bernardo de Solis, En Madrid à dos dias del Mes de Diziembre de 1707.años.

D. Bernardo de Solis.

LEC-

LECTORI MEO, ET AMICO.

TECUM Loquor, non cum calumniatore, aut Momo, qui ſuo arbitrio, & ingenitâ maledicentiâ, etiam Deorum opera carpebat. Sunt equidèm multi, qui nec meliora faciunt, ſed neque in his ſtudijs incumbunt, & tamen, vt ſutor ille vltra crepidam, reprehendere aliorum ſtudia, & ingenij ſudores audent. Tu vero, mi Lector, qui ex his non es, non ineptè, velut Prometheum, me cenſebis. Nam, ſi ille Minervæ auxilio ad ſuam ſtatuam animandam de ſolis rotâ ignem ſurripuiſſe dicitur: ego à Virgine, vt ſole electâ, fulgoribus, & luminibus gratiæ plenâ, aliquos radios, ſeu Epitheta, quæ ad literam ſibi ornamento ſunt in Evangelio, & quæ talem, qualis apud Deum, & homines effulſit, mirè deſcribunt: vt meam opellam quodammòdo vivificarem, mutuatus ſum. Itaque illorum me explanatorem feci, ſed ope Sanctorum Patrum, eorum ducatu & lumine: quo ſi aliquid novæ laudis invêni, aut in laudandâ Dominâ meâ Virgine Mariâ profeci, non mihi ſed illis tribuo. Sanè in his explanandis ſcholaſticum ago, non Oratorem: non enim dictionis elegantiam ſolicitus prætendi; præterquàm apta verba pro rerum, & heroicarum virtutum gratiarumque dignitate, quibus Dei Mater ſuper omnes Sanctos, & cœleſtium ſpirituum choros, dignè eminet, non iam dicam mihi, ſed etiam diſſertiſsimis linguis difficile invenire. Æquè enim difficile eſt, inquit Iſocrates eximius Orator, eos laudare, qui aliorum virtutes ſuperarunt, ac illos, qui nihil præclari geſſerunt. Nam alteris res deſunt, alteris apta verba reperiri non poſſunt.] Proindè id præcipuè curavi, quæ Sanctorum Patrum menti mihi veroſimilia viſa ſunt, ſequi, & argumentis tutari: dubia non pauca movêre, & ſolvere: conceptibus interdùm moralibus, interdùmque hæreticis exploſis ac impugnatis, proùt occaſio tulit, meam Spartam in laudem Virginis exornare. In laudem, inquam, Virginis quæ vnus eſt mihi candidiſsimus in toto opere ſcopus: in quem ſi non rectè, vt fuit animus, collimavi, dicam cum Apuleio: Sicut ad pœnam ſufficit meditari punienda: ſic & ad laudem ſatis eſt conari prædicanda.] Hoc dixerim,

Orat. de Permut.

Florid. lib. 4.

vt

vt tu, mi Lector, mi Ariſtarche, ſi mavis, facilè & benignè, quòd metam non tetigerim, mihi ignoſcas. Præterea, vt nihil meæ mentis te lateat, ſcito his Virginis Mariæ Epithetis me adiungere voluiſſe hæc pauca, quæ ſunt illi, & Sanctiſsimo eius Sponſo Ioſepho in Evangelio communia, videlicèt: *Mirantes, Exiſtimantes, Invenientes, Requirentes, Dolentes.* Sed cum viderem, creſcente Libro, paritèr præli ſumptus creſcere; quibus pecuniæ meæ non ſufficerent: his tantùm, quæ ſunt Virginis Mariæ, contentus fui, quamùis invitus, libellum conficere. Meliùs enim putavi pauca pauper in ære meo, quàm in alieno multa illi offerre. Præterquam, etiam pauca, ſi non bona ſunt, quam plura ſcripſiſſe, præſtat. Tandem, Amice Lector, vt corrigas, & emendes, ſatis ſcripſi. Vale.

SACRA

Digitized by Google

SACRA BEATÆ VIRGINIS MARIÆ EX EVANGELIO AD LITERAM EPITHETA, PATRVM, ET INTERPRETVM DOCTRINA ACCURATE EXPLANATA.

EPITHETON I. EX D. LVCA, CAP. I.

AD VIRGINEM DESPONSATAM IOSEPH.

CAPVT I.

VIRGO MARIA TER DICITVR DESPONSATA, & quare. Hoc Epitheto ſplendidior eius Virginitas, & eam eſſe Virginem, quam Iſaias prædixit, elucet. Hæretici illud ſiniſtrè interpretantes, refelluntur.

1 Diſertè ſanè Quintilianus, ornat, inquit, Epitheton: apud oratorem vero, niſi aliquid efficiatur, redundat. Tum autem efficitur, ſi ſine illo, quod dicitur, minus eſt. In hac ergo re noſtra, quam, favente Deo, tractandam ſuſcipimus, Epitheton *deſponſatam*, ornare, & multum laudis gloriæque ſuper addere pro comperto habendum, minimeque redundare poſſe, cum in Evan- *Quint. inſtit. orat. lib. 8. c. 6.*

gelio nihil, ne apex quidem, ſit ſuperfluum, & minus certè de Virgine diceretur, ſi Epitheton, quod illi apponitur, detrahatur. Itaque cum res ſit notatu digna, quod tèr beatiſsima Virgo, bis à Divo à Luca, & ſemel à Mathæo, deſponſata nuncupa-

Luc. hic, & c. 2. Matth. c. 1.

tur: & huius trinam Epitheti repetitionem propterea Spiritus Sancti conſilio factam putem, vt tèr quoque intacta Virgo, ante partum nimirùm, in partu, & poſt partum, intelligatur, habeatur, & prædicetur: recto ordine Epitheti, & nominum, quibus affigitur, ſervato, prius de illo, quatenus Virgini appoſito, oportet tractare.

2 Et quidem conſuetum, etiam apud profanos, promiſſæ Virgini, more gentium recepto, ante nuptias, promiſſæ Epitheton, vel pactæ, quod idem eſt, ac deſponſæ, ſeu deſponſatæ, tri-

Claudian.

buere. Apud Claudianum de nuptijs honoris, & Mariæ habemus.

Hauſerat inſolitos promiſſæ Virginis ignes
Auguſtus.

Æneid. 10.

Et apud Virgilium in oratione Iunonis adverſum Æneam:
Quid ſoceros legere, & gremijs abducere pactas?

Ser. ibi.

Super quo Servius interpres ait: Sanè exaggeratio eſt nimia, in eo quod ait, gremijs abducere, tanquam iam vxores. Miro igitur conſilio Evangeliſta Virginem beatam, quæ iam nupta Ioſepho erat, iuxta probabiliorem (vt infra videbimus) ſententiam, deſponſatam nuncupat, & huiuſmodi Epitheton illi aſſociat, tanquam pudoris fidum amicum, & teſtem. Imo Deus, cum Virginem, non ſine mortalium ſtupore concepturam, & parituram, per ſuum Evangelicum Vatem prædixiſſet, & fore deſponſam tacuiſſet: providentiſsimè tempore ſuæ beneficientiæ, & benignitatis erga homines iam impleto, Virginis conditionem noluit tacere, ſed miſit ad Virginem deſponſatam Angelum Gabrielem, qui ei mirabilem conceptum, & partum nunciaret: vt ita demonſtraret, Virginem quam olim elegerat, & prædixerat, eſſe hanc deſponſatam, nihilque hanc in ea conditionem mutaſſe pudoris. Favet huic cogitationi Mathæus, nam Epitheto deſponſata dato

Iſai. cap. 7.

Virgini, ſubiunxit Iſaiæ teſtimonium, dicens: *Hoc autem totum factum eſt, vt adimpleretur quod dictum eſt à Domino: Ecce Virgo in vtero habebit, & pariet filium.* Per hoc innuens, quod ea ipſa, de qua locutus eſt Vates, eſt quæ nunc eſt deſponſata Virgo.

3 Quis

3 Quis proinde ſit, qui non arguat Virginem, poſtquàm ſe vidit deſponſatam viro, ampliùs amaſſe Virginitatem, maiorique cura, & ſtudio mentis, & corporis invigilaſſe candori? Profectò aſſueta erat Angelorum colloquijs: nec vnquam legitur in viſione, & illorum colloquio turbatam fuiſſe, niſi poſtquam vnus Gabriel, ſibi notus, & familiaris Angelus, ad ipſam iam deſponſatam venit: in quo aliquid muneris obijſſe virginei, cognovit Ambroſius: nam, vt inquit, trepidare virginum eſt, & ad omnes viri ingreſſus pavere, omnes viri affatus vereri.] Neque ob aliam cauſam, vt ego exiſtimo, potuit puriſsima Virgo Angelo dicenti, *Ecce concipies in vtero, & paries filium*, modi ignara reſpondere, *Quomodo fiet iſtud, quoniam virum non cognoſco?* Nam quæ deſponſata erat viro, facilè ſibi inveniſſet modum; ſi non prorſus thalami, viri, & prolis amor, ab ea longe exularet: ſi penitus munditiei, & virgineæ integritatis appetens non foret. Et ideo Patres hinc, & merito, collegêre Virginem, antequam ad ipſam mitteretur Angelus, perpetuæ virginitatis votum iam Deo nuncupaſſe. Licèt enim in tempore voti non conveniant emiſſi; proximius vero videtur, illud emiſiſſe antequam Ioſepho deſponderetur. Tandem ipſa, neque adhuc Angelo modum concipiendi filij ineffabilem exponenti, præbuiſſet conſenſum, ſi alitèr quàm puriſsima divini Spiritus obumbratione conceptura erat. Quod planè oſtendit, dicens: *Fiat mihi ſecundum verbum tuum.* Quid eſt enim ſecundum verbum tuum, niſi non aliter ac promittis? Etenim non aliter conſentio, quando nec mihi potentis Dei voluntas alitèr revelatur. Hanc ſanè, ſine vi, & obliqua interpretatione, offert nobis, Virginem deſponſatam meditantibus, Evangelica litera expoſitionem. Quam etiam dilucidè Gregorius Nyſſenus hauſit: Angelus, inquit, partum nunciat, at illa virginitati inhæret, & integritatem Angelicæ demonſtrationi anteponendam iudicat. Nec Angelo fidem non habet, nec à propoſito recedit ſuo. Interdixi, inquit, mihi conſuetudinem viri. Quomodo iſtud erit, quoniam virum non cognoſco? Si enim liberorum cauſa ducta fuiſſet à Ioſeph, quomodo parituram Angelo prænuncianti, ſe rem novam, & alienam audire præ ſe tuliſſet, cum ipſa quoque ſe obſtrinxiſſet naturæ lege, vt aliquando mater eſſet. Verum quia carnem Deo conſecratam, tanquam ſanctum aliquod oblatum munus, oportebat integram ſanctamque præſtare,

Lib. 2. in Luc. cap. 1.

Luc. cap. 1.

Luc. cap. 1.

Greg. Nyſſen. de Nat. Dom.

Idcirco licèt Angelus ſis, licèt è cœlo venias, licèt id quod oſtenditur, naturam ſuperet humanam, tamen me virum agnoſcere; nefas eſt. Hactenus Nyſſenus.

4 Sed prò nefas! Hæretici & Centuriatores, quos Caniſius refellit, ſtatimàc legunt Virginem deſponſatam, de ſole virgineo impurè cogitare audent, & lippientibus oculis illi nebulas offundere. En, inquiunt, velut quælibet de trivio puella deſpondetur Maria, nuptias expetens propter prolem. Ita bacchantur impij, & quod in ſe vident, & in puellis ſui ſimilibus, virginitatis oſſores, in Virgine deſponſata turpitèr comminiſcuntur: neque ipſam pravè ſurdi audiunt dicentem, *Quomodo fiet iſtud, quoniam virum non cognoſco?* Neque malitiâ obcæcati eam, Angelo ſine pudoris iactura parituram aſſerenti, conſentientem obſervant. Quaſi, quam elegit Deus ſibi in matrem, eandem non inſtituerit, vt talem tantumque futurum filium decebat, egregiam, & ſpecialiſsimam Virginem, ſicut per Iſaiam loco nupèr memorato, ſatis ſuperque declaravit: quippe in eo ponitur Virgo articulo deſignata emphatico, qui præcipuam quandam, & illuſtriſsimam Virginem ſignificat, vt ibi Arias Mont. notavit. Proptereaque Angelicus Magiſter deſponſationem ad copulam ordinari, ſibi obijciens, perſpicuam, & Virginis honori debitam invenit ſolutionem. Nam mater Dei, inquit, non aliter voluit, aut auſa eſt deſponſari, niſi familiari Spiritus Sancti inſtinctu permota, divino ſe ſubdens arbitrio, fidenſque Dei auxilio, ſe nunquam carnalem copulam ſubituram: atque hoc pacto nullum virginitati ſuæ detrimentum deſponſatione intuliſſe. Quaſi inſuper, fruſtrà de ea in Canticis, divinus Sponſus dixerit: *Sexaginta ſunt reginæ, & octaginta concubinæ, & adoleſcentularum non eſt numerus. Vna eſt columba mea, perfecta mea, vna eſt matris ſuæ, electa genitricis ſuæ. Viderunt eam filiæ, & beatiſsimam prædicaverunt reginæ, & concubinæ, & laudaverunt eam.* Vide à quibus laudatur, & vt innumeris, ipſis quoque nec parcè pulchris decoriſque, vna Virgo Maria præ omnibus pulcherrima ac beatiſsima præponatur. Quo in loco Theodoretus ita ſcribit: Inter tot animas omnium hominum, qui ſalvantur, vt electa columba eſt vna illa ſola, quæ Chriſtum genuit, Virgo mater puella Maria, quæ puritate profectò Cherubim atque Seraphim antecellit.] Quaſi denique non dixerit Sponſus. *Vna eſt columba mea*, ideſt indiviſa mihi: vnum

Lib. 1. de M. deſp. Virg. c. 11.

Luc. 1.

Ar. Mont. in Iſai. cap. 7.

D. Tom. 3. p. q. 25. art. 1. ad 1.

Cant. 6.

Theodor. ibi.

nam-

namque indiviſum eſt in ſe, & diviſione perimitur. Non ergo Sanctiſsima Virgo, quæ vna erat Deo, potuit eſſe diviſa, partitis nempe curis, & operibus, nunc ſtudens Deo placere, nunc viro, eleganter ſe comens, ornanſque ceruſſa, & purpuriſſo, tum veſtibus ſericis, acuque Phrygiâ pictis, vſque ad fucatam omnino pulchritudinem, aliarum deſponſarum, nuptarumve more, de quibus Divus Paulus diſertè diviſas eſſe denunciat. At hæretici, boni virginitatis amatores, non præſumunt cum gentium doctore eſſe, fuiſſe, foreque plures virgines, *Quæ cogitent, quæ Domini ſunt, vt ſint ſanctæ corpore & ſpiritu.* Et quidem ego cum illis quoque ſentiam, ſi talis non fuit Virgo Maria, quæ vnicè, quæ Domini ſunt cogitaret. Verùm hoc crediderint illi, & credat Iudæus apella, & quiſquis eſt improbus, qui, vt inquit Eccleſiaſticus: *Bona enim in mala convertens inſidiatur, & in electis imponit maculam.* Cum divo Illdephonſo autem dico: Ecce enim Virgo ex Deo, Virgo ex homine, Virgo atteſtante Angelo, Virgo iudice ſponſo, Virgo ante ſponſum, Virgo cum ſponſo.

1. Cor. 7.

Eccleſ. 11.

Caput II. Cauſæ, cur Chriſtus de deſponſata Virgine naſci voluerit, deſignantur. De adulterorum filijs lex Athenis lata. Cauſa, quam tradit divus Ignatius Martyr, defenditur.

1 Potens Dominus de Virgine Maria, eaque deſponſata, naſci voluit, vt mirabilis conceptus, & ortus ſummam naſcentis dignitatem omnibus manifeſtaret. Nec providentiſsimo Deo plenæ ſapientiæ, & doctrinæ defuerunt cauſæ, quas quidem reverenter Eccleſiæ Patres inveſtigarunt, & divus Thomas in tres claſſes recto ordine digeſsit. In primam nempe, quæ ad Chriſtum, vt naſceretur de Virgine Maria deſponſata, pertinent: in ſecundam, quæ ad matris ſuæ honorem, & tutelam; in tertiam denique, quæ ad noſtræ fidei ſecuritatem ſpectant; atque ita nos, quaſi otio dediti, eas omnes explanare, & aliqua doctrina ornare conabimur. Prima igitur primæ claſsis cauſa, quæ ex parte Chriſti ſe offert, eſt, ne ipſe contemptui Iudæis, & infidelibus eſſet, eum putantibus ſpurium, & ex adulterio conceptum. Nam nihil Iudæis, nihil He-

D. Thom. vbi ſupr.

rodi; vt ſapienter Ambroſius ait, poſſet aſcribi, ſi natum viderentur ex adulterio perſecuti, & qui cœpiſſet à legis iniuria per conceptionem, & partum innuptæ, qui lege damnatur: ſe quoque præcludens, vt poſtea non aſſereret, *Non veni ſolvere legem, ſed adimplere.*] Vbi videor mihi videre Chriſtum vix conceptum naſcituris ſuâ doctrinâ honeſtos providere parentes; qui ea inſtructi, vagum, & criminoſum concubitum horreant: ex quo nihil poſsint dare filijs, niſi ſpuriorum, & nothorum infame nomen, quo ludibrio, & probro ſint hominibus; & inutiles ſacris Eccleſiæ muneribus, iuxta canonum ſanctiones, reddantur. Quid miſeriùs innocentibus contingat, quàm à parentibus ab ipſis incunabulis bono nomine exhæredari? Non adeo iniuriosè cum legitimis ageretur, ſi eos parentes de illis peſsimè meriti, divitiarum exhæredes in tabulis ſcriberent, dicente Salomone; *Melius eſt bonum nomen, quàm divitiæ multæ.* Et modo mihi Davidis adulterium in mentem venit, & miror, vt Deus facilè benignus illi hoc vnum verbum *Peccavi* dicenti indulſerit: qui tamen parvulo ad mortem ægrotanti, quamvis pater eius ſacco indutus, humi ſtratus, lachrimis rigatus, ieiunioque afflictus, vitam infantis flagitabat, vitam donare noluit. Cur huiuſmodi in ſacco, lachrimis, & ieiunio, ferventiſsimæ preces, innocenti infanti, vt vita donaretur, non profuerunt? Et parenti peccatori vnum contriti cordis verbum ad veniam profuit? Num Deus non ita miſericors eſt cum innocenti, & magis quàm cum peccatore? Quis neget? Proinde, quòd puer obierit, non niſi à miſericorde, & benevolo Deo profectum eſt, iuxta Theodoreti ſententiam; quia ſi viveret, dum omnium oculis obverſaretur, paternæ libidinis, & crudelis homicidij, teſtis eſſet. Quæ ratio, vt mihi videtur, non tam benignitatis eſt erga parvulum, quàm erga parentem; quo circa iudico Deum cum parvulo, dum è vivis ſuſtulit, miſericordiam ſuam oſtendiſſe, ne quem pater infami concubitu gignens, bono nomine apud homines, etiam & regno, exhæredarat, tali dedecore inuſtus, in aula, aut ab aula exul, viveret. Quod viſum eſt in Iephte, cui fratres dixerunt: *Hæres in domo patris noſtri eſſe non poteris, quia de adultera matre natus es.* Noluit ergo Deus innocentem talia pati, occluſiſque in adulterij execrationem auribus, potentiſsimas preces, & quæ ſolent illius pectus emollire, rectiſsimus iudex ſprevit. Petenti itaque veniam peccatori, pepercit:

Lib. 2. in Luc. cap. 1.

Matth. 5.

Prov. 22.

2. Reg. cap. 12.

Theod. q. 26.

Iudic. cap. 11.

pe-

Digitized by Google

petenti vero reliquias ſui manere peccati, filium ſcilicet ex adulterio raptum, minimè aſſenſit. Filij ergo adulterorum, adeo enormi iniuria geniti, quam gratiam debent parentibus ſuis referre? Si à cauſa ſtandum eſt, nullam dixerim. Athenis lege cautum erat (refert Iacobus Midendorpius) vt hi, qui illegitimo thoro eſſent procreati, parentes ſuos non alerent: enimvero qui meretricio non abſtinent congreſſu, is demonſtrat ſe non liberis, ſed voluptati ſtudere, ſeque ipſum mercede privat.] Oportet autem, vt quemadmodum huiuſmodi filij culpæ parentum minimè naſcuntur obnoxij: ſic poſtea eos imitando, eorumque inſiſtendo veſtigijs, obnoxij non fiant; in hoc vnum totis viribus incumbentes, natalium ſuorum maculam virtutum candore eluere: atque ita poſsint cum Iephte Iſraelitici populi propugnatore, & liberatore, & alijs eiuſdem ordinis fortiſsimis viris, de adepto ſibi honore gloriari. Pro cuius hortamento cecinit Alciatus. *Iac. Midendorp. academ. lib. 3.*

Herculeos ſpurij ſemper celebretis honores:
Nam veſtri princeps ordinis ille fuit. *Emb. 138.*
Nec prius eſſe Deus potuit, quàm ſugeret infans
Lac, ſibi quod fraudis neſcia Iuno dabat.

Hauſit enim in cœleſti lacte bonos mores, quibus horrenda monſtra, ideſt, vitiorum genera domuit: vnde non morituram nominis ſui famam rebus clarè geſtis comparavit.

2 Secunda cauſa eſt, vt Chriſti genus per virum more ſcripturarum texeretur: qui mos, inquit Ambroſius, ſemper viri originem quærit. Vbi etiam aliquid doctrinæ apparet: quaſi doceri velimus, in ſacris Scripturis firmum omne, ſolidum, virile; contra vero, nihil imbelle, & fœmineum eſſe; imo ſui Authoris morem ſapere, qui vt fœminæ ſupra propriam conditionem aliquid roboris adderet, illam de viri coſta formavit. Tertia cauſa eſt, *Gen. cap. 2.* vt Ioſeph puerum Ieſum aleret, atque ei in omnibus ſolatio foret: qui propterea, vt inquit D. Thomas, dictus eſt pater eius *3. p. q. 29. art. 1. in corp.* quaſi nutricius. Circa quod, quis non conſideret illum, per quem nec ales eſurit, noſtræ opis velle eſſe indigum, & hominis alumnum, ab eoque curam, & ſolicitudinem, cæteraque patris erga filium officia expoſcere? Qui ergo hæc poſcit, horum ipſorum debitores eſſe parentes monet. Cauſa quarta eſt, vt partus Virginis celaretur diabolo, dum eum putat, non de Virgine, ſed de vxore generatum. Ita ex D. Ignatio Martyre, D. Hieronimus, & *Matth. cap. 1.*

ſe-

ferè omnes Patres. Sed quî fieri potuit, vt per hoc Virginis integritas callidum dæmonem latêret? Tam multa enim vi mentis pollet, vt quæ ſunt naturæ, omnia inveſtiget, ac intrinſecùs penetret. Et iam tunc temporis, propter Iſaiæ vaticinium, ſibi cautus, & timens, omnes (Authore Damaſceno) virgines obſervabat: ex quarum aliqua orto Emmanuele, ſui regni, & principatus ruinam certè ſciebat venturam. Nec ſi reſpondeatur cum Magiſtro ſententiarum, & D. Thoma, Caietano & alijs, dæmonem, Deo prohibente, non animadvertiſſe Virginis integritatem: ideo magis difficultas expeditur, ſed multo minus, quia hoc eſt ſine gravi cauſa ad aras fugere, ſiquidem ob id erat deſponſata Virgo, vt filium non de Virgine, ſed de vxore putaret generatum: vnde, Deo dæmonem prohibente, aut intellectum ligante, videtur ex hac parte ociosè Virgo deſponſata, cum divina protectio multo magis valeret, ac efficaciùs impediret. Præterea arguit Abulenſis. Quia dato quod Virgo non eſſet deſponſata, & dæmon, quod intacta pepererat, vidiſſet; non inde ſequebatur, eſſe Deum hominem, quem peperiſſet, quia poterat Deus puro homini de Virgine naſci concedere. Quandoquidem, ſi ex Virginis integritate, Chriſti divinitatem colligeret: melius potuit quando ſtella duce Magi eum adoraturi venerunt: melius quoque in Iordane, vbi vox Patris inſonuit: *Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi benè complacui.* Ex his vero, quæ cum nota eſſent hominibus, nota etiam erant diabolo, non tamen Chriſtum eſſe Deum credidit, & ideo poſt baptiſmum illum tentavit: Denique, neque viſis tot miraculis, credidit eſſe Deum, aliàs Iudæos ad illius occiſionem non moviſſet. His Abulenſis, & alijs ducti argumentis Scotus, Maldonatus, & alij, cauſam à divo Ignatio traditam vel impugnarunt, vel omiſerunt. Quæ tamen à nobis ob tantorum Patrum authoritatem accuratè exponi, & defendi debet.

Lib. 4. de fide orthod. c. 15.

Mag. ſent. in 4.

D. Thom. ibi diſt. 3. q. 2. art. 1. & 3. p. q. 2. art. 1.

Caiet. in Luc. cap. 4.

Abul. in Matth. q. 31.

Matth. 3.

3 Itaque non eſt perſuaſu difficile, dæmonem in deſponſata Virgine fuiſſe deceptum, quia in deſponſata, curæ, & ſolicitudinis inveſtigandæ Virginitatis, & partus, nulla ſibi erat cauſa. Nec huius eſt inefficax ratio, quòd ipſe in Iſaiæ vaticinio legerat Virginem parituram: ſi ergo hinc ad obſervandas Virgines ſedulo movebatur, vt inquit Damaſcenus, nec ſolum obſervabat, ſicut eius Commentator Iacobus Vilius vult, ſed ad matrimonium contrahendum alliciebat; quam iam videbat nuptui tradi-

Damaſc. orth. Fid. lib. 4.

Iacob. Vil.

ditam, cur obſervaret, cur anxius perſcrutaretur? Certè non apparet ratio. Eſtque experientiâ compertum, etiam homines, eſtò curioſos, & alienorum morum lynceis oculis exploratores, de coniugata, ſiquam concepiſſe vident, nihil eſſe ſolicitos: ſecuros enim eos reddit ſacramentum, & viri conceſſa ſocietas. Ergo ſic cum Virgine deſponſata eveniſſe dœmoni, proximiùs vero eſt. Vnde Ambroſius, Non mediocris cauſa quoque eſt, inquit, vt virginitas Mariæ falleret principem mundi: qui cum deſponſatam viro cerneret, partum non potuit habere ſuſpectum. Loc.cit.

4. Præterquam quod ita oportuit, vt Deus deceptorem diabolum proprio dolo, & arte decipi ſineret. Nam quemadmodum dœmon Evam Virginem deſponſatam falſis promiſis aggreſſus decepit: ſic Deus obiecta quoque illi Virgine deſponſata, vt talionem ſolveret, eum fefellit, ideſt, falli permiſit. Cur aliis artibus, vt ſe vaferrimus inimicus falleret, Deus vteretur, quàm quaſi ſimilibus illis, quibus ille vſus, vt nos perderet? Etenim, ſi vt canit Eccleſia, dœmonis aſtum ſimili aſtu punitum plaudens,

Hoc opus noſtræ ſalutis
Ordo depopoſcerat,
Multiformis proditoris
Ars vt artem falleret,
Et medellam ferret vnde,
Hoſtis vnde cæſerat.

Quo circa,

Ipſe lignum tunc notavit,
Damna ligni vt ſolveret.

Conſequentèr etiam Deus Virginem deſponſatam notavit, vt quam in deſponſatâ Virgine Evâ communis hoſtis fraudem texuit: eandem in eius caput vindex noſter retorquêret: quatenus nuptæ Virginis Mariæ velamine, non advertit virginei partus myſterium ſibi celari. Nec videtur Deus alio conſilio, vati ſuo Virginem deſponſatam fore, celaſſe, quàm vt diabolo muſcipulam pararet, qua ſe vſque ad deceptionem ipſe ineſcaret. Etenim vt ſcriptum eſt, *Sacramentum Regis abſcondere, bonum eſt.* Et Seneca, Alium ſilere quod voles, primùm ſile. Itaque Deus primus ſiluit, primus ſuum ſacramentum abſcondit: tandemque, non niſi peracto myſterio, omnibuſque optatiſſimo fine impletis, Tob. 12. Sen. Trag. in Hippol.

Illud orbi, voce, calamo, ſuos Evangeliſtas manifeſtare iuſsit. Et ideo magnopere animadvertendum, quòd quanvis dæmon, vt ſentiunt Patres, & Theologi, Chriſtum eſſe filium Dei cognoverit, prout viſis eius ſignis, & miris operibus coniectabat, nec potuerit ſe continere, quin clamaverit, *Scio quod ſis Sanctus Dei.* Et, *Quid mihi, & tibi, Ieſu fili Dei altiſsimi?* Et, *obſecro te, fili Dei, ne me torqueas*; at ne ſemel quidem clamavit, Scio te eſſe illius Virginis filium, quam Iſaias prædixit: quod ſanè non tacuiſſet, ſi per Virginis deſponſationem, res ſibi non fuiſſet omnino abſcondita.

Mar. 1. Luc. 4. Luc. 8. Marc. 5.

5 Ad obiecta vero ſapientiſsimi Abulenſi ſolutio non difficilis eſt, Diabolo eſſe notam Iſaiæ prophetiam de Emmanuele nobiſcum Deo ex Virgine naſcituro: quem, vbi ex Virgine non deſponſata natum vidiſſet, promiſſum eſſe Emmanuelem cognoſceret. Neque ipſi erat reccurrendi locus ad tantum beneficium homini puro à Deo conceſſum, quale eſſet ex Virgine, & ſine vlla neceſsitate naſci, ſed potius prophetiam eſſe impletam ſibi perſuaſum haberet. Hinc ſequitur multò meliùs ex conceptu, & partu Virginis, quàm ex duce ſtellá, & voce Patris in Iordane, ex viſiſque miraculis, Chriſti divinitatem arguere potuiſſe: tùm, quia literali Iſaiæ prophetià, in quo ſenſu Evangeliſta Matthæus eà vſus eſt, cogebatur. Tùm, quia Magi homines erant ſtellarum naturali cognitioni addicti, & falli poſſe, aut non tanquam Deum adoraſſe, credere poterat, ſed velut regem, vt ipſi dixerunt. Tùm, quia ex voce in Iordane audita, dubitare poterat, an filius naturalis, an adoptivus eſſet: & quidem ex ſuſcepto ibi baptiſmo, magis eſſe adoptivum crederet, quia filius Dei naturalis, niſi ob myſterium, & ſanctificationem noſtri baptiſmi, baptiſmo non egebat. Tùm denique, quia homines, néque adhuc viſis miraculis, eſſe Deum crediderunt, quem, non vt prophetæ, & alij ſanti, ſed virtute propriâ ea facere ignorabant, ſanèque ſimili diabolus ignorantià detinebatur. Hactenus pro divo Ignatio dimicatum eſt, cuius hæc etiam verba addere placet: Principem huius ſeculi latuit Mariæ virginitas, ipſiuſque partus, itemque Chriſti mors. Nam tria clamoris myſteria in quiete ac ſilentio acta ſunt.] Clamoris, inquit, myſteria; quia diabolus, ſi ipſum non latuiſſent, ea repetitis vociferationibus vbique gentium evulgaſſet. Præter has cauſas Chriſoſtomus (hom. 1. in cap. 1. Matth.)

D. Ign. Epiſt. ad Epheſ.

aliam

aliam adducit: Quoniam futurum erat, inquit, vt omnes ſancti de Virgine naſcerentur Eccleſiâ deſponſatâ Chriſto: ideo Chriſtus naſcitur de Virgine deſponſata, ne digniùs naſcerentur ſervi, quàm Dominus.

Cap. III. *Cauſæ ex parte Virginis, vt fuerit deſponſata, traduntur. Ioſephum non fuiſſe octogenarium, vt vult Epiphanius, quando cum eo Virgo fuit deſponſata, verior opinio eſt. Tum male pingi ſenem, ex Molani ſententia.*

1 PRIMA Secundæ claſsis cauſa eſt, vt Ioſepho de re domeſtica ſolicito, illa ſine quibus hæc vita temporâlis tranſigi non poteſt, Mariæ Sanctiſsimæ ſponſæ commodùm ſuppeditare, curæ eſſet: necnon, ſi quæ pericula occurrerent, ablegare; quę quidem inter pręcipua viri ſtudia numeranda cenſeo. Ex qua cauſa Ioſephum, vt eſt opinio Epiphanij, fuiſſe octegenario maiorem, ſenem prope capularem, probabilitate caret. Quis credat huiuſmodi ſponſum Marię Virgini quęſitum, cui non levia, & mollia; ſed gravia, laborioſa, ardua, & maximi momenti, vt ſunt omnia cœleſtia, commendanda erant? Scilicet ad ſenem annis frigidum, gelidę turpiſque ſenectę, qualem depingit Baptiſta Mantuanus, noctu veniſſet Angelus, excutereque lectuli, & ſomni torporem iuberet, vt is præ ſenio curuus, ſcipioni hęrens, & tardis greſsibus nutans, iam iam à tergo, inſtante Herode, & evaginato gladio, animam pueri quęrente, cum puero, & matre, de filij periculo nimium ſolicitâ, & pavidâ, in Ægyptum maturaret fugam: & inde rurſus, extinctis infantuli inimicis, poſt quatuor, vt minimùm, vel ſeptem, ad ſummum, elapſos annos, iuxta Patris Maldonati computum, in patriam reverteretur. Crediderim potiùs ego, cum Gerſone, & alijs, virum fuiſſe Ioſephum ætatis provectę, & adhuc vegetæ, his alijſque muneribus obeundis, idoneę; moribus vero, & prudentiâ hominem ſatis canum circumſpectumque, quem meritò ſanctiſsimę Virginis, ſi quem alium, deceret eſſe conſortem, eiuſque caſtiſsimo contubernio potiri. Et quidem ſplendidè fallor, ni ita expreſſus ab Evangeliſtis pingitur. Cui enim illa longa itinera,

Epiph. lib. 3. hær. 78.

Mant. Parth. 1. lib. 2.

& ſpatia pedibus emenſa, prępeditaque admodùm matris, & pueri veneranda ſarcina, conveniunt, niſi viro forti, & ætate valido, & qui viri ſemper nomine, nuſquam ſenis, iure ab ipſis donetur? Cui denique illa intemeratæ ſponſæ fœcunditas cœleſtis, & ſponſo inexpectata, niſi homini prudenti, ſeriò, & circumſpectè omnia meditanti? Vt fortis, & viribus pollens, non cauſatus eſt vnde cœleſtibus iuſsis non obtemperaret. Vt prudens, nihil in re intolerandi doloris præcipitantèr egit. Rectè ergo Ioannes Molanus in pictores ita invehitur: Ioſephum pictores quidam peſsimè pingunt tanquam ſimplicem homuncionem, qui vix quinque numerari poſsit. Per quorum inſcitiam, etiam in vulgi proverbium abijt, quod hominem parum cordatum aut induſtrium in agendis, Ioſephum agnominent. Quaſi vero talis præ omnibus alijs à Deo aſſumptus fuiſſet, vt eſſet cuſtos beatiſsimæ Virginis, & benedicti filij eius. A quibuſdam etiam pingitur in hiſtoria nativitatis Domini, tanquam grandævus ſenex, baculo præ ſenio nitens. Quibus Ioannes Gerſon inter alia opponit manifeſtam ſcripturam: *Habitabit iuvenis cum virgine, & gaudebit ſponſus ſuper ſponſam.*] Excuſat tamen Pater Caniſius pictores. Fortaſſe, inquit, ingenioſa vetuſtas dedit hoc populi ſimplicitati, vt etiam ſi Ioſepho iunior fuiſſet, quàm pingitur, tamen pro ſeniore vulgo haberetur, ad depellendam videlicet rei amatoriæ, & coniugalis congreſſus ſuſpicionem. Denique Abulenſis, non fuiſſe ſenem, ſed ad viri munia idoneum arguit, quia pater Chriſti putabatur, & quia non aliter famæ Virginis benè proviſſum fuiſſet, ſiquidem cum maiore dedecore ex Ioſephò non concepiſſe apparêret. Optime quidem, & pro noſtra ſententia non ficulneus Achilles.

Ioan. Molan. cap. 62.

Ioan. Gerſon Serm. de Nativ. Virg. Iſai. cap. 62. Caniſ. lib. 2. de B. Virg. c. 13.

2 Secunda cauſa eſt, vt Virginis famæ ac publicæ honeſtati conſuleretur, ne ſuſpicione ſiniſtrâ eius vitæ candor læderetur: nam quis eam concepiſſe non deſponſatam videret, qui non putaret copiam ſui feciſſe, & inde rapuiſſe conceptum. Pulchrè ergo Ambroſius: Maluit autem Dominus, inquit, aliquos de ſui ortu, quàm de matris pudore dubitare: nec putavit ortus ſui fidem matris iniurijs adſtruendam.] Itaque Chriſtus matris honori ſuum poſtponens, eam deſponſando, illius famæ providit, atque ita indignæ ſuſpicioni, maculas, vbi non erant, fingenti, omnem præcluſit aditum; ſe verò filium eſſe Ioſeph, ſuſpicioni expoſuit.

Loc. cit.

Ex

Ex quibus illa divi Epiphanij opinio rurſus enervatur. Quomodo enim Ioſepho ſene pluſquam octogenario, qui viri munia exequi non poſſet, illa indecens ſuſpicio amandaretur? Neque enim timenda eſt Ioſephi incontinentia, quòd vir integræ ætatis fuerit: alioquin vbi eſt eius ſemper à Patribus celebrata caſtimonia? Vbi pudicitiæ amor, ob quem integerrimæ Virginis ſponſus, & cuſtos eſſe meruit? Vbi ſponſa Virgo, quæ illi (Authore divo Hieronimo adverſus Helvidium) virginitatem inhalavit: quæ tanta erat Virgo, vt cum virum haberet, dicere potuerit, & dixit: *Virum non cognoſco*? Vbi tandem gratia Dei, cuius efficaciâ, meliùs quàm ille dixerim: Luc. 1.

Sed caſto quid forma nocet? Iuven. ſat. 10.

Et quam ille:

Caſta pudicitiam ſervat domus. Virg. Georg. 2.

3 Quo ſanè gratiæ, munitus auxilio, Henricus, cognomento Pius, Germaniæ Rex, virginitatem, raro exemplo, matrimonio iunxit, ſanctamque Cunegundam coniugem ſuam, propinquis eius, morti proximus, illibatam reſtituit:] Quod his verbis in eius feſto Breviarium Romanum refert. Quid ergo de Ioſepho exiſtimandum eſt, qui caſtus, & iuſtus erat, qui ampliori gratiæ, & ſanctitate effulſit: qui ſponſam Angelis puriorem habebat? Num minùs quàm de Henrico Rege? Nec hûc incongruè Chriſologi verba advocanda exiſtimo. Pervolat, inquit, ad ſponſam feſtinus interpres, vt à Dei ſponſa humanæ deſponſationis arceat, & ſuſpendat affectum, neque auferat à Ioſeph, ſed reddat Chriſto, cui eſt in vtero pignorata, cum fieret.] Quaſi velit eloquentiſsimus Pater perſpicuè oſtendere, nihil Chriſto Matris ſuæ virginitate antiquius eſſe: &, vt creditorem illius, quam pignori à prima Mariæ in vtero formatione accepit, ſartam tectam illibatamque velle, & ſedulo illam cuſtodire ſub Ioſepho ſponſo, à quo non vult auferri, ſed ſicut fuit oppignorata ſibi, cum Virgo fieret, vt ſit eius Mater, puriſsimam ac intactam ſibi reddi. Vnde opportunè colligo Virginem Mariam nulla originalis culpæ macula fuiſſe conceptam: ſiquidem ab eo inſtanti pignori data eſt Chriſto. Num ille pignus acciperet peccato tinctum, diabolo mancipatum? Immunis ergo fuit originali labe, & digniſsimum Chriſto Domino creditore pignus. Brev. Rom. Chriſol. ſer. 140.

4 Tertia demum cauſa eſt, quam Hieronimus etiam ponit,

Digitized by Google

ne innocens Virgo à Iudæis tanquam adultera lapidaretur, ſi eam non deſponſatam concepiſſe vidiſſent. Erat enim ſic ſtatutum in Deuteronomio, quando in puella virginitas à viro ſuo inventa non eſt: vnde ille poterat eam adulterij accuſare, & Iudæis lapidandam tradere. Id vero prudentiſsimè noluit Ioſeph, ſed potiùs ſuam ſponſam occulte dimittere voluit: quia, vt arguit Abulenſis, an Virgo ex adulterio concepiſſet ante, vel poſt matrimonium contractum, non ſibi conſtabat, nec talis rei veros poterat teſtes exhibêre. Tum quia ſibi timebat, Virginem iudicio matronarum vrginitatem illæſam oſtendere poſſe. Tum quia ſi aquarum amariſsimarum iuxta zelotipiæ legem, examine erat purganda, cum innocenti nihil nocerent, huiuſmodi experimentum ſeu torturam, Virgo non recuſaret ſubire. Itaque Ioſeph, quò ſe verteret, niſi ad occultam ſponſæ dimiſsionem, non habebat. In quo quidem delatoribus & accuſatoribus mirum exemplum dedit: qui, ſi pij ſunt & iuſti, vt ille, nunquam non præ oculis illud imitandum habebunt: vt crimen, niſi re bene diſcuſsâ, ad iudices non deferant; res enim eſt gravis & periculoſa, cum ingentique famæ & honoris proximi damno, quod vix poſtea deleri poteſt, quia quoddam vulnerati honoris veſtigium relinquit. Ideo ſapiens monet: *Sine conſilio nihil facias, & poſt factum non pœnitebit.* Et alibi: *Palpebræ tuæ præcedant greſſus tuos.* Quia videlicet ſicut errat pes, in præcepſque fertur, quem oculi non dirigunt: ita delator in accuſatione, tàm nocentis, quàm innocentis, ſi temerè, & diligenti non factâ apud ſe conſultatione procedat.

Deut. cap. 22. Abul. in Mat. quæſt. 34. Num. cap. 5. Ecclici. 32. Prov. 4.

Cap. IV. *Cauſæ, quæ ad noſtræ Fidei aſſenſum pertinent, exponuntur. Virgo Maria deſponſata Eccleſiæ orthodoxæ typus eſt. Hæreticorum Eccleſiæ meretricem magnam ſuper beſtiam ſedentem pro typo habent. Virginitas & matrimonium in Virgine deſponſata ſimul honorantur.*

1 DENIQUE Claſsis tertiæ prima cauſa eſt, vt nobis in Ioſepho Virginitatis Mariæ fideliſsimus, atque irrefragabilis daretur teſtis, cui multis nominibus indubitata fides adhibenda eſt. Etenim ille, vt ſponſus, honeſtiſſimos ſponſæ ſuæ mores optimè norat ac penetrarat: ille anxius

hæſit,

hæſit, viſo in caſtiſsimâ ventris tumore: ille, quamvis rei tantæ ſolicitus cognitor, nihil tamen quod Virginis candorem ne leviter quidem obſcuraret, invenit: ille ignarus cœleſtis in Virgine intacta fœcunditatis, zelotypi in morem, violatam thalami fidem ſuſpicatus eſt: ille ab Angelo Gabriele didicit eſſe de Spiritu Sancto, qui non detraxerat, ſed ſuæ ſponſæ divinitùs auxerat pudorem, quod in Virgine natum eſſe videbat: ille supernè admonitus, indubitantèr credidit, & accepit reverentèr coniugem ſuam, vt ei mandavit Angelus: ille tandem coniunctum incolumi cum pudicitia divinum conceptum admiratus eſt. Proinde ex tam locuplete pudoris teſte, vt ſcribit Ambroſius, etiam fides Mariæ verbis maior adſciſcitur, & mendacij cauſa removetur. Videretur enim culpam obumbrare voluiſſe mendacio innupta prægnans. Cauſam autem mentiendi, indeſponſata habuit, deſponſata non habuit: cum coniugij præmium, & gratia nuptiarum, partus ſit fœminarum.] Pulchrè vero Bernardus Thomæ dubitationem de Chriſti reſurrectione, & Ioſephi ſuſpicionem de Virginis adulterio, miro modo conſonare arguit: vt nihil dubitationis de Chriſti reſurrectione, nihil ſuſpicionis de Virginis integritate, nobis relinqueretur, ſed vivacior noſtra fides arderet. Nam & de filij reſurrectione, inquit, ego (qui infirmus ſum) citiùs quidem crediderim Thomæ dubitanti & palpanti, quàm Cephæ audienti & credenti: & de matris continentia faciliùs ſponſo eius cuſtodienti & experienti, quam ipſi quoque Virgini de ſolâ ſuâ continentiâ ſe defendenti.] Videlicèt hominum conditio non fert, vt quis de ſua innocentia, cum accuſatur, vel in criminis ſuſpicionem venit, teſtimonium dicat: ſi enim dicat, tunc minus creditur, & fidem ſuam elevat. Ex hac quippe conditione, vel etiam ex affectata malitia, Chriſto Domino à Iudæis obiectùm eſt: *Tu de te ipſo teſtimonium perhibes: teſtimonium tuum non eſt verum.* Ad id Chriſtus, non ſolum hominem, ſed Deum eſſe, quod illi nolebant credere, reſpondit: cuius quidem teſtimonium verum ac infallibile eſſe, neceſſe eſt. *Ego ſum, inquit, qui teſtimonium perhibeo de me ipſo, & teſtimonium perhibet de me, qui miſit me, Pater.* Sic etiam ille adſtruens, ſolius hominis, quantumuis boni, de ſe teſtimonium, non eſſe fidei idoneum, quia, *omnis homo mendax*, & nimis in cauſâ propriâ ſuſpicioſus. Quam obrem eloquentiæ Princeps ait: Itaque more maiorum comparatum eſt, vt in minimis rebus homines

Math. 1. — D. Ambr. hic. — D. Bern. hom. 2. ſup. Miſ. e. — Ioan. 8. — Pſalm. 115. — Cic. orat. 2. pro Roſc.

am-

Digitized by Google

ampliſsimi teſtimonium de ſua re non dicerent. Africanus qui ſuo cognomine declarat, tertiam partem orbis terrarum ſe ſubegiſſe, tamen, ſi ſua res ageretur, teſtimonium non diceret: Nam illud in talem virum non audeo dicere: Si diceret, non crederetur.] Benè ergo comparatum eſt, vt ampliſsima, iuxtaque caſtiſsima Virgo de ſuâ illibatâ pudicitiâ teſtimonium non diceret, ſed Ioſeph, cui erat deſponſata; Nam neque ego illud in talem tamque ſplendidam Virginem audeò dicere: Si diceret, non crederetur.

2 Secunda cauſa eſt, quam magni Patres & Doctores tradiderunt, vt in Virgine viro deſponſata Catholicæ Eccleſiæ, quæ Virgo eſt, & Chriſto deſponſata, typus clariſsimus nobis daretur. Sic Auguſtinus, quem ſequitur Divus Thomas: tum Ambroſius, Gregorius Magnus, Iſidorus, & alij, qui Eccleſiam Virginis Mariæ ſimilem, ab ea vivis deſumptis coloribus, adumbrant. Sicut enim Virgo de Spiritu Sancto concepit, & ſine dolore peperit, virgoque permanſit: ſic Eccleſia fideles, Divino fœcunda ſpiritu, Deo immaculata generat, ſine dolore parit, & incorrupta permanet. Videte quàm nobilem, quàm illuſtrem,glorioſiſsimumque typum orthodoxa Eccleſia nacta ſit, cuius ego non tantùm ſacrum typum, ſed archetypum dixerim, ſiquidem deſponſata Virgo Maria, ſine exemplari, ipſa eſt prima quæ concepit virgo, quæ mater & virgo peperit, & ſervato virginitatis flore, poſt partum ſemper effulſit. Ipſa eſt, quæ Eccleſiæ dedit ſponſum, qui cum eſſet Deus, illum ipſum, Deum hominem concepit: cuius nos virtute & efficientia, qui homines ſumus, intra Eccleſiam ſponſam ſuam ſpirituàliter geniti, dij fieremus, *& filij excelſi omnes*. Dicant modo hæretici ſuarum Eccleſiarum, mutuò inter ſe digladiantium, mutuo ſeſe perimentium, qualem typum habeant? Profecto Maria, Virgo deſponſata, non eſt. Etenim illa typus eſt vnius Eccleſiæ Romanæ, cui cœteræ ſub vno Paſtore, Chriſti Vicario, & ſucceſſore Petri, firmiter adhærent; non multarum Eccleſiarum, ſub Calvino, ſub Luthero, alijſque monſtris, inter ſe diſsidentium. Illa eſt immaculatus typus incorruptæ & immaculatæ Eccleſiæ de Divino Spiritu filios ſpirituales concipientis & parientis: non turpium corruptarumque Eccleſiarum, quas de ſuo ſeu diaboli ſpiritu, mille erroribus Calvinus, Lutherus, Menno, ſectarijque gravidarunt, & quotidie ſuperfœtare abortirique faciunt ſimilem patribus ſobolem, fide mortua mortuam, illotam,

Auguſ. lib. de S. Virginit. c. 6.
D. Thom. 3. part. quæſ. 29. art. 1.
Greg. in Pſal. 4. pœnit.
Iſidor. in libr. Allegor. nov. teſt.
Pſalm. 81.

fame-

fameque languidam, quia non verâ fide animatur, non vero baptiſmo abluitur, non tandem vitæ pane ſuſtentatur. Denique, illa nequit eſſe typus harum Eccleſiarum, quarum filius eius, Chriſtus Dominus, non eſt ſponſus: neque enim dignæ ſunt tali typo, tantoque ſponſo, ſiquidem in eis non eſt veritatis verbum, ſed mente depravatur ac adulteratur ſpuriâ: ibique plus blaſphemiarum, quàm laudum, de Virgine Matre, eiuſque ſanctiſsimo filio, à nequiſsimis miniſtris prædicatur, & à deceptis populis lubentèr audiuntur. Neceſſum ergo eſt talium Eccleſiarum typum eſſe illam mulierem ſedentem ſuper beſtiam, à Ioanne nomine Babylônis magnæ, & matris fornicationum & abominationum terræ, deſignatam; etenim huic typo conformes, quid aliud de poculo verbis ſpecioſo, & fallacijs pleno, niſi abominationem, mendacia, erroreſque, ſuis populis propinant? Apocal. c. 17.

3 Sit denique tertia & vltima cauſa, dicente Divo Thoma, Mater Domini fuit deſponſata & Virgo, quia in perſonâ ipſius & Virginitas & matrimonium honorantur, contra hæreticos alteri horum detrahentes.] Quid mirum, ſi nihil non virtutis, & ſacramentorum, hæretici infamant: ad hoc intenti, quomodo, quod bonum ſanctumque eſt, malitiâ ac oris ſui veneno infeſtent? Sunt tamen qui Virginitatem reprobare, & matrimonium vno eodemque exemplo Virginis deſponſatæ laudare audent; in quo ridiculi verè ſunt, & neſcio, qua fronte id audent: nam ſi coniugium laudabile eſt, quòd Chriſtus Dominus de Beata Maria deſponſata naſci voluit: laudabilis quoque, & quidem laudabilior Virginitas, quia iuxta Divum Paulum, matrimonio eſt perfectior, & ipſe Chriſtus ſimul de Virgine naſci elegit. Vnde, ſi ex hac cauſa matrimonium laudant aprobantque: laudent approbentque Virginitatem & cœlibatum, neceſſe eſt: vtriuſque enim Chriſtus eſt Author, & mirabili nexu, ad exemplum & imitationem fidelium, vt quodlibet illorum eligant, in matre ſua, Virgine deſponſata, copulavit. Itaque Virginitatem & matrimonium in perſona Virginis honoravit, nec in excellentiori perſona potuit, in qua Virginitas, matrimonio iuncta, clariores caſtitatis radios effudit, dum ex Sancto Spiritu Deum hominem mundo edidit; vnde Ambroſius rectè: Quid ad concelebrandam Virginitatis glo- D. Thom. vbi ſupra. D. Paul. Cor. 1. cap. 7. Ambr. de inſtit. Virg. cap. 17.

 riam,

Digitized by Google

riam, plus conſerre potuit Dominus, quàm, vt Deus ex Virgine naſceretur?] Atque itidem, matrimonium Virginitati iunctum, quantum prævaleat, oſtendit: quòd non corpora ad libidinem iungit, ſed animos charitatis vinculo ad perfectionem ſtringit. Sanè ad Virginis Mariæ exemplum & gloriam habemus, quos memoremus, caſtiſsimos coniuges, Valerianos Cœcilias, Iulianos Baſiliſſas, Henricos Chunegundas, Eduardos Edithas, Eghardos Catharinas, Elzearios Delphinas, & alios, quos longum operoſumque eſſet retexere. Non tamen de his incongruè dixero, quod in divino Epithalamio
Cant. 2. de Chriſti ſponſa canitur: *Sicut lilium inter ſpinas*, fuiſſe; nam & tales hi floruerunt illæſâ Virginitate inter matrimonij ſpinas & tribulos: etenim matrimonium conſummatum ſpinas & tri-
Div. Paul. 1. Cor. cap. 7. bulos germinat, dicente Apoſtolo: *Tribulationem tamen carnis habebunt huiuſmodi*; hâc vero ſanè Virgines coniuges non punguntur.

EPITHETON II. EX D. LVC. CAP. I.

GRATIA PLENA.

Cap. I. *Huius Epitheti excellentia, & à quo hauſerit Angelus, vt Virgini tribueret. Eo conceptio eius immaculata probatur. Eſt perpetuum & ſingulare illi.*

1 MIRA Huius Epitheti celſitudò, in exponendâ internâ Virginis pulchritudine, vi quadam profectò exuberat divinâ. Non enim illud ab Ariſtotele argutè diſputando, non à Cicerone ornatè dicendo, non ab Homero, aut ſibi pari Virgilio, ſuaviter canendo, quorum non eſt tam altè ſaperè, inventum eſt. Angelus ergo, cui nullus vatum, vel Rethorum comparandus eſt: imo neque ipſe ſibi, ingenioque ſuo, quantumvis maximo, relictus, illud invênit. Miſſus eſt à Deo, inquit Evangeliſta, cœleſtis nuncius: & hinc Patres, quos laudat Silveira, putant illum, vt tanto muneri congruum, de altiſsimo myſterio Virgini

Digitized by Google

gini nunciando, non ab alio quam à Deo inſtructum & illuminatum pariter fuiſſe. Accedit Simon Caſianus in ſermone Annunciationis, quem neſcio quomodo eo loci adverſantem facit Silveira. Etenim quæ ego lego hæc ſunt: Advocatur à Deo in illa concione intellectualium ſubſtantiarum ſingularis ſpiritus adminiſtratorius Dei factus, & nulla meditatione corporalium vocum, ſibi ſecreta panduntur.] Docet ergo myſterium non prius alijs Angelis ſuperioribus, à quibus Gabriel poſſet illuminari, fuiſſe revelatum. Itaque, cum ei, Deo dumtaxat illuminante, ſeque exponente, ineffabile arcanum innotuiſſet: ex eo, dubio procul, Virgineæ coniectare & præſagire potuit amplitudinem gratiæ, vt exiſtimat Divus Laurentius Iuſtinianus: Didicit ſanè, inquit, ex præſagio quanta qualiſque erat, ad quam dirigebatur ſalutandam.] Et poſt pauca: Ipſius gratiæ plenitudinem cœleſtis nuncius perſenſit, cognovit, manifeſtavit, & dixit: *Ave gratia plena.*] Optime quidem ex myſterio, cui deſtinabatur Virgo, tanquam ex inelluctabili principio, colligebat perſpicax Angelus illam eſſe, cùm auguſto modo cœleſtium capaciſsimam, tùm gratiâ exornatam, quæ ampliſsimam eius capacitatem implebat. Verum quis dicere non audeat Deum clariori & expreſsâ futuræ matris notitiâ nuncium ſuum honoraſſe, & theſauros gratiæ, quos in eâ cumulaverat, ei oſtentaſſe? Auſim ego cum Simone Caſiano. Oſtenderat, inquit ille, Angelo omnipotens, qui delegaverat eum, quæ & qualis eſſet hæc Virgo, & quibus copijs ditata conſiſteret, cum omnium abiectâ copiâ rerum, ſolum polleret plenitudine gratiarum.] Quòd ſi, vt mihi magis perſuadeo, ita Deo Angelum mittenti placuit; quid moror, in eo aſſerere æternæ maieſtatis inexhauribili volumine, omnium vidiſſe gratiarum dono locuplutatam Virginem, & digniſsimum, quo gratiâ plenam ſalutaret, legiſſe & didiciſſe Epitheton: præſertìm, cum ibi eo hauſto, poſſet confidentèr & indubitantèr electæ Virginis gloriam mundo prædicare: tandemque omnem aditum præcludere, vt nemo ſit, qui, vel non eſſe graphicè, ad vnguem, examuſsimque deductum, obiectare poſsit; vel blaterare, vt Novatorum non pauci, nihil præter blandimenta, ſeu aliquid amatorium, ſonare. Nam ſi Homero, apud ſuum interpretem, laudi datur, quòd omnia

Lib. 1. cap. 5. de Annunc. q. 7.

Serm. de Annunc.

Caſian. lib. 2. ca. 2. de Miſt. verb. Incar.

nia ferè Eorum Epitheta, vel ab animi affectibus, vel ab actionibus, vel ab aliis, quæ ad corpus pertinent, vt diligentiſsimus vates deduxerit: numquid poterit hæc laus cœleſti Angelo, ſpirituali intelligentiæ, denegari, qui, non ſicut Homerus, in fallenti phantaſia, ſed in divino, ſemperque veraci, Sanctiſsimæ Trinitatis ſpeculo, intaminatos fulgentiſsimæ animæ affectus, actiones omnino cœleſtes, hiſque reſpondentem modeſtiſsimi corporis pulchritudinem, altè meditatus eſt Virginis?

Lib. 1. in ſom. Scip. cap. — 2. Addo, quod Epitheton *gratia plena*, ſi pro rei dignitate perpendatur, ad res divinas & ſuperiores ſpectat. Teſtis eſt Macrobius: Plenitudo enim, inquit, proprie niſi divinis rebus ſuperniſque non convenit: neque enim corpus propriè plenum dixeris, quod cum ſit ſui impatiens effluendo, alieni eſt appetens hauriendo.] Et ſanctior adhuc teſtis Sacra Scriptura, in rebus divinis ſignificandis & promovendis illo vtitur Epitheto. Apud Eccleſiaſticum: *Gloria Domini plenum eſt opus eius.* Et apud Ioannem: *Plenum gratia & veritatis.* Et notandum cum Divo Gregorio ad illa Iobi verba: *Et mortuus eſt ſenex plenus dierum*: In Sacra Scriptura non facile plenus dierum proponitur, niſi is cuius per eandem Scripturam vita laudatur.] Eodem quoque humaniores literæ vtuntur. Sic Virgilius.

Eccleſ. 41. Ioan. 1. Iob. 42.

Virg. Eccl. 3.

Ab Iove principium Muſæ: Iovis omnia plena.

Et Horatius:

Hor. Carm. lib. 2. od. 19.

Evæ recenti mens trepidat metu
Plenoque Bacchi pectore turbidum
Lætatur, Evæ, parce liber,
Parce gravi metuende thyrſo.

Et rurſus:

Lib. 3. od. 25.

Quo me, Bacche, rapis tui
Plenum? Quæ in nemora, aut quos agor in ſpecus,
Velox mente nova?

Propriè ergo, dùm Beata Virgo ab Angelo gratiâ plena prædicatur: eius interna pulchritudo, mirus ſui ſpiritus decor, ſanctiſsimæque vitæ candor, atque fulgentiſsima merita, extolluntur. Sapienter ſanè dixit ille: Plenitudo propriè niſi divinis rebus ſuperniſque non convenit. Et ex Scriptura magnus

tus Gregorius advertit, quod nemo plenus dierum dicitur, niſi is cuius vita laudatur. Propterea vbi illa de gratia & pulchritudine corporis loquitur, ait: *Fallax gratia, & vana eſt pulchritudo: mulier timens à Dominum ipſa laudabitur.* Quo nos docet, non ſolida, non vera, non plena, ſed fallacia, vana, vacua, quæ ad corpus pertinent: vnumque nobis relinqui laudandum, nempe animæ, ſeu mulieris, decorem timentis Deum; quod fecit Angelus, cum dixit: *Ave gratia plena.* Prov. 31.

3 Neque id tantùm tali Epitheto, ſed aliquid altius, nobis intelligi datur: Etenim inter Epitheta, quædam dicuntur perpetua, quia rei, cui affiguntur, ſemper conveniunt. Eiuſmodi eſt verſatile, aut vertibile, quod cœli Epitheton eſt perpetuum, inquit Servius ad illud Poetæ:

Vertitur interea cœlum. Enæi. lib. 2.

Et vrbes perpetuo dicuntur Epitheto altæ, ex eodem Poeta.

Albanique Patres, atque altæ mœnia Romæ. Enæi. lib. 1.

Sic etiam Horatius:

Et altis vrbibus vltimæ
Stetêre cauſæ cur perirent
Funditus. Horat. lib. 1. Carm. od. 16.

Ergo & Virginis Mariæ, quæ nunquam non fuit gratià plena, perpetuum id eſt Epitheton, ſemper ei debitum, in omni tempore, in omni inſtanti, & in eo primo præſertim, in quo dictum eſt: Concepta eſt Virgo orbis bono, & mortalium ſaluti: vnde rectè in gratià conceptam, nulloque primigeniæ labis nævo maculatam, aſſerere poſsimus. Iam ſanè tunc ipſa Deo, qui conceptam ſibi matrem lætus videbat, & gratulabatur, plene adhærens, & omnibus gratiarum locupletata muneribus, prædicata eſt. Proinde Angelus Gabriel illam, ſuppreſsà omnium temporum differentià, gratià plenam ſalutat, vt nunquam non gratià plena intelligatur. Neque enim cœleſtis nuncius in Virginis ſalutatione vnum tempus apponeret, vt à plenitudine gratiæ Mariæ, alterum excluderet. Hoc itaque ſibi cavit, ne quid minus diceret: & ſilendo tempora: didicit omnia ſimul proferre. Huc reſpiciunt illa verba, *Dominus tecum,* quæ antecedentium, vt plures volunt, expoſitio ſunt, & ſub eundem ſenſum intelligenda, & de quibus conſequentèr, merito

Digitized by Google

rito Nicolaus Gorranus ait: Angelus nec eſt, nec erit, nec fuit appoſuit, ne ſcilicèt alterum apponens, reliquum videretur negare. Et fortaſſe id exigebat Epitheton, quia Virgo (iuxta Patres cap.ſeq.laudandos) plena fuit gratiâ, vt digna Chriſti Domini efficeretur Mater: alioqui, tanto idonea muneri non eſſet. Vnde illuſtris Doctor, & Martyr Inclytus, atque Giennenſis Eccleſiæ Sanctiſsimus Pontifex, D.Petrus Paſchaſius de Valentia, Regalis ac Militaris Ordinis B. M. de Mercede, Redemptionis Captivorum glorioſiſsimus filius, & antiquiſsimus Deiparæ in gratia conceptæ Propugnator, ante quadringentos amplius annos ſcriptum reliquit: *Hæc Beata Virgo eſt ea, de qua Proverbia Salomonis loquuntur, quod ante omnem creaturam fuit electa, vt Dei Mater eſſet. Ergo prædicta Virgo fuit omni tempore in gratia Dei.* Hæc ille, tit.23.

4 Apparet hinc quoque, ſicut perpetuum, ita ſingulare Virginis Epitheton eſſe: nam perpetua gratiæ plenitudo, à primo eius fauſtæ fœliciſque vitæ puncto, inſolitam & novam gratiæ plenitudinem infert: non ſolùm, quia non antea, vt Patres dignè ponderànt, audita eſt, aut in Sacris Scripturis lecta huiuſmodi ingens ſalutatio: ſed etiam, quia nullus eſt gratiæ procer, quamtumvis iuſtus (Chriſto Domino ſemper excepto) cui conveniat: cum nemo ſit, qui perpetuo Epitheto, nullum vitæ tempus, aut inſtans excludente, plenus gratiâ valeat prædicari. Proinde inter Virginem & eos Sanctos, qui in Sacrâ Scripturâ, pleni vel gratiâ, vel Spiritu Sancto appellantur, longum interiacet diſcrimen. Omnes enim, quicumque hi ſint, non vt Virgo ab initio animationis (cuius eſt hoc inſigne & ſingulare privilegium) ſed multo poſt, pleni vel gratiâ, vel Spiritu Sancto fuère, à quò etiam tempore eo Epitheto decorati. Non tamen me latet alia ab Interpretibus produci diſcrimina, quæ velim in Patre Maldonato optimo expoſitore legatis: ſat mihi, quod eſt mei inſtituti, appoſuiſſe. At non gravabor, ſi dignum Divo Bonaventura proferam teſtimonium. Immenſa, inquit, fuit gratia, qua Virgo fuit plena: immenſum enim vas non poteſt eſſe plenum niſi immenſum ſit iſtud, quo eſt plenum: Maria autem vas immenſiſsimum fuit, ex quo illum, qui cœlo maior eſt, continere potuit. Si ergo Maria tam capax fuit ventre, quanto magis mente.] Hinc

D. Bonav. in Spec. Virgin. cap.5.

ego

Digitized by Google

ego ſubinfero : Ergo tantum intereſt inter Virginis & aliorum Sanctorum plenitudinem, quantum inter eius & illorum capacitatem. Maria quidem vas immenſiſsimum dicitur: quis de aliâ purâ creaturâ, id vel ex aggerando aſſerat? Iure dicam:

Tantùm inter Divos Virgo caput extulit altos,
Quantùm lenta ſolent inter viburna cupreſsi.

Vel, vt ſanctius eloquar, ſicut Saul ab humero & ſurſum eminebat ſuper omnem populum: ita Virgo gratiâ plena ſuper omnem Sanctorum cœtum eminet. Vel tandem, vt digniùs ponderem, Divi Petri Damiani calamo vtar, qui ad illa verba, electa vt ſol: Nihil, inquit, habuit ſpiritus in viſibilibus creaturis excellentius, cui excellentiam Virginis compararet. Hic vero, ideſt ſol, lucidiùs excandeſcens, ita ſibi ſiderum & lunæ rapit poſitionem, vt ſint quaſi non ſint, & videri non poſsint. Similiter virga Ieſſe, veri prævia luminis, in illâ inacceſsibili luce prælucens, ſic vtrorumque ſpirituum hebetat dignitatem, vt in comparatione Virginis, nec debeant, nec poſsint apparere.] Et alibi: Non denique, excellentiſsimus ille Patriarcharum chorus: non providus Prophetarum numerus: non iudex Apoſtolorum ſenatus: non Martyrum victor exercitus: non aliquis antiquorum, non quiſquam ſequentium Patrum, huic beatiſsimæ Virgini poterit comparari: nec mirum, ſi cunctorum merita tranſcendat mortalium, quæ & ipſa ſuperexcedit celſitudinem Angelorum.] In quibus poſtremis verbis clare docere videtur, omnium Angelorum, omniumque Sanctorum gratiam, ſimul & in vnum cumulum congeſtam, ſeu, vt in ſcholis dicitur, non diviſim, ſed collectivè ſumptam, Beatæ Virginis gratiæ & meritorum plenitudine longe lateque ſuperexcedi. Quod etiam authoritate Patrum, & ratione, eximius Doctor Pater Suarez, noſter Saavedra, & alij plurimi, Theologi, & Interpretes, accuratâ diſcuſsione defendunt.

[Margin: 1. Reg. cap. 9. — Dam. ſerm. de Aſſump. — Serm. de Nat. — Suar. tom. 2. in 3. pa. quæſ. 37. art. 4. dup. 18. ſect. 3. cóclu. 2. Saav. de Sacr. Deip. diſp. 6.]

****

Digitized by Google

Cap. II. Mariam in ſe fuiſſe gratia plenam, certum eſt. An ob illam, quæ erat in ſe, gratia plena dicatur, non eſt vna Patrum mens: facilè tamen conciliatur. Singularis Patris Stellæ expoſitio reſumpta. Cur Angelus Virginis nomen tacuerit?

1. AGE Iam, ad variam pulchramque Patrum & Interpretum commemorandam expoſitionem accingamur. Et ſuppono tanquam certum, eos non dubitare Virginem pleno gratiæ & comitantium donorum ornatu interiùs effulſiſſe: quia, cùm ſemper, maximè tunc temporis, quo fœliciter apta, & idonea myſterio Dei matris in illâ celebrando, præparabatur. Expreſsit id paucis verbis Angelicus Magiſter: In quâ quidem ſalutatione, præmiſit idoneitatem ad conceptum, in hoc quod dixit: Gratiâ plena. Et Author Græcus apud eundem, ait: Quod autem digna cognoſceretur ſponſalium, atteſtatur cum dicit, Gratiâ plena: quaſi enim quædam arra aut dos ſponſi oſtenditur, quòd fœcunda ſit gratijs.] Expreſsiùs adhuc à Lapide: Significat, inquit, hæc vox (ſcilicet Gratiâ plena) Beatam Virginem fuiſſe à Deo gratiâ donatam, idque plenè, & per excellentiam ſuper alios iuſtos, nam hoc Epitheton appropiatur hic ſoli Beatæ Virgini, vt ſcilicet per gratiam hanc eminentem aptaretur, dignaque efficeretur, vt mox fieret mater Dei] Nec omittendus eſt Divus Dionifius Carthuſianus, qui omnem in Beatâ Virgine gratiæ ſupellectilem nobis expandit: Gratiâ plena, ideſt, gratiâ habituali gratum faciente, eiuſque chariſmatibus ac donis, virtutibus quoque ei annexis præeminentèr repleta. Fuit ergo iam ſeptem donis Spiritus Sancti excellentèr valdè ornata, virtutibus Theologicis mirabilitèr decorata, virtutibus cardinalibus, ac moralibus elegantèr fulcita, varijs quoque donis gratiæ gratis datæ polita, atque in his omnibus protinùs multo amplius adimplenda.]

3.part.quæſt. 30. art.4. in corp.

In cat. D.Th.

Corn. Luc. 1.

Carth.Luc. 1.

2 Ex his ego rectè colligo Epitheton Gratiâ plena, Virginis Matris eſſe demonſtratium, ſiquidem in eo dicendi genere Angelus Rethorem egit, demonſtrando Virginem (non op-

tan-

tando, vt quidam immeritò volunt) per gratiæ plenitudinem eſſe iam divino quidem conceptui idoneam, & mox matrem, ſuperno modo, planeque admirabili, futuram. Nec prætereundum, quantam ille, vt cœleſtis orator, artis peritiam oſtenderit, qui vno tantùm Epitheto vtens, breviter, digneque decentiſsimum Deo thalamum in Beatâ Virgine iam paratum manifeſtavit: erudienſque ſimul nos, quo ſanè hoſpitio illum excipere debeamus. Itaque Epitheta tribus modis ponuntur, aut laudandi, aut demonſtrandi, aut vituperandi ergô, vt docet Servius ad illud Virgilij:

Succinctam pharetra, & maculoſæ tegmine lyncis. Enæi.lib. 1.

Epitheton igitur gratiâ plena laudat, & demonſtrat Virginem, vt ſolem denſis gratiæ ſplendoribus ſulgentem, in quo divinus ſponſus, mox ſeſe recipiens, ponet tabernaculum ſuum.

3 Cæterùm hinc naſcitur dubium, an Virgo gratiâ plena dicatur, quâ interiùs ornata erat, vt digna mater Dei eſſe poſſet. Circa quod Pater Maldonatus, cuius hæc ſunt verba, Hic ſcribit: Quidam gratiæ plenitudinem vocant, quòd in ea Chriſtus ipſe habitaret, in quo habitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter, & in quo ſunt omnes Theſauri ſapientiæ, & ſcientiæ Dei. Hieronimus, & Sophronius, & Auguſtinus, & Emiſſenus, & Petrus Damianus, & Bernardus. Hi ipſi Authores hoc inter ſe diſſentiunt, quod alij, quòd iam concepiſſet, alij, quia mox conceptura erat Chriſtum, gratiâ plenam vocari putant. In illis eſt Hieronimus, & Gregorius Neocæſarienſis, in his Ambroſius, Auguſtinus, Sophronius, Chriſologus, Beda, Rupertus, & Athanaſius, quorum ego ſententiam probabiliorem iudico.] Quam ſententiam his quoque rationibus ipſe fulcit: Neque enim Angelus, qualis cum Chriſtum concepiſſet, futura eſſet: ſed qualis iam eſſet, illi voluit ſignificare. Et nondum Mariam concepiſſe, cum hæc illi Angelus dixit, ex ſequentibus perſpicuum eſt, & Græcum verbum, quod noſter interpres gratiâ plenam reddidit, præteriti temporis eſt. Itaque cum de conceptione agitur, perſpicuè Angelus docet, nondum concepiſſe, ſed concepturam eſſe: cum de gratiæ plenitudine, non implendam fore, ſed plenam iam eſſe dicit. Et ſi rem ipſam remotis conſideremus verbis, maioris vtique fuit gratiæ, quòd Deo Maria grata, quàm

Dubium. Mald.hic.

Ad Coloſ. ca. 2.

Digitized by Google

quòd Dei mater eſſet, vel Chriſto ipſo teſtante, & muliere illa dicente, *Beatus venter qui te portavit, & vbera quæ ſuxiſti.* Nam reſpondit: *Quinimo beati qui audiunt verbum Deì, & cuſtodiunt illud.* Denique, ſi propterea gratiâ plena diceretur, quòd Chriſto in vtero concepto plena eſſet, poſtquam peperiſſet, gratiâ plena eſſe deſijſſet: quod merito Athanaſius, tanquam abſurdum refellit.]

Luc. cap. 11.

4 Quid tandem ipſe ſentiat, ſic aperit: Addo non dici gratiâ plenam, meâ quidem ſententiâ, neque quòd concepiſſet, neque quòd conceptura eſſet Chriſtum, ſed quòd ipſa in ſe, quamvis non ex ſe, plena eſſet gratiâ, quâ quidem digna facta eſt, vt Chriſtum conciperet, licet eam tam plenam tamque abundantem gratiam, niſi conceptura Chriſtum fuiſſet, non habuiſſet. In hunc illi vſum data eſt, vt idonea Chriſti mater efficeretur. Id hac ratione facilè conſtabit. Non implenda, ſed plena iam gratiâ vocatur, vt paulo ante ex græco verbo demonſtravimus. Chriſtum autem nondum conceperat, ſed conceptura erat. Ergo non vocatur gratiâ plena, quòd iam concepiſſet, aut quòd conceptura Chriſtum eſſet. Atque hoc etiam modo, ſi rectè intelligantur, mihi videntur Ambroſius, Auguſtinus, & Beda ſentire. Huiùſque ille.

5 Hæc quidem adeo vera ſunt, vt mihi perſuadere non poſsim, quòd prædicti Patres ab eis diſſentiant: quam obrem in huius capitis principio, eos de hac re, ne dubitare quidem, tanquam certum ſuppoſui, & aliquorum teſtimonijs oſtendi. Itaque illos facile conciliari, & intelligi poſſe exiſtimo, ſi quando Virginem beatam, quia concepiſſet, vel conceptura erat Chriſtum, gratiâ plenam putare videntur: dicamus ob hanc cauſam liberum fuiſſe eis intelligere, non ab ornamento, interiorique Virginis pulchritudine, quâ illam Dominus impleverat, vt ad celſam matris dignitatem, vt par erat, eveheret: ſed à Chriſto, quem iam concepiſſet, vel mox conceptura erat, gratiâ plenam prædicari, & vocari. Et ſuadet ratio, quia ab Authore gratiæ, à ſupernæ plenitudinis fonte, à quo gratiæ plenitudo in Virginem emanabat, tanquam à digniori celſiorique gratiâ, voluerunt; & meritò Patres, illam interdum gratiâ plenam vocari; quamquàm benè noverant in ipſâ eſſe plenitudinem gratiæ, à quâ iure poterat gratiâ plena vo-

Digitized by Google

tati, & vocabatur ab Angelo. Iuxta hunc explicatum, Ambroſium intelligo, cum inquit: Soli Mariæ hæc ſalutatio ſervabatur. Bene enim ſola gratiâ plena dicitur, quæ ſola gratiam, quam nulla alia meruerat, conſecuta eſt, vt gratiæ repleretur Authore.] Si intelligatur Ambroſius, vt poteſt, de gratiâ, quam conſecuta eſt Maria, vt digna fieret mater Dei, ſeu vt gratiæ repleretur Authore, ſumpto ly *vt*, tanquam causâ finali, dici cenſet gratiâ plenam, quia ipſa in ſe plena erat gratiâ, propter gratiæ Authorem, quo erat replenda. Sin ly *vt*, conſecutio ſit, & quidam eventus, quia conceptura erat Chriſtum, tanquam à digniori gratiæ plenitudine, gratiâ plenam dici approbat. Similiter Chriſologus: Gratiâ plena, inquit, quia in alijs gratia, in te tota gratiæ paritèr veniet plenitudo.] Non enim à gratiâ, quæ alijs iuſtis eſt communis, Virginem diſcernit: ſed cum dicit, in te tota gratiæ veniet plenitudo, ſatis indicat, addito adverbio, paritèr, potiùs dici gratiâ plenam, quia conceptura erat Chriſtum, quam ob gratiæ plenitudinem, quâ ſiebat dignè idonea ad illum concipiendum. Et alibi inquit: Ave gratiâ plena, hæc eſt gratia, quæ dedit cœlis gloriam, terris Deum; fidem gentibus, finem vitijs; vitæ ordinem; moribus diſciplinam.] In his quidem Chriſtum conceptum dici gratiam, quâ plena erat Virgo, & ſimul gratiam, quam antea in ſe habuit, rectè poſſumus intelligere: quia eâ pleniſsimè partâ, & Chriſtum concepit, & omnibus illis miris bonis orbem locupletavit.

Ambr. lib. 2. in Luc. cap. 1.

Chriſol. ſerm. 140.

Serm. 143.

6 Nec aliter Patres exponendos iudico, cum Sanctiſsimam Virginem gratiâ plenam commendari & vocari ab Angelo putant, quia ipſa, tanquam fons ex plenitudine ſuper effluens, gratiæ lymphis irrigatura vniverſum foret. Dicit enim non ſemel laudatus Chriſologus, ad illa verba: *Invenisti gratiam.* Quantam? Quantam ſuperius dixerat, plenam. Et verè plenam, quæ largo imbre totam ſunderet, & infunderet creaturam.] Et Divus Thomas de Villanova. Gratia plenâ, inquit, de cuius plenitudine accipiunt vniverſi, de cuius abundantia totus replendus eſt orbis.] Ergo hi Patres, & alios quos brevitas omittit, non de gratiâ Virginis, ſed de filio, quem conceperat, in quo erat gratiæ plenitudo ad irrigandum orbem, clarè exponunt. Quippe, vt optimè Divus Thomas

Serm. 142.

Conc. 2. de Annunt.

Digitized by Google

explicat, Beata Virgo Maria tantam gratiæ obtinuit plenitudinem, vt eſſet propinquiſsima Authori gratiæ: ita quod eum, qui eſt plenus omni gratiâ, in ſe reciperet, & eum pariendo, quodammodo gratiam ad omnes derivaret.] Itaque Epitheton gratiâ plena, vt ſummatim dicam, non modo intra ſuæ ſignificationis ſphæram, gratiam Virginis amplectitur, ſed etiam gratiæ Authorem, quo erat plena, ſeu, quem iam conceperat, vt deducit Divus Bernardus, & alij, ex ſequenti Angeli verbo, *Dominus tecum.* Vnde non ſequitur, ſi virgo gratiâ plena dicitur, quia Chriſtum gratiæ Authorem concepiſſet, poſtquam peperiſſet, gratiâ plenam eſſe deſijſſe: manſit enim poſt partum gratiâ plena, quâ ante conceptum, & partum, vt digne gratiæ Authorem conciperet, & pareret, ornata fuit: ſubindeque Patres, vt explicui, gratiâ plenam vocari volunt, quia Chriſtum in vtero habebat, quin ob id diffiteantur gratiâ quoque plenam, ob gratiam, internamque animæ pulchritudinem digniſsimè dici: idque eſſe quid preſtantius, Deoque gratius, quàm Mariam ipſius Matrem eſſe. Tamen nemo ſanè erit, qui non ex vtroque capite eſſe Beatam Virginem gratiâ plenam, & vocari poſſe ſentiat: & præſertim ad ſingularem illius laudem, quòd Chriſtum concepit, vtpote quid rarum, inſolitum, & ſuper omne mirum omnino mirabile. Tandem
Tolet. an.67. noſtræ expoſitioni ſavet Cardinalis Toletus, qui vt ſequenti capite videbimus, ſeptem enumerans plenitudines gratiarum, quibus Virgo Beata enicuit, de prima inquit: Non propterea excludenda eſt plenitudo hæc à verbo Angeli, nam vt hi Patres dicunt, gratiâ plena ſalutatur, non à ſolâ gratiâ præſenti, ſed ab eâ etiam, quâ iamiam implenda erat. Quod enim proximum eſt præſenti, pro præſenti habetur, maximè ab Angelo, qui quæ futura in hoc myſterio erant, noverat, & hunc Spiritus Sancti adventum prænunciaturus advenerat.)

Stel.hic. 7 Placet nunc quoque ſingularem Patris Stellæ ſententiam, quam ipſe fusè explicat, paucis perſtringere. Porrò cenſet, non de plenitudine gratiæ Virginem ab Angelo commendari, ſed de familiaritate, convictu, gratijs, muneribus, immunitatibus, favoribus, beneficijs, privilegijs, quibus illam Deus, tanquam ſibi vnicè acceptam, placentem, iucundam, dilectam, gratam, cumulatiſsimè locupletavit: cum tamen

prius

prius ampliſsimo gratiæ gratum facientis dono, atque ſplendido eius ſatellitio, beatiſsimam feciſſet. Nam ſicut quidpiam maius eſt aliquem Regis familiaritate & convictu vti, quàm ſi modo bonus ſubditus, & amicus eius ſit (hoc etenim ſtat ſine familiaritate: familiaritas enim & convictus ſine amicitiâ, eâque cum Rege arctiſsimâ, conſiſtere non poſſunt) ita maius quiddam eſt Virginem de familiaritate & convictu cum Deo commendare, quam ſi illam ſolum prædicemus gratiâ plenam: quippe hoc commune eſt aliquibus iuſtis Epitheton, nec per hoc coniunctiſsima cumDeo familiaritas exprimitur, per quam honor Virginis augetur. Proinde ille hanc verſionem, Ave gratioſa, noſtræ vulgatæ præfert, quaſi meliorem & proximiorem ad Angeli mentem, qui de familiaritate cum Deo Virginem laudare moliebatur. Sed de eius ſententia capite ſequenti iudicium feremus: interea Virginis eſto encomium.

8 Ad meùm etiam inſtitutum pertinet id quod non pauci dubitant, cur videlicet Angelus nomen Virginis tacuerit? Cui dubio Simon Caſsianus reſpondet: Nomen Virginis reticet, ab eo quod plus in eo erat denominans, dicens: Gratiâ plena.] Quid pulchrius! Erat nomen Virginis ſplendidum, vndecumque irradians, nihilque non lucis cœleſtis habens: atque ita Angelus cum vidiſſet pleniſsimam gratiam, quæ in eo radiabat, tacuit nomen, expreſsit gratiam, & gratiâ plenam nuncupavit. Diſcite glorioſuli, & *qui vocatis*, vt inquit Sacer Vates, *nomina veſtra in terris veſtris*, magna & illuſtria nomina nihil eſſe, ſi divinâ gratiâ ſint vacua. Quid enim de illis, vt coram Deo iudice vos nominet, ſumet Angelus, qui nomen tacet, & gratiam, ſeu quidquid in eo eſt Sanctum, & laude dignum, profert? Profecto, vt videatis quam vana & vacua ſint veſtra de priſco ſanguine nomina, ſit vobis exemplo inter cognatos & Ioannis Baptiſtæ parentes, circa nomen quo vocandus erat, altercatio. Volebant cognati de parentis nomine puerum vocari Zachariam: mater vero obſtitit: *Nequaquam*, inquit, *ſed vocabitur Ioannes*. Contra, cognati obijciunt: *Nemo eſt in cognatione tua, qui vocetur hoc nomine*. Non enim erat in Zachariæ & Eliſabethæ antiquâ ac generoſâ ſtirpe, atque in multas ſparsâ familias, qui Ioannes vocaretur. Sane Ioannis etymon gratiam ſignificat, tantumque nomen, quod

Dubium.

Lib. 2. de B. Virg. cap. 2.

Pſalm. 48.

Luc. cap. 1.

Digitized by Google

ei Spiritus Sanctus indidit, nihil aliud, quàm virtutem ac Sanctitatem præſefert: ſed de ſimili nomine, quod virtuosè hominem commendet, & pro eius perſona ſanctè ſubſtituat, homines, qui ſeſe nobiles iactant, qui de priſcis avis atavíſque, gloriam ſibi vanam pariunt, parùm aut nihil curant. Hi ſunt qui dicunt, filius noſter vocetur Zacharias, priſcum gentis ac familiæ noſtræ nomen, quod generoſum ſanguinem denotat, nobilitatem ac generis noſtri ſplendorem prædicat, ſuperbèque apud gentes glorioſos nos facit: minime autem Ioannes vocetur, quippe nomen eſt Sanctum, & ad cœlum, vnde venit, non ad mundum pertinet. Heu vani & miſeri! An filios mundo, non cœlo gignitis? Ioannis parentes, quia iuſti & vanæ nobilitatis contemptores erant, filio, quem cœlo genuerunt, cœleſte nomen impoſuerunt. Et Divus Raymundus, gentilicio nomine relicto, Nonnatus audit, & vocari gaudet. Vnde ego in eius vita cecini.

Lib. 1. lem. 4.

Atqui Nonnatus Sanctorum Cæſar haberi,
Iure poteſt, orbis qui dominator erit.
Ipſe tamen, ſoboles clarorum magna parentum,
Folch & Cardonæ nota propago Ducum.
Nondum vtero excluſus gelido, quaſi providùs infans,
Magna ex mortali nomina ventre fugit.
Nonnatus dici gaudet: de vulnere nomen
Eveniens, titulis præpoſitumque ſuis.
Hos videt aut vanos, luce aut ſplendere caduca,
Seu fatua vacuos ponere in aure ſonos.
Nonnatus meliore ſono divellicat aurem:
Nam memor eſt titulus funeris vnde venit;
Voce Deumque canit rapientem à morte puellum,
Fertque operis laudes grata per ora pias.

Hugo hic.

9 Sed ad dubium rurſum revertamus, cui Hugo Cardinalis reſpondet: Forſitan nomen Mariæ tacet Angelus, vt oſtendat ſe ei nomen novum imponere, ſcilicet, Gratiâ plena: Optime quidem ille. Et appoſitè cum Divo Epiphanio dicam: Virgo plurium nominum, & multocula effecta eſt. Quid ſi de virtutum cenſu, & de omnibus gentibus benemerita, non vt Cæſares de orbis oppreſsione, & gentium cladibus, nova ſibi nomina promerebatur, quæ ſola illuſtria ſunt, vtpote à virtu-

Ora. de Laud. Mar.

te

re & beneficentia profecta. Tum verè nomen novum impoſuit, quòd gratiæ poſtmodum Authorem Virgo gratiâ plena conciperet: & quaſi de nominis novitate, novus ac inauditus conceptus pararetur, per quem ipſa benefica in omnes fieret, & per quam ipſe ſanè Deus beneficum ac munificum miro modo ſe voluit oſtendere. Etenim per illam gratiâ plenam dedit cœlis gloriam, terris Deum, fidem gentibus, finem vitijs, vitæ ordinem, moribus diſciplinam, vt diſertè inquit Chriſologus. Serm. 143.

10 Præterea mihi alia occurrit reſpnſio. Solet enim multoties Epitheton loco nominis poni: quo more Angelum in præſentia fuiſſe vſum putarim, & ſubinde Mariæ nomen, quia loco eius, Epitheton gratiâ plena ſuffecerat, tacuiſſe. De hac re ſexcenta ſunt apud prophanos exempla. Et Quintilianus docet, quòd Epitheton detracto eo, cui apponitur, valet pro nomine. Lib. 8. inſt. c. 6. Nec deſunt in ſacris literis exempla, ex quibus vnum ab Aria Montano, ob omnigenam viri eruditionem, mutuatum ſufficiet. Poſtquam ille ſuper hæc verba, *Dimittentes eum, & ſervientes Bag'ual, & Aſt'aroth*, notaſſet: Commune nomen in illâ Chananæorum linguâ inventum eſt, quod & vni, & pluribus Deabus adſcribi poteſt, idque ſingulari numero Gaſthereth; plurali vero Gaſtharoth pronuntiatur, à verbo Ghaſſar deductum, quod ditari & locupletari ac propriè beari ſignificat, hæc habet: Hinc illud etiam docemur, nomen Gaſthereth, ſive Gaſtharoth, quamquam vnicuipiam, aut pluribus etiam deabus adſcriberetur; non tamen proprium cuiuſquam nomen eſt, ſed Epitheti vim obtinere, etiam cum nullum proprium pronuntiaretur nomen. Potuit enim his deabus, quæ in ſingulis locis colerentur, id Epitheton proprij nominis vicem, vel antonomaſticè, vel ſingulari ac publica omnibus notatione vſurpari; vt apud nos nomen Virginis nulli proprio nomini adiunctum, præcipuo quodam excellentique iure Sanctiſsimam Ieſu Matrem Mariam indicat: cum tamen & multæ & Sanctæ Virgines in Chriſtianâ religione celebrentur.] Ergo ſimilitèr Gratiâ plena ab ore Angeli Epitheti vim obtinet, quo eî placuit, nobis Chriſtianis præcipuè, necnon alijs gentibus, Mariæ nomen indicare: vt tanto magis inter omnium Sanctorum nomina illud ſplendeat, quanto amplius Virginis gratia omnibus præſtat. Iud. c. 2. Ar. Mont. ibi.

Ita-

11 Itaque Angelus Epitheto gratiâ plena Virginis nomen altè meditatus eſt: & quidem aptè ad ſententiam Divi Ephremi, qui ait: Non infert præiudicium gratiæ Dei nomen: non ex nominibus cenſentur res, ſed ex rebus nomina.] Imo etiam aptè ſecundum rectum Dei iudicium, nam cum in nominibus animalibus indendis ſapientiam, quam Adamo infuderat, vellet oſtendere, *Adduxit ea ad Adam, vt videret, quid vocaret ea.* Vt videret vtique, id eſt, conſideraret & cenſeret ex rebus nomina: alioqui contingeret non introſpectâ fervidâ validâque leonis naturâ, & leporis timidâ, lepori leonis nomen, leoni leporis impoſiturum. Quid ergo aliud Angelus fecit, quam ex ipsâ re, nempe Virginis gratiâ, nomen censêre. Vnde Albertus Magnus meritò dixit: Omittit Angelus interponere nomen Mariæ, quia in aliud tempus nominandum, poſtquam gratiæ eius fuerant explanatæ, ſine quibus tam planè ſignificatio eius non intelligeretur.] Itaque non dixit, Ave Maria, ſed à plenitudine gratiæ, & cœleſtibus animæ donis ſalutationem auſpicatus eſt, dicens: *Ave gratia plena.* Dein, his verbis, *Dominus tecum*, quàm intime Deo coniuncta, quàmque ſingularitèr ei dilecta eſſet, delicias quoque ac favores ſuaviſsimos, quibus Virgo fruebatur, perſecutus eſt. Tandem miro præconio ſalutationem concluſit: *Benedicta*, inquit, *tu in mulieribus*, in quo illam eximebat à communi mulierum calculo, & Virginem fœcundam, Matremque Dei futuram prædicabat. Poſt hæc Angelus humillimam Virginem eximijs laudibus aliquomòdo turbatam animadvertens, addidit: *Ne timeas, inveniſti gratiam apud Deum*, ſed venerabili expreſſo nomine, *Ne timeas Maria.* Erat enim iam tempus, & noluit anteà ſolertiſsimus Angelus, ſed (vt Albertus Magnus dixit) poſtquam gratiæ eius erant explanatæ. Sanè non eſt Angeli, ſed nec hominis quidem prudentis eſt, res ex nominibus censêre, ſed ex rebus nomina: multoque minus glorioſa nomina, fauſtoſque titulos, alicui tribuere, quin prius, quibus meritis & virtutibus ornatus ſit, conſtet. Virgo igitur ſpeculum fuit, vbi ipſius nomen viſum eſt tot luminibus & gratijs irradians, quot in illâ fulgebant. Proinde neceſſe eſt; vt qui Chriſtianus, Religioſus, perfectuſque audit, in eius Chriſtianâ vitâ, ſeu Chriſti imitatione, in vitæ pietate, & morum Religioſitate,

Ephr. de div. grat.

Gen. cap. 2.

Alber. Magn. Luc. cap. 1.

Luc. 1.

Digitized by Google

omnimodâque perfectione, magna hæc nomina, tanquam in ſpeculo, videantur cenſeanturque. Propterea, vt quondam cecini:

Vt ſint exemplo, Divorum nomina nobis
Dantur, & vt memores ad pia facta vocent. Diag.D. Pet. Nol.lib.3.

Et quidem Ioſias Rex bonus ac pius filijs ſuis nomina impoſuit, in quibus nomen Dei erat affixum: quia optabat (inquit Pater Gaſpar Sanctius) vt in filiorum nominibus nomen Dei audiretur, vt à ſuo nomine, quod neceſſe erat ab illis ſępius audiri, ſæpius etiam admoniti, Dei recordarentur, cuius memoriam cupiebat ex eorum animis nunquam excidere.] Lib. 4. Reg. cap. 24.

Cap. III. *Epitheton Gratia plena ſeptem in Virgine denotat gratiarum plenitudines: Septenarius numerus, qui iuxta Macrobium, plenus, & Virgo, & Monadi, ſeu Deo coniunctus dicitur, Myſterio Virginis aptatur. Vocis græcæ variæ verſiones: Vulgata præfertur; Hæreticorum reijcitur.*

CARDINALIS Toletus in vno Epitheto Gratiâ plena, ſeptem quidem, non minus piè, quàm eruditè, enumerat fuſo calamo plenitudines, quibus Virgo Beata ab Angelo celebratur; eas vero nos breviter percurremus. Prima ſanè plenitudo ad diviſiones gratiarum pertinet, quæ gratiæ gratis datæ à Theologis appellantur, & aliorum vtilitati deſerviunt, nec vni dantur omnes, ſed Spiritus Sanctus dividit ſingulis pro vt vult, nam huic ſermo ſapientiæ, alij autem ſermo ſcientiæ, vt docet & proſequitur Apoſtolus. Cæterum Deum omnes in Virgine gratiarum diviſiones collegiſſe, atteſtatur Angelus, iuxta Athanaſij & Hieronimi expoſitionem. Solùm poteſt dubitari, quando huiuſmodi gratiarum plenitudo ei collata fuerit, an antequam Deum conciperet, an vero, cum ſuperveniente Spiritu Sancto concepit? Sanè Athanaſius, cum concepit, aſſerit. Ita quoque Spiritus Sanctus deſcendit, inquit, in Virginem cum omnibus eſſentialibus virtutibus, quæ illi per ratio-

Tol. hic annot. 67.

1.Cor.c.12.

Dubium.

D.Athan. homil. de Deip.

D.Hier. ſerm. de Aſſump.B. Virg.

 nem

Digitized by Google

nem principatus divini adſunt, imbuens eam in gratiâ, vt in omnibus gratioſa eſſet, atque idcirco gratiâ plena cognominata eſt, eo quod impletione Spiritus Sancti omnibus gratijs abundaret.] Idem ſentire videtur Divus Hieronimus: Plena, ait, quia cæteris per partes præſtatur: Mariæ vero ſe tota infudit gratiæ plenitudo.] Cum his quoque Patribus convenit
Tol. hic ann. 67. Cardinalis Toletus. At huiuſmodi plenitudinem à tempore ſanctificationis ſuæ in vtero, habuiſſe Virginem, opinio eſt
3. part. quæſt. 27, art. 5. Divi Thomæ, & aliorum, quæ mihi magis probatur: & ita decuiſſe, etiam à primo ſuæ fauſtæ conceptionis inſtanti, cogit nos aſſerere ampliſsima matris Dei dignitas, ad quam ex tunc cœleſti iam ornatu decorabatur, & nullo gratiæ prætermiſſo extollebatur comitatu.

2. Secunda gratiæ plenitudo fuit, quòd beata Virgo nunquam carnis rebellionem, membrorumque contra ſpiritum pugnam ſenſit: etenim ligato, vel ab inſtanti conceptionis ſuæ extincto fomite: vel in conceptione filij ſaltèm, caro illius pacatiſsimè ac ſuaviſsimè ſpiritui immaculato ſerviebat, & ei, ſubdita Deo, conſentiebat; quod quidem gratiæ genus nulli Sanctorum conceſſum, Virgini eò concedi oportuit, quò eius mundiſsima ac purgatiſsima nitêret caro, de qua Verbum caro fieret. Tertia gratiæ plenitudo in Sanctiſsimâ Virginis animâ nullo, ne levi quidem infectâ peccato, clariſsimè reſplen-
D. Auguſ. lib. de nat. & grat. cap. 26. det. Vnde Auguſtinus, de Sanctâ Virgine, inquit, propter honorem filij, cum de peccato agitur, nullam prorſus habere volo quæſtionem. Inde enim ſcimus, quod ei plus gratiæ collatum fuerit ad vincendum omni ex parte peccatum, quæ concipere ac parere meruit eum, quem conſtat nullum habuiſſe peccatum.] Itaque, cum dicit, ex omni parte, omne peccatum, etiam originale, excludit: & fortiter confirmat quaſi à ſimili, cum dicit, meruiſſe concipere, & parere quem conſtat nullum habuiſſe peccatum. Quarta gratiæ plenitudo in eo apparet, quòd nihil verbo & opere iuſtiſsima Virgo protulit, nihil cogitavit, quod non eſſet puriſsimum ac Deo gratiſsimum: nihil tandem omiſit, quod muneris ſui eſſet, & ad maiorem vitæ perfectionem conducere videbat. Id ſanè rarum, nam quis mortalium, tam ſanctè, & inculpabilitèr vixit? Adde arduos virtutum actus virginitatis, & fidei, in Angeli ſaluta-
tione;

ſione; humilitatis in Eliſabethæ viſitatione; tribulationis & conformitatis in fuga cum filio in Egyptum; fortitudinis, & patientiæ in chariſsimi filij paſsione; denique heroicas atque eminentes gratiæ operationes, quas per totam vitam vigilantiſsimè geſsit. His enim non quælibet gratia eſt ſufficiens, ſed pleniſsima, quæ ei divinitùs collata fuit.

3 Quinta gratiæ plenitudo in eo elucet in Virgine, quòd non, ſicut alij in vnâ vel alterâ virtute maximè eminuerunt, ipſa eminuit: ſed omnium Sanctorum Apoſtolorum, Martyrum, Confeſſorum, Virginum, Patriarcharum, Prophetarum, atque tandem Angelicarum Hierarchiarum cœleſtes divitias ſupergreſſa eſt, omnes in ſe recolligens: vere omnibus Sanctis Superior, ſiquidem heroicas virtutes, quæ in illis erant diſperſæ, collectas in matre ſua, tanquam in pulcherrimo viridario, Deus videri voluit. Sexta gratiæ plenitudo ex Dei matris propè infinitâ dignitate ſatis apparet: per quam ad intimam cum Chriſto Authore gratiæ neceſsitudinem Beata Virgo evecta eſt; vnde quantum ab eo, nimis liberali & effuſo, gratiæ hauſerit, nemo enarrare ſufficiat. Septima denique gratiæ plenitudo maiorem dilectionem acceptationemque, qua Deus ſuper omnes Sanctos Virginem proſecutus eſt, commendat: non enim tantus amor, niſi à gratiâ cunctorum gratiæ ſuperexcellente, originem ducit. Merito ergo talem tantamque gratiarum plenitudinem ſeptenarius complectitur numerus, quia quæ gloriæ, & Virginis myſterio conveniunt, in eo mire contenta reperiuntur. Ille quidem, vt ſubtiliter tractat Macrobius, multis de cauſis, atque ſuo ſeorſum merito, plenus vocatur, rebus arcanis deſeruit, virgo appellatur, cum Monade incorruptâ, quæ ad ſummum refertur Deum, amiciſsimo nexu coniungitur. Nonne his ſeptenarij numeri prærogativis Maria gratiâ plena, & Virgo, & Deo coniuncta in cuius arcanâ coniunctione mater Dei prædicatur, veris coloribus depingitur? Audite modò, quàm ad rem Macrobius: Nec te remordeat, inquit, quod cum omni numero (monas ſcilicèt) præeſſe videatur, in coniunctione præcipuè ſeptenarij prædicetur. Nulli enim aptiùs iungitur monas incorrupta, quam Virgini. Huic autem numero, id eſt Septenario, adeo opinio Virginis inolevit, vt Pallas quoque vocitetur: nam

Macrob. in ſom. Scip. c. 6.

Virgo creditur, quia nullum parit ex ſe numerum duplicatus; qui intra denarium coarctetur, quem primum limitem conſtat eſſe numerorum. Hæc ille. Itaque, cùm Deus per gratiam cum omnibus Sanctis coniungatur, cum nullo tamen aptiùs pleniùſque quàm cum Virgine, de qua etiam aliâ ineffabili coniunctione naſci voluit.

4 Poſtquam oſtendimus ſeptenas gratiæ plenitudines, quas Epitheton Gratiâ plena continet, non prætereundum duxi, de eo cum alijs, quæ plura ſunt, comparato, iudicium ferre: & quidem omnia ex variâ græcæ vocis interpretatione deducuntur. Nec minus advertendum, multos Patres, tàm Græcos, quàm Latinos, tàm veteres, quàm nuperos, eoſque omnes Orthodoxos, iuxtaque Sanctiſsimos, alitèr ac noſtrum interpretem vertere. Nam Tigurina, Andreas Hyeroſolimitanus, Theophilatus, Hilarius, Caietanus, Sa, Stella, & plures alij, ex fonte, Ave gratioſa vertunt, & hinc non pauca coagmentant Epitheta, parùm inter ſe diſsidentia; videlicet, Ave gratificata, gratioſa facta, accepta, placens, dilecta, iucunda, grata. Sed quantum Epitheton Gratiâ plena, quod reddidit noſter Interpres, & ſecuta eſt numeroſior expoſitorum pars, his præluceat, vel ex ſequentium numero ſatis poſſet conſtare, ſi non etiam ex aliter exponentibus conſtaret.
Caiet. hic. Caietanus pro omnibus ſufficiat. In græco, inquit, habetur vna vox ſola, quæ eſt participium præteriti temporis paſsivum, quam interpres carens vocabulo latino expoſuit. Potuiſſet tamen fingi paſsivum, & dici gratificata. Hoc enim paſsive acceptum ſignificat dictio græca, quod latinè dicitur gratioſa facta. Et ſignificatur per hoc quod erat facta gratioſa, eo ſolito loquendi genere, quo perſonam multum dilectam ab aliquo, dicimus gratioſam illi, ſeu apud illum. Salutavit ſiquidem Angelus Virginem, non ſolum gratioſam (hoc eſt, acceptam, placentem, dilectam) ſed effectam gratioſam, vt donum Dei ſignificaretur, quo effecta eſt gratioſa. Non enim ex ſe ipſa erat gratioſa, ſed ex divinæ gratiæ dono effecta erat gratioſa. Et propterea Interpres non falsò expoſuit. Gratiâ plena, ſed explicavit illud quo facta eſt gratioſa.] Ergo Epitheton Gratiâ plena, vel ex hoc ſolo capite, alijs præſtat, quia Angeli mentem integrè exponit: ſiquidem cœleſtis Spiritus,

Digitized by Google

tuſ, vt bene Caietanus, & Ianſenius, & quotquot, catholicè ſentiunt, non ſalutavit Virginem ſimpliciter gratioſam, quaſi ipſa ex ſe, & naturæ benignitate, decorem, & gratiam, quâ Deo placens, grata, acceptaque fuit, comparaverit. Præterea, docente Ianſenio, Epitheton gratioſa græcæ vocis ſignificationem non adæquat. Si autem, inquit, dum dicitur Virgo plena gratiâ, nomen gratiæ accipiatur, & quatenus ſignificat Dei donum, & ſimul quatenus ſignificat favorem & acceptionem alicuius, quæ duo ab invicem ſunt inſeparabilia apud Deum, iam gratiæ dictionis ſignificatio penè tota exprimitur: vt gratiâ plena idem ſit, quod per plenitudinem donorum gratiæ Dei, multam conſecuta gratiam apud Deum, hoc eſt, multùm accepta Deo.] Planè ergo ex hac doctrinâ, Epitheton Gratiâ plena omninò dictionem græcam exhaurit, in quo alia diminutè procedunt. Ianſ. in conc. Evang. cap. 3.

5 Ex his profectò, quid Beza, & huius ordinis interpretes velint, gratioſam, & gratis dilectam vertentes, adeo notum eſt, vt eorum anguis non poſsit latêre ſub herba: & inter multos perſentientes, Beuxamis dixerit: Dictio græca, quam Neochriſtiani Gnoſtici invidentes gloriæ Virginis, ita vertunt, vt quantum poſſunt, ei detrahant. Modo habent gratis dilectam, modo gratificatam, modo receptam in gratiam: quaſi nec ipſa gratioſa, ideſt gratijs donata, fuerit: ſeu nulla ſit actio, aut voluntas ex parte Virginis, vt divinæ gratiæ cooperaretur. Cooperata quidem eſt, vt ſtatim aſſerit Angelus: Inveniſti enim gratiam apud Deum.] Pudeat igitur ipſos, ſi aliquis in eis latet virtutis color, & monitorem Divum Laurentium Iuſtinianum, verè pièque docentem; qualis ſit decor & gratia, quæ Deo nos commendat, gratioſos, amabileſque efficiat, patienter auſcultent. Quiſquis novit, inquit, ſpiritualitèr dijudicare omnia abſque ambiguitate, intelligit quod exteriora ornamenta nequaquàm commendant nos Deo. Et paulo poſt. Denique Prophetâ referente didicimus, quod *omnis gloria filiæ regis ab intus circumdata varietate* virtutum. Intus quippe eſt mentis puritas, cordis innocentia, conſcientiæ gloria, claritas ſapientiæ, pudicitiæ candor, ſtatêra iuſtitiæ, fidei lumen, futurorum bonorum ſpes, dulcedo charitatis, orationis guſtus, contemplationis admiratio, amoris

Beux. tom. 1. Harm. Evangeſ.

D. Laur. Iuſt. de inſtit. & regim. Præl. c. 19.

Pſalm. 44.

ris oſculum, munditiæ decor, animi tranquillitas, tribulationum conſtantia, & temperantiæ regimen. Hæc planè & his ſimilia ſunt ornamenta, quæ commendant nos Deo.] Hæc ille ex verâ ſapientiâ, & ego de pulcherrimâ intus Virgine, quæ gratiâ plena, & omnibus his pleniſsimè virtutibus ac donis, Deo amabilis & commendabilis refulget.

EPITHETON III. EX D. LVC. CAP. I.

BENEDICTA TV IN MVLIERIBVS.

Cap. I. *Vltimum in ſalutatione Epitheton, vtpote perfectiſsimum. Virgo cur tantùm Benedicta in mulieribus dicatur? Doctorum ſententiæ, & vera dubij reſolutio.*

1 HUIUS Epitheti dignitas auguſtiſsima eſt, vel ob hoc quidem, quia varijs iuxtaque beatiſſimis in Sacra Scriptura ſignificationibus exuberat; vel quià licèt Angelus beatiſsimam Virginem, gratiâ plenam, Deoque miris gratiæ donis coniunctiſsimè hærentem, ſalutaſſet: Tamen ſibi adhuc viſus in ſalutando parcus, addidit & curavit Virginem compellare Benedictam in mulieribus, more Rethorum, qui à mediocri ad maximam ſe comparantes laudem, elegantèr & ornatè, vt debent, cæptam finiunt Panegyrim. Hac fortaſsè ex causâ D. Thomas ſic admonuit: Vltimum vero ponitur tanquam perfectiſsimum & compendioſum, *Benedicta tu in mulieribus.*] En perfectiſsimum omnium Epithetorum Epitheton, in quo & virgineæ plenitudo gratiæ, & aliarum laudum cumulus, & complementum, fæcundâ brevitate niteſcit. Vtque magis id quodcumque eſt excellentiæ, appareat: mecum amabò advertatis, quod in illâ pijs optabili & fœliciſsimâ die, ſicut impijs infœliciſsimâ hominibus, non alio illos elogio aut Epitheto dignaturus eſt rectiſsimus iudex Chriſtus Dominus, quàm eo quo in ſalutandâ Virgine Angelus vſus eſt. *Venite*, dicturus eſt, inquit Mathæus, *Benedicti Patris mei, poſsidete paratum vobis regnum;*

D. Thom. in cat.

Math. c. 25.

vt

vt eo ipſo nomine eos vocare ad ſummam fœlicitatem, & ſtatum omnium bonorum aggregatione perfectum, oſtendat. Et hinc etiam nos non ineptè colligimus mox Virginem ad altiſſimam omnium dignitatem fore ſublimandam. Quin congruum erat, ſiquidem ingredientes ſummi Dei regiam, & intrà Domini ſui gaudium, eo Epitheto excipiuntur: eodem ornari Virginem, in cuius aula, cœlis ipſis auguſtiori, ipſe Deus, vt conciperetur ineffabilitèr homo, excipiendus erat. Addimus, Virgini in hac vita degenti, parem fuiſſe ſortem cum eâ, quæ erit in ingreſſu cœleſtis patriæ iuſtis: hi enim à Deo dicentur Benedicti: illa, Authore Deo, Benedicta ab Angelo dicta eſt, qui à Deo didicit ſic illam dignè honorare, vt optimè ex veterum ſententia notat & probat Ianſenius Iudithæ exemplo, quæ typus fuit Virginis. Rectiùs, inquit, ſecundum veteres intelligitur Mariam hic prædicari & dici eſſe Benedictam, non quidem apud homines, ſed apud Deum & à Deo: quomodo ipſi Iudith dictum eſt: *Benedicta es tu filia à Domino Deo excelſo.* Ianſ. in conc. Evang. c. 3.

2. Modò cum alijs dubito, cur Angelus benedictam in mulieribus Virginem appellarit? Numquid ipſa tunc non fuit Benedicta etiam in hominibus? Fuiſſe quidem reſpondet Pater Maldonatus; tamen ita fuiſſe dictum ab Angelo, quòd ipſa ſit mulier, & non ſoleat fieri comparatio niſi inter ea quæ eiuſdem ſunt generis.] Quaſi velit Angelum ad ſexum reſpexiſſe, eòque devoluiſſe comparationem. At hæc ratio parum roboris habet. In ſacris equidem literis, vt videre eſt in Prophetis, & abunde in Canticis Canticorum, ſponſus, ſponſa floribus, plantis, arboribus, montibus, turribus, quæ toto genere ab illis differunt, comparantur. Et apud profanos Authores adeò paſsim huiuſmodi comparationes inveniuntur, vt otioſum ſit eas commemorare. Vnam tamen, vel alteram, ne ieiuna ſit oratio, in medium producam. Virgilius Orpheum, ſuper Euridice ſuâ flentem, ad Philomêlam comparat. Dubium. P. Mald. hic.

Qualis populea mœrens Philomela ſub vmbra
Amiſſos queritur fœtus, quos durus arator
Obſervans nido implumes detraxit; at illa
Flet noctem, ramoque ſedens miſerabile carmen Georg. 4.

Inte-

Integrat, & mæſtis latè loca queſtibus implet.

Et alibi Latinum rupi comparat.

Æneid. 7.

Ille, velut pelagi rupes immota reſiſtit:
Vt pelagi rupes magno veniente fragore,
Quæ ſeſe multis circum latrantibus vndis
Mole tenet, ſcopuli nequicquam, & ſpumea circum
Saxa fremunt, laterique infuſa refunditur alga.

Huc advocanda eſt cuiuſdam reſponſio, cui, vt inquit Tertullianus (lib. de vel. Virg.) ingenioſe viſum eſt reſpondiſſe: Quoniam quidem deſponſata eſt Maria: idcirco & ab Angelo, & ab Apoſtolo mulierem pronunciatam. Deſponſata enim, quodammodo nupta.] Id vero Tertullianus reprobat, quia Virginitati Mariæ derogat, ſi ideo mulier dicta ſit, non quà fœmina, ſed quà maritata. Vnde ipſe reſpondet: Agnoſco Angelum Gabrielem ad Virginem miſſum, ſed cum benedicit illam inter mulieres, non inter Virgines deputat: Benedicta tu inter mulieres. Sciebat & Angelus mulierem etiam Virginem dici. Nunc vero non quaſi iam nuptam, mulierem Mariam pronunciaverunt, ſed quaſi nihilominus fœminam, etiam ſi non ſponſam, quaſi hoc à primordio dictam.] Hæc quidem reſponſio veram doctrinam continet: tamen non eſt idem Virginem vocari mulierem, ac vocari benedictam inter mulieres: quod fortaſsè fecit Angelus, nil cogitans de nomine mulieris in Virgine, vt ex noſtrâ ratione ſtatim apparebit. Alitèr Simon de Caſsia. Non benedicitur ſuper homines, inquit, ne filium diceretur excedere: magis autem in diſtinctionem ſexus, iſta in mulieribus dicitur benedicta, quoniam Chriſtus in viris, ipſa in mulieribus: & viri & mulieres in ipſis, in benedictionibus cœleſtibus benedicentur, quamquam ex ipſo Chriſto in omnes homines benedictio ſuâ pietate proveniat.] Vult igitur, quantum capio, Angelum cum diſcretione locutum, & deſignaſſe cœleſtes benedictiones, quæ ſunt matris, & ſexui fœmineo propriæ: vt ita eæ quæ ſunt filij impermixtæ dignoſcantur. Vnde nos, hâc edocti cœleſtis doctrinâ, alienas laudes non confundamus, quod genus invidentiæ eſt, ſed cuilibet ſuas, vt æqui æſtimatores, tribuamus. Verum neque hæc ratio plus valet: non enim tempus & occaſionem meditatur, quâ arreptâ, Angelus conſultò, eo Epitheto, *Benedicta*,

Caſsian. ſerm. de Annun.

ſalu-

ſalutationem complevit: eſt namque temporis & occaſionis Epitheton. Quod animadvertendum duxi, vt dubio perſpicuè, ni fallor, fiat ſatis. Igitur cum bene Angelus ſcopum ſuæ legationis perſpectum haberet, qui totus erat, iſque fœlicisſimus, planèque mirabilis, vt quam ſalutabat Virgo, auctâ & locupletatâ virginitate, intra ſua ſacrata viſcera poſtmodùm Deum & hominem conciperet: neceſſe habuit ob ſingulare beneficium, & nulli mulierum conceſſum, nec concedendum, Benedictam tantum in mulieribus annuntiare. Solius enim Virginis erat huiuſmodi benedictio, non aliarum fœminarum, quæ ab illa per verba Angeli videntur excluſæ. Sed de hac re vberiùs capite ſequenti conſtabit.

Cap. II. *Epitheton Benedicta quam benedictionem ſignificet? Multiplex circa hoc Patrum expoſitio. Vt certior, quæ eſt de benedictione Prolis, ſoluta contra illam obiectione, defenditur. Hæretici carpuntur, demumque eorum expoſitio exploditur.*

1 DUBITATUR, Et meritò, quam Epitheton *Benedicta*, ſignificet benedictionem? Non eſt hìc vna Patrum, & Interpretum mens: calamus devotus igneſcit: cœleſtium vbertate opum ſuperbit oratio: ſpatioſior tandem patet campus, in quo benedictæ Virginis præconia amæniùs, & copioſiùs pullulant germinantque: quoniam non vnam, ſed variam multiplicemque Epitheton, vt prænotavi, ſignificat benedictionem. Sunt qui velint eam hìc benedictionem ſignificari, quam paulo ante Angelus gratiæ plenitudinem nuncuparat. Itaque apud hos Epitheton *Benedicta* valet idem, atque cui Dominus benefecit, quamque præclariſsimis gratijs ac muneribus cumulavit: ſine compare quidem in ſplendido tantorum beneficiorum cumulo. Sic Pater Maldonatus, Barradas, Stella, Iodocus Clichtoveus, & alij. Qui ita interpretandi ex Hebræo, in quo *Barucha*, ſive *Merobechet*, ideſt, *Benedicta*, donum vel beneficium ſignificat, occaſionem arripiunt. His tamen, vt demus, in Hebræo illud verbum, vt liquet ex eo Geneſeos, *Super benedictionem*

Dubium.

Mald. Barr. Stella Luc. 1. Clict. ſerm. de ſalut. Ang.

Gen. c. 33.

quam attuli tibi, modo quo volunt, aliquando vſurpari: quemadmodum & in Græco, *Eulogemene*, ſicut Ioannes Gnagneius notavit; non tamen opportunam & viciniorem menti Angeli eſſe ſignificationem concedere poſſumus. Siquidem iam Angelus eo Epitheto *gratia plena* Virginem exornaverat, atque ipſius animæ prædivitem cœleſtium gratiarum & donorum luculenter patefecerat cumulum: nec inſuper deceat diſertum adeò ac eloquentem Spiritum, vno tantùm verbo interpoſito, actum egiſſe ſuſpicari, cum potius decus eius ſervetur, ſi hoc nempe fine addidiſſe Epitheta credamus, vt in ſingulis aliquid novi aperiret: præſertim, quando ad ſtupendam & inauditam virginalis vteri fœcunditatem, ſtudioſa pedetentìm collimabat ſalutatio. Quo circa audito Epitheto *Benedicta tu in mulieribus*, candidiſsimam Virginem turbatam fuiſſe, veroſimile eſt, vt refert Ioannes de Haye ex alijs Authoribus. Vocabulum, inquit, *Benedicta* in ſacris literis frequentèr fœcunditatem ſignificat, vt in Deuteronomio; vnde ſuſpicantur nonnulli etiam hoc loco ſignificationem eſſe fœcunditatis & fructus ex Virgine naſcituri, vt ob eam cauſam turbata fuerit Virgo de huiuſmodi ſalutatione, quòd ſibi conſcia eſſet virginitatis Deo promiſſæ.] His ego, pro hac turbationis cauſa, locupletem adduco teſtem Divum Bernardum, qui ait: Propterea primò *turbata eſt in ſermone eius, & cogitabat qualis eſſet iſta ſalutatio*, quòd Benedictam ſeſe audiſſet in mulieribus, quæ nimirùm benedici in Virginibus ſemper optavat.

Gnagn. Luc. 1. — Hay. Luc. 1. — Deuter. c. 28. — Bern. ſerm. de B. Virg.

2 Itaque verior eſt ſententia horum Patrum, & aliorum, quos ſtatim dabo, Epitheto *Benedicta* fœcunditatis benedictionem ſignificari. Quin etiam aſſerendum eſt, quod Sanctiſſima Virgo, vt erat ſapiens & Sacrarum Scripturarum ſciens, illud de benedictione fœcunditatis & prolis interpretata eſt, ſecundum illud: *Benedixit illis Deus, & ait, Creſcite & multiplicamini, & replete terram.* Et, *Omnipotens benedicet tibi benedictionibus vberum & vulvæ.* Et, *Deus Abraham, Iſac, & Iacob coniungat vos, impleatque ſuam benedictionem in vobis.* In hunc ergo ſenſum expreſſe Auguſtinus it, cùm dixit, *Benedicta tu in mulieribus*, virginitatis eius benedictum fructum expreſsit. Et Rurſus alibi: *Benedicta tu inter mulieres*, quia

Gen. 1. — Gen. 49. — Tob. 7. — Auguſt. ſerm. 11. de Nat. & 20.

quia ecce concipies & paries. Eadem prorſus ſcribit Divus Fulgentius. Elegantèr autem Divus Petrus Chriſologus: Verè benedicta Virgo, quæ & Virginitatis poſsidet decus, matris & pertulit dignitatem. Verè benedicta quæ & superni conceptus meruit gratiam, & ſuſtulit integritatis coronam. Verè benedicta quæ & divini germinis ſuſcepit gloriam, & regina totiûs extitit caſtitatis. Verè benedicta quæ fuit maior cœlo, fortior terrâ, orbe latior, nam Deum quem mundus non capit, ſola cepit, portavit eum, qui portat orbem, genuit genitorem ſuum, nutrivit omnium viventium nutritorem.] Et Andreas Cretenſis pari elegantiâ. Meritò benedicta: benedixit enim Deus te tabernaculum ſuum, quoniam paternæ gloriæ plenum Chriſtum Ieſum, hominem eundem & Deum, in his in quibus & ex quibus naturis conſiſtit, admirabili ratione, in vtero tuo geſsiſti. *Benedicta tu in mulieribus*, quæ cœleſtem Theſaurum, in quo ſunt omnes Theſauri ſapientiæ & ſcientiæ Dei reconditi, in ſacro virginitatis tuæ penu ſine anguſtiâ comprehendiſti. Tu vere benedicta es, cuius vterus areæ cumulus eſt, quia benedictionis fructum, immortalitatis ſpicam Chriſtum, ſine ſemine, ſine cultoris labore, multiplicem frugum innumerabilium meſſem, noſtræque ſalutis agricolam produxiſti.] Brevitèr tandem Divus Bonaventura: Iam, inquit, benedictam annuntiat ea benedictione, quam Dominus Abrahæ promiſerat.] Sequuntur hos Patres Arias Montanus, Cornelius à Lapide, Toletus, Ianſenius, Echius, Silveira, & alij.

Fulg. de Laud. Mar. Chriſ. ſerm. 143. Andr. in orat. Annunt. Bonav. Luc. 1 Mont. Corn. Tol. Luc. 1. Ianſ. in conc. Evang. c. 3. Ech. hom. 3. ann. Silv. Luc. 1. q. 28.

3 Porrò quærit Silveira, quomodo Angelus in prædicto ſenſu; *Benedicta tu in mulieribus* ennuntiaverit, cum Virgo nondum filio Dei fœcunda eſſet? Quo dubio, vt ſe graves Authores apud ipſum expediant, ad futurum tempus reccurrunt, aſſerentes Angelum non de præſenti Virginem benedictam nuncupaſſe. Quod ſi admittatur, Caietanus & alij, qui Epitheton *Benedicta* ab Angelo bona proſperaque Virgini precante & optante, eſſe prolatum contendunt, eodem modo facile reſpondebunt; vnde ſequetur, Angelum expoſitam benedictionem interdum in Virgine deſideraſſe. Cæterùm non ita eſt, & propterea Caietanum à Gnagneio acritèr obiurgatum invenio: quem quidem, & alios, hoc etiam argumento

Dubium.

urgere poſſumus. Angelus ſanè Epitheto *Gratia plena*, cùm de præſenti, tùm non optando, non precando, vel ipſo Caietano fatente, Virginem ornarat, vtque idoneam plenitudine gratiæ conceptioni filij Dei ſalutavit: quippe ipſe à Deo edoctus, bene noverat, vt docet Bernardus, ſe ad electam Virginem, & mox futuram Dei matrem mitti; Non ergo ille poterat, niſi excordem fingamus, videns Virginem gratiâ plenam, & eâ gratiâ, qua digne filium Dei conciperet, & dignitas matris poſtulabat, eo Epitheto *Benedicta tu in mulieribus*, quaſi nihil in ea benedictionis coruſcaret, optando, & deprecando afficere. Itaque Angelus, vt vno verbo me hac obiectione exoluam, in gratiæ plenitudine, in electione Dei, in legatione ad Virginem, videbat illam fœcunditate & prole benedictam: nec aliter in ſenſu compoſito talis gratiæ poſſe evenire, quia ex beneplacito Dei infallibiliter erat cum fæcunditate & prole Virginis connexa: vnde ille ſtatim àc dixit, *Invenisti gratiam apud Deum*, intulit, *Ecce concipies, & paries filium.* Accedit prætereà Ianſenij eruditio advertentis apud Hebræos pronomina loco verbi ſubſtantivi præſentis vſurpari: indeque inferentis idem prorſus valere *Benedicta tu in mulieribus*, ac Benedicta es inter mulieres. Atque etiam, vt ex Toleto, Epitheto 2. cap. 2. advertimus, quod proximum eſt præſenti, pro præſenti habetur, maximè ab Angelo, qui quæ futura in hoc myſterio erant, noverat.] Conſtat ergo latè, Virginem de præſenti dici ab Angelo Benedictam, in ſenſu ex mente Patrum à nobis accepto.

Bern. Epiſt. 77.

Ianſ. vbi ſupr.

4 Alij autem, quià iuxta Hebraicam phraſim, perinde eſt benedicere, ac laudibus extollere, commendare, bona loqui: ob id Epitheton *Benedicta* de fauſtis acclamationibus, dignisque laudibus interpretantur: nec aliud volunt ſignificari, quàm laudatam, vnicè celebrem, magni nominis, omninoque inter mulieres dignam, vt de ea omnes bene loquantur, omnia bona dicant, & ſummis ornent præconijs. Ita Caietanus, Gnagneius, Melo, & ex hæreticis, Brentius, Commanus, & alij, ſed non in eo ſenſu, in quo Catholici, vt dicemus. Ad hanc expoſitionem Divus Thomas videtur accedere, dum ait: In qua quidem ſalutatione præmiſit idoneitatem eius ad conceptum, in hoc quod dixit, *Gratia plena*: ex-

D. Thom. 3. p. q. 30. art. 4. in corp.

expreſsit conceptum in hoc quod dixit, *Dominus tecum*: & prænuntiavit honorem conſequentem, cum dixit, *Benedicta tu in mulieribus.*] De hac igitur interpretatione, an menti Angeli modo genuina ſit, non diſputo: quamvis mihi non videtur, quia ſicut notavi ſupra, Epitheton *Benedicta* ad tempus & legationis occaſionem ſpectat. In ea vero, provt eſt ab hæreticis, aliquid toxici latêre non ignoro: ſicut nec inſolitum eſſe, inter præconiorum ac laudum triticum, perſæpe lolium atque zizanium ſerpere, ſimulatis laudatoribus huiuſmodi ſeminio vtentibus. Iam hoc viderat Poeta: Virg. Ecl. 7.

Aut ſi vltra placitum laudarit, baccare frontem
Cingite, ne vati noceat mala lingua futuro.

Sed ne in hac laudatoriâ meſſe, quæ debita eſt Virgini benedictæ, & ex hac interpretatione iure illi provenit, eradicato lolio & zizanijs, laus digna ſimul pereat & eradicetur: prius quale ſit laudis zizanium, dignoſcendum eſt, vt in illâ parabolâ Christus Dominus nos monet. Math. 13.

Itaque Authores Catholici in hac Epitheti expoſitione de Angelo & Virginis laudibus, vt par eſt, ſentiunt: quippe eas ſignificari volunt, quæ ex Dei benedictione ortum habeant, Virginique debeantur propter ſpiritualia dona, & eximiam animæ pulchritudinem, egregiaque merita, quæ illam iure laudabilem, commendandam celebrandamque dignè efficiunt. Id Caietanus teſtatur: Significatur, inquit, quod erit laudata ſuper omnes mulieres, quod implendum eſſe ex conceptione filij Dei, ipſamet beata Virgo poſtea explicavit; dicens: *Ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes.*] Luc. cap. 1.
Et videte quam dignam pro ſe, & omnibus recte ſentientibus, teſtem adducat: ipſa quidem Virgo, cuius ore Spiritus Sanctus loquebatur, à Deo, & ex Deo, ſive ex merito matris Dei, quidquid eſt ſuæ laudis, venire manifeſtat. Audent tamen hæretici, non Dei Spiritu, non Virginis, vnde velit laudari docentis, ſed diabolico, vel proprio ducti, illius laudes minuere, & impudenter fœdare: ſordidè, nec vt à mente Angeli veniunt, exponendo, nec eâ amplitudine & maieſtate, quæ tantam Dominam decet. Quamobrem queritur & meritò Caniſius: Fingunt Angelum ea bona precari, & optare Virgini, quæ ex hominum arbitrio & opinione pendent, non quæ ani- Caniſ. de M. Deip. lib. 3. c. 12.

Digitized by Google

mi vera bona ſunt, & ad interiorem hominis iuſtitiam, expectant.] En qualem in amentiam eorum impietas illos proijciat, quâ ſtimulante, malè de rebus divinis cogitant: pro cœleſtibus terrenas laudes reponunt: tandemque, quo nihil impudentius, non vanis, caducis, mendacibuſque (qualia ſunt merè humana) meliora præconia, contra laudatoris Angeli mentem, benedictæ Virgini adſcribunt. Tales iſti ſunt, quales illi mali poetæ, qui vt inquit Horatius, ex fulgore dant fumum. Et quales illi, quos alibi deſcribit attramento comparans:

Horat. de art. poet.

Epiſtol. lib. 2. Epiſt. 1.

Sed veluti tractata notam, labemque remittunt
Atramenta, ferè Scriptores carmine fœdo
Splendida facta linunt.

Quid rogo hi boni Scriptores, Mariæque egregij laudatores, amplius faciunt, quàm illius ſplendida facta, virtutes, merita, laudes è cœlo ortas, indignis calamis non tractanda, ſuis Scholijs, annotationibus, lucubrationibuſque, velut atramento linîre?

5 Iterum Patres Epitheton *Benedicta* benedictionem ſignificare maledictioni oppoſitam: Virginem Evæ, atque alijs mulieribus, ſive Virginibus, ſive viduis, ſive nuptis, opponentes, non apponentes (vt faciunt hæretici) pulchrâ antitheſi interpretantur. In omnibus ſanè mulieribus horridus tribulis ac ærumnis luxuriat campus: omnes maledictioni obnoxiæ lugent; ſola Virgo Benedicta dicitur inter omnes, quoniam in ea nihilnon lætitiæ, nihilnon cœleſtis voluptatis plenum irriguo divinæ gratiæ fonte germinat. Pulchrè Divus Auguſtinus Evæ Mariam ſic opponit: *Benedicta tu in mulieribus*, quæ vitam viris & mulieribus peperiſti. Mater generis noſtri pœnam intulit mundo: genitrix Domini noſtri ſalutem attulit mundo. Auctrix peccati Eva: auctrix meriti Maria. Eva occidendo obſuit: Maria vivificando profuit. Pro inobedientiâ enim obedientia commutatur: fides pro perfidiâ compenſatur.] Divus Bernardus: *Benedicta*, inquam, *tu in mulieribus*, quæ illam generalem maledictionem evaſiſti, quâ dictum eſt, in triſtitiâ paries filios.] Theophilatus: Quia maledicta fuit Eva; hæc dicitur Benedi&a.] Alij apud Haye ſic alijs fœminis opponunt: Tu ſola inter omnes mulieres Benedicta, nam cæteræ omnes maledictæ ſunt, ob maledictionem Evæ, cui

Aug. ſerm. de Sanct.

D. Bern. hom. 3. ſup. Miſ. eſt.

Gen. cap. 3.

Theoph. Luc. 1.

Haye hic.

Digitized by Google

cui ſubiacent, quia vel non pariunt, ſed ſteriles manent, vt Virgines: vel non niſi corruptæ, & cum dolore pariunt: tu autem ſola, neque infæcunda manebis, neque virginitatis ſenties detrimentum, & ſine dolore paries.] Similiter Sa, & Cornelius, qui addit in Epitheto ſignificari, in Beatâ Virgine ineſſe, quidquid eſt optimum in triplici mulierum ſtatu. Cum enim ad benedictionem ſpectet, tum integritas, quæ laudabilis eſt in Virginibus, non ſterilitas: tum continentia, quæ in viduis commendabilis eſt, non lecti ſolitudo: tum denique charæ prolis fæcunditas, quæ in nuptis laudatur, non virginitatis iactura; hinc integritas ſine ſterilitate: continentia in conſortio viri: atque tandem, Sa, & Corn. hic.

Chara Dei ſoboles, magnum illius, incrementum.

Abſque Virginitatis iactura, in admirandâ Virgine amico nexu renîdent. Igitur iuxta hanc Patrum expoſitionem Epitheto *Benedicta* Angelus ab Eva Virginem diſcreviſſe videtur; ſcilicèt immunem, immaculatam, liberam ab originis labe, ab infectâ quoque, & totius poſteritatis infectrice mirè intactam. Ad has quoque partes Lutherus aliquando pius defecit, qui ſui immemor, & à veritate duci ſe patiens, ſic de Virgine Benedictâ ſenſit, concionatus eſt, & Scriptis mandavit. Hoc ſibi volunt, inquit, verba illa, quæ Angelus Gabriel ad eam dicebat: *Benedicta tu inter mulieres*: Non enim ad eam dici poſſet, *Benedicta tu*, ſi aliquando maledictioni obnoxia fuiſſet.] Luth. in Evan. feſt. de Cõcep. B.M.

6 Denique Divus Bernardus Epitheton *Benedicta* de benedictione contra ſterilitatis opprobrium exponit: quæ quidem apud Iſraeliticum populum ignominia ingenſque maledictio putabatur: proptereaque ſteriles fœminæ, cum hanc vulgi opinionem non poſſent fugere, ſuam ſterilitatem, non ſine magno animi angore, ſuum vocabant opprobrium. Et ideo Rachel, iam à Deo fœcunditate & filio donata, dixit: *Abſtulit Deus opprobrium meum.* Et Eliſabeth, *In diebus, quibus reſpexit Deus auferre opprobrium meum inter homines.* Vbi notandum, inter homines dixiſſe, quia apud Deum re vera non erat illis probro ſterilitas, maximè cum Sanctiſsimæ mulieres, quæ illi cordi erant, huiuſmodi naturæ vitio laborarint, ſic Deo ad tempus diſponente, vt tandem illis in maius decus, D.Bern. ſupr. Gen. cap. 30. Luc. cap. 1.

mi-

Digitized by Google

mirabilioremque ſui vteri fructum cederet. Quare autem ſic illa natio exiſtimarit, ob id probabiliùs iudico (omiſsis multis cauſis, & ijs, quibus tanquam carnalis populus ſugillatur). quòd videlicèt Meſsîas, quem expectabant, ex Iudæâ gente naſciturus erat: nec erat alia via, niſi propagatio, hanc fœlicitatem finemque optatum aſſequendi. Itaque Bernardus, vt nuper dicebam, contra ſterilitatis opprobium Epitheton *Benedicta* vſurpat, iuxta Iudaicæ gentis opinionem: miréque, vt ſolet, commendat Virginem, quòd ob pudicitiæ amorem, quò ſe Deo ſacrarat, non dubitaverit inter ſuæ gentis homines, virgineæ ſterilitatis opprobrium conſtantèr ferre. Eligis in Iſrael, inquit, eſſe contemptibilis, & vt illi placeas, cui te probaſti, maledictum incurrere ſterilitatis: & ecce maledictio benedictione commutatur: ſterilitas fœcunditate compenſatur. Aperi Virgo ſinum, expande gremium, præpara vterum, quia ecce facturus eſt tibi magna, qui potens eſt: in tantum, vt pro maledictione Iſrael, Beatam te dicant omnes generationes.]

D.Bern. ſup.

7 Hùc, & merito, veniunt exibilandi illi hæretici, qui apud Patrem Maldonatum, altâ impudentiâ, aut densâ lippitudine, non aliam in Epitheto benedictionem ſignificari viderunt, quam quæ omnibus electis communis eſt in Chriſto excipiendo: quos ille, ex eorum interpretatione ſumpto argumento, optimè explodit. Nam ſi Benedicta dicitur præ omnibus mulieribus, vt volunt: ergo Virgo omnibus alijs præfertur in benedictione: ſubindeque non communis, ſed ſingularis eſt benedictio, & excellentior, quantùm matrem Dei mox futuram decebat. At valeant hi, qui quod cæco apparet, non vident: quibus etiam non paucos, ſatiſque oculatos teſtes ac duces dedimus, vt deinceps non impingant.

Mald. Luc. 1.

Cap. III. *An debeat intelligi Angelum Virginem Benedictam cum alijs mulieribus in benedictionibus comparaſſe? Non comparaſſe, magis probatur. Aliæ fœminæ benedictæ dicuntur, ſed longè diſsimilitèr à Virgine.*

1 FUSE Latèque quam benedictionem ſignificet Epitheton Benedicta pertractavimus: in eoque ex Patrum mente copioſam laudum ſegetem devoti Virginis benedictæ cultores demeſſuimus, nec parvus nobis adhùc reſtat proventus. Cùm enim dicat Angelus, *Benedicta tu in mulieribus*: dubitare licet, Num ille Virginem in ſupernis benedictionibus, veluti ſublimiorem, cum alijs fœminis comparet; vel nulli fœminarum comparabilem prædicet? Sunt, qui in mulieribus, præ mulieribus interpretantur: & hi quidem comparando locutum fuiſſe Angelum, ſatis manifeſtant. Sunt vero, qui in mulieribus, aut inter mulieres, legere malunt: ſubindeque nullam in verbis comparationem, ſed potiùs ſingularem, ſegregem, eximiamque Virginem inter omnes mulieres ſignificari cognoſcunt: quibus ego libenter adiungor, atque in eorum ſententiam animo & pedibus eo. Nec propterea aliorum mens diſplicet: Quis enim ſentiat Deigenitricem Mariam ab eo Domino, qui fuit eius filius, non fuiſſe præ omnibus mulieribus donis gratiæ nobilitatam, atque ampliſsimis beneficijs locupletatam: eandemque ab illo, præ alijs, ob egregias virtutes, non ſic meruiſſe benedici? Quandoquidem vtilis eſt comparatio, vt quemadmodum purpuram ad purpuram comparamus, vt quæ ardentiùs oſtro eſt infecta, & alteri præſtet, oculis pateat: Sic Virgo Sanctiſsima, hoc ipſo, quod ad alias mulieres comparetur, quaſi immenſo intervallo, glorioſis meritis & benedictionibus, præ omnibus videatur lucere, & Dubium.

Velut inter ignes
Luna minores.

2 Cæterùm mihi nullam in eis Angeli verbis ineſſe comparationem magis probabile eſt: nec ſanè id ſuadêre opero-

ſum erit. Id imprimis attendo, quod Angelus rem miram Virgini, inſuetam, atque ſæculis inauditam: quæque hominibus, ipſiſque Angelis dignum intulerit ſtuporem, nuntiavit. Quid eſt enim, quamuis virum non cognoſcas, Spiritu Sancto in te ſuperveniente, & virtute Altiſsimi tibi obumbrante, concipies, & paries filium? Præcluſus ergo erat Angelus myſterij magnitudine ac novitate, vt cum comparatione, aliquâve aliarum fœminarum ſimilitudine, Benedictam præ mulieribus, Virginem non poſſet ſalutare. Deinde ſi ad variam ex Patribus & Interpretibus quam dedimus horum verborum expoſitionem me convertero, facile idem convincitur. Nam ſive Benedicta dicatur in mulieribus ob cœli divitias, quibus illius fulgentiſsima anima ornata erat, & cum illis omnium mulierum benedictiones, diſperſaque in illis divina beneficia conferamus: minimè mulierum omnium conventum in benedictionibus ſimilem inveniemus. Vnum enim illorum beneficiorum, quæ Virgo Benedicta à Deo accepit, eſt gratia & dignitas matris, quarum vtraque prope infinita Divo Thomæ, & Dioniſio Carthuſiano habetur: & quidem matris gratiâ, & dignitate,

Sedul. *Nec primam ſimilem viſa eſt, nec habere ſequentem.*

Euſ.hom.ſup. Muſ.eſt. Dicam ergo cum Euſebio Emiſſeno, non habet filius in hominibus parem: non habet mater in mulieribus ſimilem.]

3 Sive etiam Virgo Epitheto *Benedicta* gaudeat ſecundum fœcunditatis & prolis ſignificationem, nullus comparationi relinquitur locus. Virgo & fœcunda, Mater & Virgo, Deum & Hominem concipiens, eundemque illibatâ virginitate in lucem edens, quiddam humano maius eſt: miraculum eſt in eâ ſemel divinâ potentiâ effectum, nunquam in aliâ fœminâ patrandum. Tu verè Benedicta, inquit Andreas Cretenſis, quæ ſola ex omnibus matribus creatori tuo mater electa es, & quod eſt matrum omnium proprium, ignoras: cuius quoque excellentiâ virginitatis, maternis doloribus corrupta non es: Virgineo germine tuo ſigna tuæ caſtitatis integra conſervante. Tu vero Benedicta ſine viri coniunctione filium genuiſti, qui cœlos condidit, & terram virginitate tuâ cœlis exæquavit.] Et alter Andreas Ioroſolymitanus: Sola verè Benedicta es, quam montem magnum vir ille deſiderabilis

[Margin: Cret. in orat. Annunt.]

[Margin: Andr. Ieroſ. contempl. in D. Virg.]

Da-

Daniel vidit, ac montem obumbrantem Abacuc ille admirabilis, montem prætereà Dei, montem pinguem, montem quem Deo inhabitare placuit.] Et Arias Montanus: Ea autem dignitas erit, vt in mulieribus ſis Benedicta, fructu videlicet benedictionis æternæ in te producto, ita vt nullum vnquam ſimile tui commemorari poſsit in mulieribus exemplum.] Cornelius à Lapide: Tu ò Maria ſola omnium mulierum es Benedicta ſingulariter, quia vti Virgo es, ſic eris & Mater: ac ſicut ſine libidine concipies, ſic & ſine dolore paries vnigenitum Dei filium, cum ceteræ mulieres poſteræ Euæ cum libidine concipiant, & cum dolore pariunt miſellos infantes, aut certè ſteriles ſint.] Solam ergo ſingularem Virginem, ſingulariterque Benedictam (vt vidimus ex his Patribus, & alijs, quos breuitatis ergô omitto) Angelus prædicavit: illius ſimilem in toto fœmineo genere non invenire potuit: Ideoque iurè & rectè Sancta Mater Eccleſia canit: Tu ſola ſine exemplo placuiſti Domino noſtro Ieſu Chriſto. Luc.c.1. Corn.ibi.

4 Sive tandem Benedicta dicatur in mulieribus, ſumptâ hîc benedictione maledictioni Euæ & totius poſteritatis oppoſitâ, nihilnon diſpar, & toto cœlo diſsimile apparet: proindeque in antitheſi, ſola Virginis laus elucet, & more oppoſitorum iuxta ſe poſitorum, nitidiùs effulget. Illa quidem, gratiam, qua concepta eſt, nunquam amiſit: Eva infœliciter ſibi & poſteris originalem iuſtitiam perdidit. Illa obtrito ſerpentis capite, Dei atque hominum dignis benedictionibus exaltatur. Eva admiſſo colubri ſibilo, cum longâ filiorum ſerie, Dei maledictione deprimitur. Illa, Sancto obumbrante Spiritu, virginitatis incremento concepit: Evæ filiæ, ſicut Eva ipſa, virgineo demeſſo flore, fœcundæ evadunt; vel fortè ad augmentum miſeriæ, ſteriles. Illa delitijs cœleſtibus affluens peperit: Evæ filiæ, ſicut earum mater, fortitèr in partu, velut in patibulo, torquentur. Illa Deum & hominem, mirâ ac ſtupendâ divinæ ac humanæ naturæ coniunctione, orbis lætitiæ edidit: Evæ filiæ, velut ipſa, miſellos infantes Diabolo mancipatos emittunt. Verè hæc antitheta ſunt, quæ interdùm, eſtò adverſos proferant effectus, omnibus fœminis neceſsitatem Virginis adeundæ & precibus exorandæ, amicè oſtendunt: vt de eius incomparabili benedictione ſuarum miſeriarum remedium

D. Fulg. de Laud. B. Vir. dium largitèr hauriant, ſic eas adhortante Divo Fulgentio: Venîte virgines ad Virginem, venîte concipientes ad concipientem, venîte parturientes ad parturientem, venîte matres ad matrem, venîte lactantes ad lactantem, venîte iuvenculæ ad iuvenculam. Ideo omnes iſti curſus naturæ Virgo Maria in Domino noſtro Ieſu Chriſto ſuſcepit, vt omnibus ad ſe confugientibus fœminis ſubvenîret, & ſic reſtauraret omne genus fœminarum ad ſe venientium, nova Eva ſervando virginitatem, ſicut omne genus virorum Adam novus recuperat Dominus noſter Ieſus Chriſtus.] Optime ſane Virgo nova Eva dicitur, quæ nihil cum antiqua habet commune: in qua ſingularis novitatis iure, omnes naturæ curſus novi Adami gratiâ, in matrem largiſsimè effusâ, correctos & emendatos videmus. Etenim, ſicut ſine novi Adami ſingularitate, tanta gratia ac benedictio mortalibus promanare non poterat: ita ſine ſingularitate novæ Virginis Evæ, illis non poterat effundi. Proinde

Græc. in cat. apud Divum Thomam Author Græcus, Benedicantur, inquit, in te mulieres, ſicut mares in filio, ſed magis vtrique in vtriſque. Velut enim per vnam fœminam, & vnum marem, peccatum ſimul ac triſtitia intravit: ſic per vnam & vnum benedictio revocata eſt & lætitia, & ad ſingulos eſt profuſa.]

5 Obijciat nobis aliquis, Inſignes fœminas in Sacra Scriptura eodem Epitheto gaudere cum Virgine: dicitur enim de

Iud. c. 13. Iudith, *Benedicta es tu filia à Domino Deo excelſo præ omnibus*

Iudic. c. 5. *mulieribus ſuper terram.* Et de Iahel, *Benedicta inter mulieres Iahel vxor Haber Cinæi, & benedicatur in tabernaculo ſuo.* Et

Reg. 1. c. 25. de Abigail, *Benedicta tu, quæ prohibuiſti me hodie, ne irem ad ſanguinem, & vlciſcerer me manu mea.* Reſpondeo, eodem gaudere, ſed quàm longe inferiori, nec comparanda laude: velut ſi ſolem, lunam, ſtellaſque, lumina voces: cum eodem nomine tamen, ad ſolis aſpectum, nec lumina erunt. Et quidem Virgo Benedicta electa eſt vt ſol, vt eæ præclaræ fœminæ potius de illius fulgôre accepiſſe videantur, quàm poſsint de

Ianſ. in cor c. Evang. cap. 3. ſuo laudari. Hùc adeſt Ianſenius, Longè autem, inquit, excellentiori ratione Benedicta inter mulieres Virgo nunc dicitur, quàm olim Iudith, quæ vt huius Virginis ſicut & Iahel typus fuit: ita eidem excellentia illa benedictionis non convenit perfectè niſi quatenus huius typum prætulit. Illa enim à

Deo

Digitized by Google

Deo Benedicta propter ſingularem illam gratiam & fortitudinem, qua Holophernem perdidit, dicta eſt. Hæc vero ob ſingulare privilegium nulli vnquam præſtitum mulieri, nec vnquam præſtandum, quo ſcilicèt Deum parere meruit, & Virgo ſimul eſſe & Mater. Proinde expendenda diligentèr emphaſis, quæ eſt in pronomine *tu*, & in præpoſitione *in*, vel *inter*. Non enim dicitur quemadmodum Iudith Benedicta præ mulieribus, hoc eſt, magis quàm reliquæ: ſed quaſi dicat, Tu ſola inter omnes mulieres maledictionis expers, reliquæ omnes maledictioni obnoxiæ.] Vide quot modis ille Virginem, extra comparationis aleam, Benedictam in mulieribus probat, à typo, à cauſâ, à verbis Scripturæ, ſeu formâ laudandi. Cui in his poſtremis arguendi modis par eſt Arias Montanus, qui fortiſsimum Iahelis factum celebrans, prius carmine, deinde ſolutâ oratione, ſacrum textum explanat. Ar. Mont. Iudic. c. 5.

Hebri benignam Iaghela coniugem
Non deſinendis dicite laudibus,
Quas nulla degens per vagantes
Vſque domos mulier reportet.

Quod autem præ ceteris mulieribus laude atque commendatione hanc dignam eſſe ait, non ad vniverſum fœminarum genus, ſed ad ſuum tantum conditionis ac loci ordinem referimus: hoc eſt, ad eas, quæ eandem vitæ formam colerent, in tentorijſque per agros habitarent, aut vagarentur, quarum nulla tantum facinus, tantâ dexteritate ac fœlicitate, peregiſſe memoratur: ideoque nulla tantis laudibus præmijſque digna cenſenda eſt. Nam ſupræmam vltra omnes mulieres, laudem & gratiam, ſummumque decus, vni Mariæ, perpetuæ Virgini, Ieſu Chriſti Matri, adſcribi Deus voluit. Hanc explicationem, tùm res ipſa ratioque veriſsimè ſuggerit, tum etiam ſacri Sermonis ſimplex lectio interpretatioque docet. Benedicetur præ mulieribus Iaghel vxor Heber Kenei, præ mulieribus in Tabernaculo benedicetur. Præ mulieribus, ait, in Tabernaculo degentibus, eo orationis tropo, quo ille dixit, Fortiſsima Tyndaridârum.] Hucuſque vir eruditus, & quidem accuratè. Itaque nihil refert, quod celebres mulieres Benedictæ dicantur: ſingulari enim benedictione Virgo Maria omnes ſuperexcellit, pariter ac eos Sanctos, gratiâ plenos cognomi-

Digitized by Google

Epith.2.c.1. minatos, ſuâ incomparabili plenitudine ſuperat, vt ſuprà dictum eſt.

EPITHETON IV. EX D. LVC. CAP. I.

QVÆ CVM AVDISSET, TVRBATA EST IN ſermone eius.

Cap. I. *Turbatio Virginis laudabilis & perfectiſsima. Cur Angelum ſalutantem non reſalutavit? Turbatio eius, non ex aliqua corporis infirmitate orta, ſed voluntaria fuit. Cur voluerit turbari, examinatur.*

1 MIRUM Quot in hoc Epitheto miræ virtutes lateant, quamque luculentèr eas inveſtigent ac expendant Patres & Interpretes: quorum ſenſus & ſententias quodam ſubtexere ordine, iucundus erit nobis labor. Non enim tantæ Virginis turbatio ex nihilo fuit, aut ex cordis levitate, aliquove modo reprehenſibilis, ſed maximè ſtudioſa, prudentiæque plena. Id ergo primò adſtruamus ex illorum mente. Turbatio iſta, inquit, Divus Dioniſius Carthuſianus, nec imperfectionis fuit, nec culpæ, ſed venerationis ac verecundiæ virginalis.] Et Simon de Caſia, Ex pietate, ait, erat iſta turbatio, non ex indebitâ paſsione.] Echius etiam, Maria hic turbata eſt ſine omni vitio.] Alios quidem modo omitto, id ipſum, vt videbimus, diſcuſsis turbationis cauſis, perſuadentes. Sed ſtatim occurrit, cur cœleſti finitâ Angeli Salutatione, & quando ſalutantem reſalutare, illique gratam ſe oſtendere, opportunum videbatur, comis Virgo tacuit? Videlicet turbata erat in Sermone Angeli: & turbatio quidem ad ea quæ advertere & facere oportet, mentem obcæcat. Sed ob id tacuiſſe, nemo mihi perſuadebit: nam ſi turbata potuit, qualis eſſet cogitare ſalutatio, quis neget ſalutanti, comi ſalutatione potuiſſe reſpondere? Quandoquidem hoc facile, illud arduum & penè inexcrutabile erat. Propterea censêre æquum eſt, quod ille ſupernus Virginis animus abſque vllâ prorſus imperfectione fuerit turbatus: ſiqui-

Carth.hic.

Caſian. lib.2. de Virg.Mar.

Dubium.

[q]uidem ad rerum divinarum meditationem, his, quæ huma-
[n]æ politiæ erant, omiſsis, mentem evexit.

2 Sed neque perfectiſsimæ Virgini; inſolitis elogijs, &
unquam auditis, ab Angelo ſalutatæ, abſque tantorum præ-
oniorum, & quò tenderent, meditatione, exhibere reſpon-
[ſ]um, congruum erat. Hoc ſanè leviſsimi & imprudentiſsimi
[e]ſt animi, Salomone dicente: *Qui prius reſpondet, quam au-*
iat, ſtultum ſe eſſe demonſtrat. Quod ait, non quia prius Prov. 18.
ure corporis non audierit, ſed quia ad rem animo non per-
eptam reſpondere audet: res enim non intellecta pro non au-
litâ habetur. Vnde Patres meritò ſilentium Virginis laudant.
Bernardus dicit, Quod tacuit, & cogitavit, prudentiæ fuit.]
Et Eraſmus in paucis rebus pius Author: Quod non illicò reſ- Eraſ. in paraſ. Evang.
[p]ondit, ſed ſecum in animo verſabat, quid ſibi vellet tam no-
[v]a, tamque magnifica ſalutatio, partìm erat prudentiæ, par-
tìm erat modeſtiæ.] Fecit ergo prudentiſsima iuxtàque mo-
deſtiſsima Virgo quod Eccleſiaſticus admonet: *Antequàm lo-* Eccl. c. 8.
quaris, diſce; vt nos iam non ſolo huius monito, ſed etiam
Virginis exemplo conſideratè loqui diſcamus.

3 Altiùs & penitiùs adhuc miram Virginis turbationem
iubet nobis examinare. Cum enim illa omnes animæ habue-
rit affectus ordinatiſsimos, quoſuiſque appetitus, atque cor-
poris motus rationi ſubditos, qui non poſſent oppugnare men-
tem, nedum expugnare: ſive eos habuerit compoſitos, iuxta
varia Theologorum placita, per alligationem, vel omnimo-
dam fomitis deletionem, à primo ſuæ fœlicis in gratia con-
ceptionis inſtanti, aut in ſecundâ ſanctificatione: fit inde,
quod turbatio coram Angelo ſalutante, fuerit ordinatiſsima,
prorſuſque perfectiſsima. Imo cum illis, vt à propriâ volun-
tate pendentibus, omninoque voluntarijs, rectiſsimè, pro vt
volebat, vteretur: ſponte & quia voluit, vt opinántur Car-
dinalis Toletus, & Cornelius, turbata eſt Virgo: Quo circa Cardin. Tol.
eius turbatio, non paſsio, ſed propaſsio nuncupânda eſt, vt- annot. 74.
potè non præveniens rationis iudicium, ſed potius illi obtem- Cornel hic.
perans, cuius nutu excitata eſt. Nec quod orta fuerit ex ne-
ceſsitate materiæ, ſeu ex infirmitate corporis, quod debilita-
tur, dum mens ad ſuperna evehitur, ſentiendum eſt, vt Caie- Suar. tom. 2.
tanus ſentit: quem bene Pater Suarez impugnat, & ratio à no- in 3. p. diſp. 9.
bis adducta. ſect. 3.

Quæ

4 Quæ doctrina ſic ſatis fulciri videtur. Quia ſi decuit Virginem non modo gravi non inquinari labe, ſed ne levi quidem, vt talis ſuo modo (verba ſunt Auguſtini) ſit mater, qualis eſt filius:] decuit quoque ipſam libero paſsionum dominatu vti, vt ſuo modo, id eſt diſpari causâ, non cum æquali excellentiâ ac perfectione, in illarum vſu filio ſuo ſimilis eſſet: quippe filius à gratiâ vnionis ſubſtantiali, quâ erat Deus, dominari præcipuè affectibus habebat: mater autem Virgo ab accidentali gratiæ dono, & conceſſo ſibi privilegio. Tum quia, quod affectus in nobis rationem præoccupent, & voluntarij non ſint, ex originali promanat peccato: cum ergo, vt piè ſatemur, & ſanctior tenet ſententia, ab hâc labe Virgo immunis fuerit, fit conſequens, affectus in ea fuiſſe liberos. Tum quia Virgo ſaltèm quoad hos effectus, de quibus modo diſſerimus, iuſtitiâ originali, ſive indiſtincta ſit à gratiâ habituali, ſive diſtincta (vt plures Theologi contendunt) donata fuit: quia illi nulla gratia, aut privilegium, Adamo vel mortalium alicui conceſſum, negari debet. Tum denique, quia Divus Dionyſius Carthuſianus turbationem Virginis cum Chriſti turbatione comparando, tantùm in modo, quem nunc diſparem aſsignavimus, diſtare docet. Huiuſmodi ſancta turbatio, inquit, excellentiori modo etiam fuit in Chriſto, iuxta illud Ioannis, *Infremuit ſpiritu & turbavit ſe ipſum.* Eſt autem alia turbatio immoderata, & vitioſa quieti pacique mentis contraria, rationis impeditiva, quæ longe fuit à Chriſto, & à Virgine prælecta.] Albertus Magnus his verbis idem docere videtur: In Chriſto igitur fuit turbatio tantùm tangens; turbatio autem tangens & cingens, ita ſcilicet, quæ de modo completionis nubilum & admirationem inducit, in Beata Virgine fuit.] Quaſi clarius velit dicere: Ita mira erat ſalutatio Angeli, ſacriſque cincta tenebris, vt captum Virginis fugeret: & ideo compos illa ſui, qualis eſſet ſalutatio, aſſequi cogitando tentabat: vt ſolemus, cum in aliquem obſcurum doctrinæ locum incidimus.

(Auguſt. ſerm. ad Frat. in Ere. — Carthuſ. hic. — Ioan. 11. — Alb. Mag. hic.)

5 Inquirendum modo ſe offert, Cur Virgo, quæ (vt Cornelius & Toletus aſſerunt) voluntariè turbata eſt, huiuſmodi turbationis affectum aſſumere voluit? Huius enim ratio, ab illis quidem omiſſa, reddenda profectò, vel quærenda eſt:

(Dubium.)

præ-

æcipuè, cum nemo Patrum, & Doctorum ſit, qui in aſſump-
; à Chriſto Domino paſsionibus, cauſam non aſsignet. Vo-
it, inquiunt, Chriſtus turbari, & triſtari, & mæſtus eſſe. vt
verum hominem oſtenderet. Eleganter Divus Ambroſius: D. Ambr. in Luc. c. 22.
onfidentèr ergo, inquit, triſtitiam nomino, qui crucem præ-
co: nec enim ſpeciem incarnationis ſuſcepit, ſed veritatem.]
uod eſt dicere: Verus fuit homo, qui affici triſtitiâ, & cruce
tuit, & voluit, cum in eo, non vmbra, ſed vera hominis
ro fuerit. Auguſtinus quoque pulchrè exponit, ita vt nobis Auguſt. in Pſ. 87.
latio ſint, Chriſti triſtitià, & mortis metus, ne huiuſmodi
ectus peccata eſſe putaremus. Vt ſi cui eorum, ideſt fide-
m, inter humanas, inquit, tentationes contriſtari, & do-
e contingeret, non ideo ſe ab eius gratià putaret alienum,
non eſſe iſta peccata, ſed humanæ infirmitatis indicia, tan-
am voci præmiſſæ concinens chorus, ita eius corpus ex ipſo
o capite addiſceret.] Nunc ego voluiſſe exiſtimo Virginem
rbari, vt Domino, quem ſpiritualitèr ſecum eſſe, & tam
nabiliter gratijs & donis illam proſequentem ab Angelo au-
erat, reverentiam & amorem, vt debebat, exhiberet. Et
idem homines coram Regibus turbari, venerationi ducitur;
tunc maximè, quando illos erga ſe munificos experiuntur.
nde Chriſtus Dominus quodam cum timore inducit homi-
s, quos admonet, Patri cœleſti illis dare regnum placuiſſe:
o ite, inquit, timere puſillus grex, quoniam complacuit Pa- Luc. 12.
veſtro dare vobis regnum. Præterea voluit Virgo ſe humi-
n aliquo affectu, tantoque indignam præconio, necnon vir-
gineum pudorem, auditis illis verbis, *Benedicta tu in mu-
lieribus*, oſtendere: in quibus, vt ſupra diſ-
putavimus, ſe benedictione prolis
fœcundam prævide-
bat.

****

H Cap.

Digitized by Google

Cap. II. *Quæ paſsio animi fuerit illa Sancta Virginis turbatio, oſtenditur. Quomodo illam cognoverit Angelus? Non in oris pallore, & corporis trepidatione, vt aliqui opinantur, ſed in rubore virginali, cognoviſſe probatur. Impugnans obiectio refellitur.*

Dubium. 1 POSTQUAM Turbationem (vt decebat talem ac tantam Virginem) fuiſſe perfectiſsimam oſtendimus: videndum nobis modo eſt, quæ paſsio animi fuerit illa ſancta turbatio. Quatuor ſane ſunt principales animi paſsiones, ex quibus aliæ gignuntur, quas communiter Auguſtinus & Philoſophi perturbationes appellant: videlicet, timor, cupiditas, triſtitia, gaudium; eaſque Virgilius hoc carmine amplexus eſt:

Aug. lib. 4. de Civit. c. 2.

Æneid. 6.

Hinc metuunt, cupiuntque, dolent, gaudentque.

Lib. 3. lem. 4. Et ego in mei Parentis Divi Petri Nolaſco Diagoge hoc diſticho:

Egra vbi mens gaudet, metuitque, cupitque, doletque,
Caſtigatæ equidem eſt carnis inepta ſalus.

Quâ ſuper re, certum eſt apud Expoſitores, illam Mariæ turbationem ad timorem pertinuiſſe, nitentes in his Angeli verbis, *Ne timeas Maria.* Et quidem, vt cenſeo, congruentiſsimè. Nam ille timor erat puriſsimi animi affectus, quaſi præſagientis Deum ſapientiam Patris in candidiſsimam Virginis aulam deſcenſurum: quæ iam dignè, vt par erat; cum timore ſancto, & amore puro, ad illum mox ſuſcipiendum ſe præparabat: eo vtique modo, quo ipſa de ſe locuta eſt: *Ego mater pulchræ dilectionis, & timoris, & agnitionis, & ſanctæ ſpei.* Quod etiam ex ſalutatione, in qua ei dictum fuerat ab Angelo, *Benedicta tu in mulieribus*, ipſa beata Virgo, vt iam vidimus, non obſcurè intellexit.

Ecclici. 24.

Dubium. 2 Quomodo autem Angelus Mariæ timorem cognoverit? quærit Pater Maldonatus. Cui dubio reſpondet: Potuit ex vultu, ex cunctatione, & tacita cogitatione cognoſcere. At cunctationem illam, & tacitam cogitationem, timorem indi-

Digitized by Google

ıdicare, vel ad illum poſſe pertinêre, vix mihi, perſuadeam. uin oſtenſum eſt, & ex Patribus amplius oſtendemus, ſilenum, & reſpondendi cunctationem, modò prudentiæ, modò ıodeſtiæ, & alijs virtutibus, neutiquam tribui timori; potius go illarum erant virtutum indicio, quam timoris. Quod ıtem ex vultu potuit cognoſcere, negari non poteſt : nam ıxta Servium, omnis affectus tribus rebus oſtenditur, vultu, oce, geſtu : ſed cum nihil in geſtu aut vultu indicij deſignet, ıod in eo, vt effectum timoris, viderit Angelus, reſtat hoc quirendum. Cardinalis Toletus, ex eo quod evenit in om- i animi perturbatione, quæ non fit ſine ſanguinis, & corpo- s commotione, Sacratiſsimum Virginis corpus concuſsio- :m alterationemque, vt ſolet timentibus accidere, paſſum iſſe docet. Quò etiam Erythræa Sibilla in his carminibus cedere videtur: Serv. Æne. 2. Tol. hic ann. 74. Sibil. lib. 8. Oracul.

Tum Virginitatis amatrix
Perpetuæ, magno ſubitò correpta ſtupore,
Atque metu, trepida preſsit formidine mentem,
Immotis verbis, commoto corde tremiſcens.

ſoc ita conceſſo, in vultus pallore, & corporis trepidatione, arè vidit Angelus Virginis timorem. Verùm ego nunquam dduci potero, vt illâ Virginis turbatione, ſentiam eius coris alteratione, vultumque pallôre fuiſſe dehoneſtatum. Quia imirum illa turbatio non adeo vehemens fuit, vt terribiles los, & pænè læthales affectus poſſet cauſare : quique procul ubio mentem ad cogitandum ineptam redderent, quod Evaneliſtæ menti ſcribentis, *cogitabat, qualis eſſet ſalutatio*, maifeſtè repugnat. Quo eius teſtimonio, ni ſplendidè velimus illi, turbatio moderata fuiſſe colligitur, & ad meditandi muus, ne leviter quidem animæ obfuiſſe. Vnde dulcis Doctor icit. Turbata eſt, ſed non perturbata. Quod turbata eſt, erecundiæ fuit virginalis, quod non perturbata, fortitudiis.] Tum, vt benè in hac re, ait Eraſmus, Non nihil animo ırbata eſt,] quo clarè demonſtrat lenem fuiſſe & minimè aſpeım turbationis effectum. Quod amplius expreſsit Ianſenius c ſcribens : Verum quanuis turbatur, non tamen turbatio ıentis iudicium ademit, & vſum : vnde de eâ non dicit, uemadmodum de Zachariâ, Et *timor irruit ſuper eum*, ſed Bern ſerm. 3. ſup. Miſſ. es. Eraſ. in paraſ. Evang. Ianſ. in conc. Evan. c. 3.

 vt

vt conſtantiam animi eius, & turbationis moderationem inſinuaret, ſubiecit: *Et cogitabat qualis eſſet ſalutatio.*] Si ergo in illa turbatione fortitudo reſplenduit, vbi eſt ille frigidus pallor, & concutiens timor, qui velut mortis effectus, menti & corpori languorem ferè exanimem afferunt? Vbi illa turbatio, etiam naturalitèr inculpabilis, quæ, vt oſtenſum eſt, tot laudibus à Patribus pervulgata dignèque celebrata eſt? Anne nihil intereſt inter timorem ſuper Zachariam irruentem, & lenitèr Virginis pectus ſubintrantem? An, quod ad preſentiam neſcio cuius numinis, Sibillæ Poeta tribuit, tribuendum quoque eſt Mariæ ad præſentiam cæleſtis Angeli? Sic ille canit:

Ventum erat ad limen, cum Virgo, Poſcere fata
Virg. Æneí. 6. *Tempus ait: Deus ecce, Deus. Cui talia fanti,*
Ante fores ſubito, non vultus, non color vnus,
Non comptæ manſere comæ: ſed pectus anhelum,
Et rabie fera corda tument: maiorque videri,
Nec mortale ſonans, afflata eſt numine quando
Iam propiore Dei.

Quid potuit dici horribilius!

3 Quo circa, vt decor Virgine dignus ſervetur, non alium timoris ſui effectum fuiſſe ſentio, quam ruborem caſtum, virginalemque verecundiam, quæ per ſacrum Mariæ os ſuffuſa, decôras micanti genas purpuravit flammâ, reddiditque pulchiores. Sic nobiſcum nobilis quidam Orator ſentit: Verùm ad honorificam ſalutationis vocem turbatur pudibunda Virgo. O quam decens turbata Virginitas, dum ſuffuſo pudore colorâtur in roſas! O fertiliſsimam florum Nazareth, quæ roſas liberalitèr producis, & in hortulis, & in genis! Tum cultus admodum Poeta.

Baptiſ. Ferra. in legat. ad Virg.

Iacob. Bider. Epigram. lib. 1. Epigr. 46.

Mortali cæleſtis Ave cum lingua puellæ
Diceret (ò omen grande ſalutis Ave!)
Erubuit mutata genas, vultumque puella,
Caſtaque in obiectam lumina fixit humum.

Hinc Angelus, pudico oris igne viſo, dixit: *Ne timeas Maria.* Id confirmantem Bernardum, & Dioniſium Carthuſianum nuper vidimus. Modo adeſt Ambroſius, qui ait: Et ideo cum verecundia, quia pavebat.] Et paucis interpoſitis, rubôrem Virginis pulchrè ab Eliſabethæ rubôre diſtinguens: Erubeſcebat;

D. Ambr. hic lib. 2.

Digitized by Google

bat ergo, ait, Maria: Erubeſcebat etiam Eliſabeht. Et ideò cognoſcamus quid interſit inter mulieris & Virginis verecundiam. Illa de cauſâ erubeſcebat, hæc pro verecundiâ. In muliere modus pudôris adhibetur; in Virgine pudôris augetur gratia.]

4 Non gravis ero, ſi hùc advoco quoddam Problema, quod hiſpano carmine celeberrimus quondâm Magni Philippi Quarti Eſculapius, ſic proponit: Hiero. Huerta Probl. de Verec.

Quedaſe como difunto,
Palido, y deſcolorido,
El que es de temor vencido,
Y por ſer aſsi, pregunto:
Si es la verguença temor,
Que de reſpeto nos nace,
Como al blanco roſtro haze
Salir roſado color?
Si el frio temor retira
El eſpiritu à ſu centro,
Y huyendo la ſangre adentro
La boca apenas reſpira.
Como ſaliendo al contrario,
Con la verguença àzia fuera,
Queda la lengua parlera,
Como muda de ordinario?

In huius igitur Sphingis enodatione docet, cum ex diverſis cauſis neceſſum ſit diſsimiles oriri effectus: ſitque pollôris cauſa metus, ſicut pudor verecundiæ: vnde certum apud omnes, quod palleſcunt, qui timent, & rubeſcunt, quos pudet; fieri non poſſe ex timore verecundiam oriri. Sed hoc quidem, cum loquimur de Virginis timore, qui fuit lenis, & temperatus, parum momenti habet. Et ſanè miror, quod ipſe, qui bene norat, vt fatetur, ex Ariſtotelis mente, verecundiam ex timore progigni, eius placito apertè adverſetur, & nullo inter timores blandos & violentos adiecto diſcrimine. Profectò Philoſophus illud non obſcurè aſsignat: Duplex eſt enim, inquit, timoris ſpecies: vna cum reverentiâ & pudore, quâ vtuntur ad patres filij modeſti, & cives benè morati ad benevolos gubernatores. Altera cum inimicitiâ & odio, ſicut ſervi ad Æconom. lib. 2. c. 2.

Cap. 3. dominos, & cives ad tyrannos iniuſtos, & iniquos.] Et alibi addit: Nam neque amorem, neque timorem abſque verecundiâ laudavit Homerus: ſed vbique amare præcipit cum modeſtiâ & pudôre.] Quid clariùs & noſtræ Virgini aptiùs? Timor, quem illa in corde concepit, ſalutante Angelo, filiæ fuit ad cœleſtem patrem modeſtiſsimæ, ac veluti civis benè moratæ ad Deum benevolum ſui pectoris gubernatorem, qui æconomiâ mirâ, ad ſublimia prorſuſque ineffabilia matris munera, illam extollebat. Et ſane id quod Homerus laudavit: pariter Patres nihil amplius cœlo æquant laudibus, quàm Virginis timorem cum verecundiâ coniunctum. Vnde Bernardus ait: Virginalis verecundia tua timere ſolet. Bern. ſerm. cit.

5 Quin, vt noſtram Spartam in Virginis laudem magis ornemus, iuvat me ex Virgilio nonnullum florem, qui timorem cum verecundiâ redoleat, decerpere. Introducit magnus Poeta matrem, coram Laviniâ filiâ, Turni fatis ſe præſagientem obnoxiam, his cárminibus:

Æneі. lib. 12.

Qui te cumque manent iſto certamine caſus,
Et me, Turne, manent: ſimul hæc inviſa relinquam
Lumina, nec generum Æneam captiva videbo.

Vnde, vt videtis, Lavinia non potuit, niſi mali futuri, quod mater infauſtiſsimè augurabatur, timore corripi. At ſolertiſſimus vates, non fœdo pallôre, ſed pulchro rubóre, formoſæ puellæ ora tinxit. Sic enim eleganter ac dulíſsimè canit.

Accepit vocem lachrimis Lavinia matris,
Flagrantes perfuſa genas, cui plurimus ignem
Subiecit rubor, & calefacta per ora cucurrit.
Indum ſanguineo veluti violaverit oſtro
Siquis ebur, vel miſta rubent vbi lilia multa
Alba roſa: tales Virgo dabat ore colores.

Non aliter ego omnium pulcherrimam Virginum à concepto timore erubuiſſe Virginem iudico: cuius decôra verecundia ſuæ immaculatæ Virginitatis color eſt, & roſa candidiſsimis lilijs miſta. Neque enim Diogeni obſiſtam, qui, vt refert Lypſius, Adoleſcentulum cernens erubeſcentem: Confide, inquit, talis virtutis eſt color.] Et rurſus, quamuis per me, eo omnes purpuriſſo virtutes flammeſcant & ornentur: certè tamen, cui magis ille roſeus color debeatur, & innato iure conveniat, quàm

In comment. ſen. lib. 1. ep. Epiſt. 11.

quàm caſtitatis, & virginalis munditiei lilijs, quæ ſemper in Mariâ Dei matre fulſit, non video.

Cap. III. *De cauſis turbationis Virginis Mariæ. Prima eſt, quia vidit Angelum in forma viri. Adverſus illam obiectio ſoluta. Quid magis terreat homines, Angelorum aſpectus, an colloquium? Communis obiectio, Non potuiſſe Virginem cùm in viſione, tùm in Angeli ſermone turbari, diluitur. De Virginis turbatione, & Evæ imperturbatione, Antitheſis. Affectionum rectus vſus, ex Auguſtini doctrinu.*

1 CAUSAS Modò turbationis Beatæ Mariæ ſedulò meditabimur: Non equidem vnam, ſed multiplicem aſsignant Patres. Alij turbatam fuiſſe aiunt in Angeli viſione: alij in ſermone & Angeli viſione. Tum, qui in cauſis conveniunt, in fundamentis, & rationibus diſsident. Sed in hoc capite, vt ſervato ordine procedamus, de primâ tantum cauſâ agemus.

2 Ea igitur eſt, quòd Virgo in forma viri Angelum vidit. Hanc tradit Divus Ambroſius: Angelum, inquit, in ſpecie viri vidit, & pavebat corde, peregrinabatur aſpectu, vnde dicit ad eam Angelus, *Ne timeas Maria.*] Et alibi: Angelum Maria, quaſi viri ſpecie mota, trepida: quaſi non incognitum, audito nomine recognovit.] Nec aliter ſentire videtur Divus Hieronimus, qui ad Lætam ſcribens, Ideo forſan, inquit, timore perterrita eſt, quia virum, quem non ſolebat, aſpexit.] Et ad Euſtochium aſſeveranter: Quæ hominem formidabat, cum Angelo loquebatur intrepida.] Pater Maldonatus, Ambroſij ſententiam approbat, & confirmat: Tùm quia Sanctus Doctor, Theophylatus, Et Euthymius, ex textu Græco vertunt: *Quæ cum vidiſſet, turbata eſt in ſermone eius.* Tùm quia magis aſpectu, quàm colloquio Angelorum, turbari homines ſolent, vt viſum ſupra eſt in Zachariâ, & in mulieribus ſepulchrum Domini inviſentibus, & in Daniele. Etenim, vt ille ait, magis inſolens eſt Angeli aſpectus, quam collo-

Ambr. in exhort. ad Virg.

Lib. 2. de Vir.

Hier. Epiſt. 7. ad Lat.

Ad Euſt. Ep. 22.

Mald.

Luc. 1.

Math. 28.

Dan. c. 12.

Epith.2.c.1. minatos ; ſuâ incomparabili plenitudine ſuperat, vt ſuprà dictum eſt.

EPITHETON IV. EX D. LVC. CAP. I.

QVÆ CVM AVDISSET, TVRBATA EST IN ſermone eius.

Cap. I. *Turbatio Virginis laudabilis & perfectiſsima. Cur Angelum ſalutantem non reſalutavit? Turbatio eius, non ex aliqua corporis infirmitate orta, ſed voluntaria fuit. Cur voluerit turbari, examinatur.*

1 MIRUM Quot in hoc Epitheto miræ virtutes lateant, quamque luculentèr eas inveſtigent ac expendant Patres & Interpretes: quorum ſenſus & ſententias quodam ſubtexere ordine, iucundus erit nobis labor. Non enim tantæ Virginis turbatio ex nihilo fuit, aut ex cordis levitate, aliquove modo reprehenſibilis, ſed maximè ſtudioſa, prudentiæque plena. Id ergo primò adſtruamus ex illorum mente. Turbatio iſta, inquit, Divus Dionifius Carthuſianus, nec imperfectionis fuit, nec culpæ, ſed venerationis ac verecundiæ virginalis.] Et Simon de Caſia, Ex pietate, ait, erat iſta turbatio, non ex indebitâ paſsione.] Echius etiam, Maria hic turbata eſt ſine omni vitio.] Alios quidem modo omitto, id ipſum, vt videbimus, diſcuſsis turbationis cauſis, perſuadentes. Sed ſtatim occurrit, cur cœleſti finitâ Angeli Salutatione, & quando ſalutantem reſalutare, illique gratam ſe oſtendere, opportunum videbatur, comis Virgo tacuit? Videlicet turbata erat in Sermone Angeli: & turbatio quidem ad ea quæ advertere & facere oportet, mentem obcæcat. Sed ob id tacuiſſe, nemo mihi perſuadebit: nam ſi turbata potuit, qualis eſſet cogitare ſalutatio, quis neget ſalutanti, comi ſalutatione potuiſſe reſpondere? Quandoquidem hoc facile, illud arduum & penè inexcrutabile erat. Propterea censère æquum eſt, quod ille ſupernus Virginis animus abſque vllâ prorſus imperfectione fuerit turbatus: ſiqui-

Carth. hic.
Caſian. lib. 2. de Virg. Mar.
Dubium.

Digitized by Google

quidem ad rerum divinarum meditationem, his, quæ humanæ politiæ erant, omiſsis, mentem evexit.

2 Sed neque perfectiſsimæ Virgini, inſolitis elogijs, & nunquam auditis, ab Angelo ſalutatæ, abſque tantorum præconiorum, & quò tenderent, meditatione, exhibere reſponſum, congruum erat. Hoc ſanè leviſsimi & imprudentiſsimi eſt animi, Salomone dicente: *Qui prius reſpondet, quam audiat, ſtultum ſe eſſe demonſtrat.* Quod ait, non quia prius aure corporis non audierit, ſed quia ad rem animo non perceptam reſpondere audet: res enim non intellecta pro non auditâ habetur. Vnde Patres meritò ſilentium Virginis laudant. Bernardus dicit, Quod tacuit, & cogitavit, prudentiæ fuit.] Et Eraſmus in paucis rebus pius Author: Quod non illicò reſpondit, ſed ſecum in animo verſabat, quid ſibi vellet tam nova, tamque magnifica ſalutatio, partìm erat prudentiæ, partìm erat modeſtiæ.] Fecit ergo prudentiſsima iuxtàque modeſtiſsima Virgo quod Eccleſiaſticus admonet: *Antequàm loquaris, diſce*; vt nos iam non ſolo huius monito, ſed etiam Virginis exemplo conſideratè loqui diſcamus. Prov. 18. Eraſ. in paraſ. Evang. Eccl. c. 8.

3 Altiùs & penitiùs adhuc miram Virginis turbationem libet nobis examinare. Cum enim illa omnes animæ habuerit affectus ordinatiſsimos, quoſuiſque appetitus, atque corporis motus rationi ſubditos, qui non poſſent oppugnare mentem, nedum expugnare: ſive eos habuerit compoſitos, iuxta varia Theologorum placita, per alligationem, vel omnimodam fomitis deletionem, à primo ſuæ fœlicis in gratia conceptionis inſtanti, aut in ſecundâ ſanctificatione: fit inde, quod turbatio coram Angelo ſalutante, fuerit ordinatiſsima, prorſuſque perfectiſsima. Imo cum illis, vt à propriâ voluntate pendentibus, omninoque voluntarijs, rectiſsimè, pro vt volebat, vteretur: ſponte & quia voluit, vt opinántur Cardinalis Toletus, & Cornelius, turbata eſt Virgo: Quo circa eius turbatio, non paſsio, ſed propaſsio nuncupanda eſt, vtpotè non præveniens rationis iudicium, ſed potius illi obtemperans, cuius nutu excitata eſt. Nec quod orta fuerit ex neceſsitate materiæ, ſeu ex infirmitate corporis, quod debilitatur, dum mens ad ſuperna evehitur, ſentiendum eſt, vt Caietanus ſentit: quem bene Pater Suarez impugnat, & ratio à nobis adducta. Cardin. Tol. annot. 74. Cornel hic. Suar. tom. 2. in 3. p. diſp. 9. ſect. 3.

Quæ

4 Quæ doctrina ſic ſatis fulciri videtur. Quia ſi decuit Virginem non modo gravi non inquinari labe, ſed ne levi quidem, vt talis ſuo modo (verba ſunt Auguſtini) ſit mater, qualis eſt filius:] decuit quoque ipſam libero paſsionum dominatu vti, vt ſuo modo, ideſt diſpari causâ, non cum æquali excellentiâ ac perfectione, in illarum vſu filio ſuo ſimilis eſſet: quippe filius à gratiâ vnionis ſubſtantiali, quâ erat Deus, dominari præcipuè affectibus habebat: mater autem Virgo ab accidentali gratiæ dono, & conceſſo ſibi privilegio. Tum, quia, quod affectus in nobis rationem præocupent, & voluntarij non ſint, ex originali promanat peccato: cum ergo, vt, piè fatemur, & ſanctior tenet ſententia, ab hâc labe Virgo immunis fuerit, fit conſequens, affectus in ea fuiſſe liberos. Tum quia Virgo ſaltèm quoad hos effectus, de quibus modo diſſerimus, iuſtitiâ originali, ſive indiſtincta ſit à gratiâ habituali, ſive diſtincta (vt plures Theologi contendunt) donata fuit: quia illi nulla gratia, aut privilegium, Adamo vel mortalium alicui conceſſum, negari debet. Tum denique, quia Divus Dionifius Carthuſianus turbationem Virginis cum Chriſti turbatione comparando, tantùm in modo, quem nunc diſparem aſsignavimus, diſtare docet. Huiuſmodi ſancta turbatio, inquit, excellentiori modo etiam fuit in Chriſto, iuxta illud Ioannis, *Infremuit ſpiritu & turbavit ſe ipſum.* Eſt autem alia turbatio immoderata, & vitioſa quieti pacique mentis contraria, rationis impeditiva, quæ longe fuit à Chriſto, & à Virgine præelecta.] Albertus Magnus his verbis idem docere videtur: In Chriſto igitur fuit turbatio tantùm tangens; turbatio autem tangens & cingens, ita ſcilicet, quæ de modo completionis nubilum & admirationem inducit, in Beata Virgine fuit.] Quaſi clarius velit dicere: Ita mira erat ſalutatio Angeli, ſacriſque cincta tenebris, vt captum Virginis fugeret: & ideo compos illa ſui, qualis eſſet ſalutatio, aſſequi cogitando tentabat: vt ſolemus, cum in aliquem obſcurum doctrinæ locum incidimus.

August. ſerm. ad Frat. in Ere,

Carthuſ. hic.

Ioan. 11.

Alb. Mag. hic.

5 Inquirendum modo ſe offert, Cur Virgo, quæ (vt Cornelius & Toletus aſſerunt) voluntariè turbata eſt, huiuſmodi turbationis affectum aſſumere voluit? Huius enim ratio, ab illis quidem omiſſa, reddenda profectò, vel quærenda eſt: præ-

Dubium.

:ecipuè, cum nemo Patrum, & Doctorum ſit, qui in aſſump-
ſ à Chriſto Domino paſsionibus, cauſam non aſsignet. Vo-
it, inquiunt, Chriſtus turbari, & triſtari, & mæſtus eſſe, vt
verum hominem oſtenderet. Elegantèr Divus Ambroſius: D. Ambr. in Luc. c. 22.
onfidentèr ergo, inquit, triſtitiam nomino, qui crucem præ-
co: nec enim ſpeciem incarnationis ſuſcepit, ſed veritatem.]
uod eſt dicere: Verus fuit homo, qui affici triſtitiâ, & cruce
tuit, & voluit, cum in eo, non vmbra, ſed vera hominis
ro fuerit. Auguſtinus quoque pulchrè exponit, ita vt nobis Auguſt. in Pſ. 87.
latio ſint, Chriſti triſtitiâ, & mortis metus, ne huiuſmodi
ectus peccata eſſe putaremus. Vt ſi cui eorum, ideſt fide-
m, inter humanas, inquit, tentationes contriſtari, & do-
e contingeret, non ideo ſe ab eius gratiâ putaret alienum,
non eſſe iſta peccata, ſed humanæ infirmitatis indicia, tan-
am voci præmiſſæ concinens chorus, ita eius corpus ex ipſo
capite addiſceret.] Nunc ego voluiſſe exiſtimo Virginem
rbari, vt Domino, quem ſpiritualitèr ſecum eſſe, & tam
abiliter gratijs & donis illam proſequentem ab Angelo au-
rat, reverentiam & amorem, vt debebat, exhibêret. Et
idem homines coram Regibus turbari, venerationi ducitur;
tunc maximè, quando illos erga ſe munificos experiuntur.
de Chriſtus Dominus quodam cum timore inducit homi-
s, quos admonet, Patri cœleſti illis dare regnum placuiſſe:
ite, inquit, timere puſillus grex, quoniam complacuit Pa- Luc. 12.
veſtro dare vobis regnum. Præterea voluit Virgo ſe humi-
n aliquo affectu, tantoque indignam præconio, necnon vir-
gineum pudôrem, auditis illis verbis, *Benedicta tu in mu-
lieribus*, oſtendere: in quibus, vt ſupra diſ-
putavimus, ſe benedictione prolis
fœcundam prævide-
bat.

Cap. II. *Quæ paſsio animi fuerit illa Sanctæ Virginis turbatio, oſtenditur. Quomodo illam cognoverit Angelus? Non in oris pallore, & corporis trepidatione, vt aliqui opinantur, ſed in rubore virginali, cognoviſſe probatur. Impugnans obiectio refellitur.*

Dubium.

1 POSTQUAM Turbationem (vt decebat talem ac tantam Virginem) fuiſſe perfectiſsimam oſtendimus: videndum nobis modo eſt, quæ paſsio animi fuerit illa ſancta turbatio. Quatuor ſane ſunt principales animi paſsiones, ex quibus aliæ gignuntur, quas communiter Auguſtinus & Philoſophi perturbationes appellant: videlicet, timor, cupiditas, triſtitia, gaudium; eaſque Virgilius hoc carmine amplexus eſt:

Aug. lib. 4. de Civit. c. 2.

Æneid. 6.

Hinc metuunt, cupiuntque, dolent, gaudentque.

Lib. 3. lem. 4.

Et ego in mei Parentis Divi Petri Nolaſco Diagòge hoc diſticho:

Egra vbi mens gaudet, metuitque, cupitque, doletque,
Caſtigatæ equidem eſt carnis inepta ſalus.

Quâ ſuper re, certum eſt apud Expoſitores, illam Mariæ turbationem ad timorem pertinuiſſe, nitentes in his Angeli verbis, *Ne timeas Maria.* Et quidem, vt cenſeo, congruentiſsimè. Nam ille timor erat puriſsimi animi affectus, quaſi præſagientis Deum ſapientiam Patris in candidiſsimam Virginis aulam deſcenſurum: quæ iam dignè, vt par erat, cum timore ſancto, & amore puro, ad illum mox ſuſcipiendum ſe præparabat: eo vtique modo, quo ipſa de ſe locuta eſt: *Ego mater pulchræ dilectionis, & timoris, & agnitionis, & ſanctæ ſpei.* Quod etiam ex ſalutatione, in qua ei dictum fuerat ab Angelo, *Benedicta tu in mulieribus*, ipſa beata Virgo, vt iam vidimus, non obſcurè intellexit.

Ecclici. 24.

Dubium.

2 Quomodo autem Angelus Mariæ timorem cognoverit? quærit Pater Maldonatus. Cui dubio reſpondet: Potuit ex vultu, ex cunctatione, & tacita cogitatione cognoſcere. At cunctationem illam, & tacitam cogitationem, timorem indi-

Digitized by Google

icare, vel ad illum poſſe pertinere, vix mihi, perſuadeam.
in oſtenſum eſt, & ex Patribus amplius oſtendemus, ſilen-
m, & reſpondendi cunctationem, modò prudentiæ, modò
deſtiæ, & alijs virtutibus, neutiquam tribui timori; potius
o illarum erant virtutum indicio, quam timoris. Quod
em ex vultu potuit cognoſcere, negari non poteſt: nam
ta Servium, omnis affectus tribus rebus oſtenditur, vultu, Serv. Æne. 2.
ce, geſtu: ſed cum nihil in geſtu aut vultu indicij deſignet,
od in eo, vt effectum timoris, viderit Angelus, reſtat hoc
uirendum. Cardinalis Toletus, ex eo quod evenit in om- Tol. hic ann.
animi perturbatione, quæ non fit ſine ſanguinis, & corpo- 74.
commotione, Sacratiſsimum Virginis corpus concuſsio-
n alterationemque, vt ſolet timentibus accidere, paſſum
le docet. Quò etiam Erythræa Sibilla in his carminibus Sibil. lib. 8. Oracul.
edere videtur:

Tum Virginitatis amatrix
Perpetuæ, magno ſubitò correpta ſtupore,
Atque metu, trepida preſsit formidine mentem,
Immotis verbis, commoto corde tremiſcens.

oc ita conceſſo, in vultus pallore, & corporis trepidatione,
rè vidit Angelus Virginis timorem. Verùm ego nunquam
duci potero, vt illâ Virginis turbatione, ſentiam eius cor-
s alteratione, vultumque pallôre fuiſſe dehoneſtatum. Quia
nirum illa turbatio non adeo vehemens fuit, vt terribiles
os, & pænè læthales affectus poſſet cauſare: quique procul-
bio mentem ad cogitandum ineptam redderent, quod Evan-
liſtæ menti ſcribentis, *cogitabat, qualis eſſet ſalutatio*, ma-
ieſtè repugnat. Quo eius teſtimonio, ni ſplendidè velimus
li, turbatio moderata fuiſſe colligitur, & ad meditandi mu-
s, ne leviter quidem animæ obſuiſſe. Vnde dulcis Doctor Bern ſerm. 3.
cit. Turbata eſt, ſed non perturbata. Quod turbata eſt, ſup. Miſſ. eſt.
recundiæ fuit virginalis, quod non perturbata, fortitudi-
s.] Tum, vt benè in hac re ait Eraſmus, Non nihil animo Eraſ. in paraf.
rbata eſt,] quo clarè demonſtrat lenem fuiſſe & minimè aſpe- Evang.
m turbationis effectum. Quod amplius expreſsit Ianſenius Ianſ. in conc.
ſcribens: Verum quamuis turbatur, non tamen turbatio Evan. c. 3.
entis iudicium ademit, & vſum: vnde de eâ non dicit,
uemadmodum de Zachariâ, *Et timor irruit ſuper eum*, ſed

Digitized by Google

vt conſtantiam animi eius, & turbationis moderationem inſinuaret, ſubiecit: *Et cogitabat qualis eſſet ſalutatio.*] Si ergo in illa turbatione fortitudo reſplenduit, vbi eſt ille frigidus pallor, & concutiens timor, qui velut mortis effectus, menti & corpori languorem ferè exanimem afferunt? Vbi illa turbatio, etiam naturalitèr inculpabilis, quæ, vt oſtenſum eſt, tot laudibus à Patribus pervulgata dignèque celebrata eſt? Anne nihil intereſt inter timorem ſuper Zachariam irruentem, & lenitèr Virginis pectus ſubintrantem? An, quod ad preſentiam neſcio cuius numinis, Sibillæ Poeta tribuit, tribuendum quoque eſt Mariæ ad præſentiam cæleſtis Angeli? Sic ille canit:

Ventum erat ad limen, cum Virgo, Poſcere fata
Virg. Æneì. 6. *Tempus ait: Deus ecce, Deus. Cui talia fanti,*
Ante fores ſubito, non vultus, non color vnus,
Non comptæ manſere comæ: ſed pectus anhelum,
Et rabie fera corda tument: maiorque videri,
Nec mortale ſonans, afflata eſt numine quando
Iam propiore Dei.

Quid potuit dici horribilius!

3 Quo circa, vt decor Virgine dignus ſervetur, non alium timoris ſui effectum fuiſſe ſentio, quam ruborem caſtum, virginalemque verecundiam, quæ per ſacrum Mariæ os ſuffuſa, decôras micanti genas purpuravit flammâ, reddiditque pulchiores. Sic nobiſcum nobilis quidam Orator ſentit: Verùm ad honorificam ſalutationis vocem turbatur pudibunda Virgo. O qnam decens turbata Virginitas, dum ſuffuſo pudore colorâtur in roſas! O fertiliſsimam florum Nazareth, quæ roſas liberalitèr producis, & in hortulis, & in genis! Tum cultus admodum Poeta.

Baptiſ. Ferra. in legat. ad Virg.

Iacob. Bider. Epigram. lib. 1. Epigr. 46.

Mortali cæleſtis Ave cum lingua puellæ
Diceret (ò omen grande ſalutis Ave!)
Erubuit mutata genas, vultumque puella,
Caſtaque in obiectam lumina fixit humum.

Hinc Angelus, pudico oris igne viſo, dixit: *Ne timeas Maria.* Id confirmantem Bernardum, & Dionifium Carthuſianum nuper vidimus. Modo adeſt Ambroſius, qui ait: Et ideo cum verecundia, quia pavebat.] Et paucis interpoſitis, rubôrem Virginis pulchrè ab Eliſabethæ rubôre diſtinguens: Erubeſcebat

D. Ambr. hic lib. 2.

bat;

Digitized by Google

bat ergo, ait, Maria: Erubeſcebat etiam Eliſabeht. Et ideo cognoſcamus quid interſit inter mulieris & Virginis verecundiam. Illa de cauſâ erubeſcebat, hæc pro verecundiâ. In muliere modus pudôris adhibetur; in Virgine pudôris augetur gratia.]

4 Non gravis ero, ſi hùc advoco quoddam Problema, quod hiſpano carmine celeberrimus quondàm Magni Philippi Quarti Eſculapius, ſic proponit: Hiero. Huerta Probl. de Verec.

Quedaſe como difunto,
Palido, y deſcolorido,
El que es de temor vencido,
Y por ſer aſsi, pregunto:
Si es la verguença temor,
Que de reſpeto nos nace,
Como al blanco roſtro haze
Salir roſado color?
Si el frio temor retira
El eſpiritu à ſu centro,
Y huyendo la ſangre adentro
La boca apenas reſpira.
Como ſaliendo al contrario,
Con la verguença àzia fuera,
Queda la lengua parlera,
Como muda de ordinario?

In huius igitur Sphingis enodatione docet, cum ex diverſis cauſis neceſſum ſit diſsimiles oriri effectus: ſitque pollôris cauſa metus, ſicut pudor verecundiæ: vnde certum apud omnes, quod palleſcunt, qui timent, & rubeſcunt, quos pudet; fieri non poſſe ex timore verecundiam oriri. Sed hoc quidem, cum loquimur de Virginis timore, qui fuit lenis, & temperatus, parum momenti habet. Et ſanè miror, quod ipſe, qui bene norat, vt fatètur, ex Ariſtotelis mente, verecundiam ex timore progigni, eius placito apertè adverſetur, & nullo inter timores blandos & violentos adiecto diſcrimine. Profectò Philoſophus illud non obſcurè aſsignat: Duplex eſt enim, inquit, timoris ſpecies: vna cum reverentiâ & pudore, quâ vtuntur ad patres filij modeſti, & cives benè morati ad benevolos gubernatores. Altera cum inimicitiâ & odio, ſicut ſervi ad Œconom. lib. 1. c. 2.

do-

Cap. 3. dominos, & cives ad ryrannos iniuſtos, & iniquos.] Et alibi addit: Nam neque amorem, neque timorem abſque verecundiâ laudavit Homerus: ſed vbique amare præcipit cum modeſtiâ & pudôre.] Quid clariùs & noſtræ Virgini aptiùs? Timor, quem illa in corde concepit, ſalutante Angelo, filiæ fuit ad cœleſtem patrem modeſtiſsimæ, ac veluti civis benè moratæ adDeum benevolum ſui pectoris gubernatorem,qui æconomiâ mirâ, ad ſublimia prorſuſque ineffabilia matris munera, illam extollebat. Et ſane id quod Homerus laudavit: pariter Patres nihil amplius cœlo æquant laudibus, quàm Virginis timorem cum verecundiâ coniunctum. Vnde Bernardus ait: Virginalis verecundia tua timere ſolet.

Bern. ſerm. cit.

5 Quin, vt noſtram Spartam in Virginis laudem magis ornemus, iuvat me ex Virgilio nonnullum florem, qui timorem cum verecundiâ redoleat, decerpere. Introducit magnus Poeta matrem, coram Laviniâ filiâ, Turni fatis ſe præſagientem obnoxiam, his carminibus:

Æneid. lib. 12.

Qui te cumque manent iſto certamine caſus,
Et me, Turne, manent: ſimul hæc invíſa relinquam
Lumina, nec generum Æneam captiva videbo.

Vnde, vt videtis, Lavinia non potuit, niſi mali futuri, quod mater infauſtiſsimè augurabatur, timore corripi. At ſolertiſſimus vates, non fœdo pallôre, ſed pulchro rubóre, formoſæ puellæ ora tinxit. Sic enim eleganter ac dulſsimè canit.

Accepit vocem lachrimis Lavinia matris,
Flagrantes perfuſa genas, cui plurimus ignem
Subiecit rubor, & calefacta per ora cucurrit.
Indum ſanguineo veluti violaverit oſtro
Siquis ebur, vel miſta rubent vbi lilia multa
Alba roſa: tales Virgo dabat ore colores.

Non aliter ego omnium pulcherrimam Virginum à concepto timore erubuiſſe Virginem iudico: cuius decóra verecundia ſuæ immaculatæ Virginitatis color eſt, & roſa candidiſsimis lilijs miſta. Neque enim Diogeni obſiſtam, qui, vt refert Lypſius, Adoleſcentulum cernens erubeſcentem: Confide, inquit, talis virtutis eſt color.] Et rurſus, quamuis per me, eo omnes purpuriſſo virtutes flammeſcant & ornentur: certè tamen, cui magis ille roſeus color debeatur, & innato iure conveniat,

In comment. ſen. lib. 1. ep. Epiſt. 11.

quàm

quàm caſtitatis, & virginalis munditiei lilijs, quæ ſemper in Mariâ Dei matre fulſit, non video.

Cap. III. *De cauſis turbationis Virginis Mariæ. Prima eſt, quia vidit Angelum in forma viri. Adverſus illam obiectio ſoluta. Quid magis terreat homines, Angelorum aſpectus, an colloquium? Communis obiectio, Non potuiſſe Virginem cùm in viſione, tùm in Angeli ſermone turbari, diluitur. De Virginis turbatione, & Evæ imperturbatione, Antitheſis. Affectionum rectus vſus, ex Auguſtini doctrinu.*

1 CAUSAS Modò turbationis Beatæ Mariæ ſedulò meditabimur: Non equidem vnam, ſed multiplicem aſsignant Patres. Alij turbatam fuiſſe aiunt in Angeli viſione: alij in ſermone & Angeli viſione. Tum, qui in cauſis conveniunt, in fundamentis, & rationibus diſsident. Sed in hoc capite, vt ſervato ordine procedamus, de primâ tantum causâ agemus.

2 Ea igitur eſt, quòd Virgo in forma viri Angelum vidit. Hanc tradit Divus Ambroſius: Angelum, inquit, in ſpecie viri vidit, & pavebat corde, peregrinabatur aſpectu, vnde dicit ad eam Angelus, *Ne timeas Maria.*] Et alibi: Angelum Maria, quaſi viri ſpecie mota, trepida: quaſi non incognitum, audito nomine recognovit.] Nec aliter ſentire videtur Divus Hieronimus, qui ad Lætam ſcribens, Ideo forſan, inquit, timore perterrita eſt, quia virum, quem non ſolebat, aſpexit.] Et ad Euſtochium aſſeveranter: Quæ hominem formidabat, cum Angelo loquebatur intrepida.] Pater Maldonatus, Ambroſij ſententiam approbat, & confirmat: Tùm quia Sanctus Doctor, Theophylatus, Et Euthymius, ex textu Græco vertunt: *Quæ cum vidiſſet, turbata eſt in ſermone eius.* Tùm quia magis aſpectu, quàm colloquio Angelorum, turbari homines ſolent, vt viſum ſupra eſt in Zachariâ, & in mulieribus ſepulchrum Domini inviſentibus, & in Daniele. Etenim, vt ille ait, magis inſolens eſt Angeli aſpectus, quam collo-

Ambr. in exhort. ad Virg.

Lib. 2. de Vir.

Hier. Epiſt. 7. ad Lat.

Ad Euſt. Ep. 22.

Mald.

Luc. 1.

Math. 28.

Dan. c. 12.

colloquium, quod cum humano prorſus ſimile ſit, minus homines terret.]

3 Huic tamen cauſæ turbationis obijciunt Interpretes, Quod non in viſione Angeli, ſed in ſermone turbata fuiſſe Virgo dicitur: novitas enim illa ſalutationis totam Virginis rapuit & abſorbuit mentem, cogitabundamque fecit. Itaque non cogitabat qualis eſſet Angelus, quove modo apparebat, quod timoris eſſet indicium: nam qui timent, in cauſa ſui timoris ſuſpenduntur. Nec aliquid roboris adhibet, quod Ambroſius & alij legerint, *Quæ cum vidiſſet, turbata eſt in ſermone eius.* Hinc equidem potius licebit colligere, quod Virgo Angelum imperturbata vidit: nam phraſis ipſa & locutio, excluſâ in viſione Angeli turbatione, eveniſſe Virgini turbationem in illius ſermone præſcribit & determinat. Facit ſanè hunc ſenſum: Cum Virgo vidiſſet Angelum ſine turbatione, turbata eſt in ſermone eius. Sub quo explicatu, nihil diſſoni abſurdive in illis verbis appâret, vt de illis ſic Ianſenius iudicet: Veriſimile eſt non Interpretis, ſed Scriptorum vitio in noſtris libris irrepſiſſe, audiſſet, pro vidiſſet, quòd offenderet quoſdam ſermonis in ſpeciem abſurditas. Abſurdum enim videtur eam, quæ vidiſſe dicitur, turbatam in ſermone dici.] Cum veniâ tamen tanti Authoris, veriſimile non eſt, vt ait, vitio Scriptorum irrepſiſſe, audiſſet, pro vidiſſet, cum audiſſet habeat Vulgata, & eruditiſsimus vir, ac linguarum peritiſsimus Arias Montanus in interpratatione Latinâ, quam totius novi teſtamenti, textui Græco conformi, edidit: poſtquam ex Græco vertiſſet: *Illa vero videns, perturbata eſt in ſermone eius*; in margine, vt mos eius in toto illo opere eſt, collocat, *Quæ cum audiſſet*, eo quod ita habet Vulgata.

Ianſ. in conc. Evang. c. 3.

Ari. Mont.

4 Illa autem ratio Patris Maldonati pro Ambroſij ſententiâ, infirma eſt: Nam Angeli aſpectus in formâ humanâ, & colloquium, ſunt homini, & colloquio hominis, prorſus ſimilia: quâ ex parte, ſi nihil accedat inſolitum, non magis aſpectus, quàm colloquium, poteſt homines terrêre. Vnde videmus Tobiam invento Raphaële impulcherrimi formâ iuvenis, & ſi eum comitem, & contubernalem habuerit, nihil tamen tunc, nec in illo longo itinere, fuiſſe perterritum. Imo ille nec eſſe Angelum ſuſpicatus eſt, quia erat,

Om-

Digitized by Google

Omnia vero homini ſimilis, vocemque coloremque,
Et crines flavos, & membra decora iuventæ.

Quia tamen Angeli inſolitis ſolent fulgoribus circumcincti, & ore apparêre micanti: evenit, non ab humanâ figurâ, in quâ apparent, ſed à luce inſuetâ, homines perterreſieri. Idque ipſum evenîre in colloquio poteſt, ſi Angelus grandiori voce, & maiore humanâ, vt valet, vtatur. Primum conſtat in Angelo, qui Danieli apparuit *veſtitus lineis, & renes eius accinti auro obrizo, & corpus eius quaſi Chryſolitus, & facies eius velut ſpecies fulguris, & oculi eius, vt lampas ardens, & brachia eius, & quæ deorſum ſunt, vſque ad pedes, quaſi ſpecies æris candentis.* Quid mirum, quod tam inſolitâ luminum irradiatione, quâ Angelus induebatur, emarcuiſſet Daniel vſque ad virium defectionem? Secundum item conſtat in illo Angelo, qui, vt inquit Ioannes, *clamavit voce magna, quemadmodum cum leo rugit.* A lumine ergo Angeli, cuius aſpectus ſicut fulgur deſcribitur à Mathæo, exterritæ ſunt mulieres ſepulchrum inviſentes, & fortaſsis Zacharias; vel illi novum fuit & inſolitum, quod magis credo, videre Angelum. Itaque ſatis eſt ſententiæ Ambroſij, vt aſpectus Angeli timori eſſet Virgini, quòd nunquam illum in formâ viri vidiſſet, & inſolitâ luce, vt eum Auguſtinus deſcribit: tandemque ſplendido Angelorum comitatu, ſicut ex mente Patrum infra oſtendemus.

Dan. c. 10.
Ioan. Apoc. c. 5.
Math. c. 28.
Serm. 14. nat. Dom.

5 Præterea dubium commune eſt, Quî poteſt credi, aut fieri, vt turbata ſit Virgo, quæ erat viſionibus & Angelorum colloquijs frequentèr aſſueta? Et creſcit dubium Agaris exemplo, quæ eandem ob rationem, ſola, & in deſerto errans, corde inpavido, nulloque affecta timore, vidit Angelum apparentem ſibi, ſermonemque cum illâ miſcentem. Erat nimirùm, inquit Honcala, aſſueta cœleſtes nuncios in Abrahæ domo cernere: idcirco enim illa, nec occurſu, nec Angeli alloquio territa turbatave fuit. Hæc enim Agar putatur quatuòr iam vicibus alteram poſt alteram Angelum vidiſſe, qui domus Abrahæ cuſtos eſſet.] Cur ergo non dicatur idem de Mariâ Virgine, ancillâ Domini, quæ non dico quatèr, ſed milliès, Angelorum aſpectu, non alterius causâ, ſed ſui ergô venientium, fruebatur? Cæterùm huic dubio, vt notarunt

Dubium.
Honc. Gen. c. 16.

Pater Suarez, & Maldonatus, tacitè occurrerunt Ambroſius, & Hieronimus locis ſupra adductis, per hoc ſanè, quod nunquam antè, quamuis ſolita cum Angelis colloqui, humanâ eos viderat formâ. Itaque hoc eſt, quod elegantèr & emphaticè his verbis inſinuat Ambroſius: Peregrinata eſt in viro, quæ non eſt peregrinata in Angelo.] Ideſt, quaſi peregrinus Mariæ Virgini viſus eſt Angelus in formâ viri, cùm ſolita eos eſſet videre, & colloqui, non in advenarum habitu & formâ, ſed veluti concives ſuos, nec mirùm, erat enim illa tota cœleſtis, eiuſque in cœlis converſatio. Hinc Agaris exemplum ceſſat: apparuit enim ei Angelus, vt in domo Abrahæ ſolitus eſt apparêre: tum ſermo Angeli cum illâ, fugæ fuit exprobratio, & redeundi in Domum Abrahæ amica admonitio, & denique de re ancillæ notâ. Secùs in apparitione Angeli ad Virginem: omnia mira & inſolita, tum Angelus, tum ſermo.

6 Super quâ re eſt aliquid quod miremur, ſcilicet eſſe aliquos, qui nec aſpectu, nec colloquio rerum inſolitarum obſtupeſcunt, aut perterrefiunt: in quibus imperturbatio, tàm eſt vituperanda, quàm laudanda in Virgine Mariâ turbatio. Eva (vt de Matre ad filios viam aperiamus) videbat ſerpentem, & cum colubro (quem quis non timeat?) imperterrita loquebatur. Virgo Maria iuvenem videbat pulcherrimum (quem quis non amet?) & in formâ viri, & in ſermone eius turbata eſt. Eva dolos, & callidi ſerpentis thecnas audiebat, ſed infuſum in pectore læthale venenum non ſentiebat, Virgo Maria laudes ſibi è cœlo allatas, attentâ auſcultabat aure, ſed in ſuo illas excipere pectore timebat. Eva fallacibus inflabatur promiſsis. Virgo Maria veris ſe iudicabat indignam muneribus. Eva quid ſerpens prætenderet, obcæcata pollicitis, non curabat. Virgo Maria, ſpeculatior facta, cautè, quò verbum Angeli collimaret, meditabatur. Eva Deitatis cupida, effutienti Serpenti credebat. Virgo Maria modum, quo illæsâ virginitate, fieret Dei mater, quærebat ab Angelo ſolicita. Eva, nil timens, audaci manu, de vetitâ ſibi arbore, pomum decerpſit. Virgo Maria, quia timuit, benedictum ventris ſui fructum de Spiritu Sancto accepit. Corruit denique Eva cum totius poſteritatis diſpendio. Virgo vero Maria exaltata eſt cum totius humani generis remedio. O malè imperturbatus,

cum

Digitized by Google

dum debuit turbari, Evæ animus! O benè Virginis Mariæ, animus, & cum oportuit, turbatus! Excuſant tamen Evam Cyrillus, Mag. ſententiarum, Abulenſis & alij, quòd ipſa ſerpentem à Deo donatam loquendi facultate putavit: vel quòd neſciverit animantibus brutis ſermonem eſſe negatum. Sed vt demus hoc Evæ, quod non concedit D. Thomas, quia illa rerum naturalium plenam cognitionem habebat: proinde ſerpentem facultate loquendi, quæ ſolis rationalibus conceſſa eſt, eſſe negatum cognoſcebat; Numquid etiam putavit, quod ſerpens iuſsionis divinæ fidus interpres eſſe poſſet? Quod ita mentem callêret divinam, vt nec ignorantiâ, vel dolo, & mendaci illius commento, vt fecit, verba mentemque Dei corrumperet? Magis hoc erat prudentiſsimæ fœminæ timendum, quàm ipſa ſerpentis locutio, etiamſi illi conceſſa putaretur. Nec adhuc excuſari poſſe videtur, quòd exiſtimarit, vt opinatur D. Thomas, & Divus Bonaventura, miniſterio & operà alicuius Angeli ſerpentem loqui; quia hoc ipſum erat non parva timoris occaſio, nempe Angelum ſerpente ad loquendum vti, vt arguit Pereira: vnde etiam dubitare facile occurrebat, an bonus Angelus, an malus eſſet?

Cyril. lib. 3. con. Iulian. Apoſt.
Mag. in 2. diſ. 21.
Abul. in Gen. c. 13. q. 417.
In diſput. q. 18. art. 6. ad 3
In 2. ſent. diſt. 21.
Per. lib. 6. in Gen. q. 3.

7 Sit verò excuſabilis Eva tantorum Patrum authoritate: Balaam autem quis excuſet? Hic ſane bene norat bruta animantia, ſicut rationis, ita eſſe ſermonis expertia: nec tamen ſuam aſinam ſecum expoſtulantem exhorruit; ſed neque ob id, quamvis inſolitum, & mentem in admirationem vi quâdam rapiens, deſijt intrepidus in illam ſævire, fuſteque bis & tertio animalis latera immanitèr contundere. Nec poteſt dici, quod irâ cœcus ſermonem aſinæ inſolitum non advertit: advertit namque; alioqui aſinæ iniuſtam percuſsionem objicienti, non reſpondiſſet. Videte ergo hominem, qui in re mirè inſolitâ, non miratus eſt, non expavit, non temperavit iram, quæ debuit, aſinâ loquente, in admirationem, & rei novæ meditationem, illicò mutari. Videte alium ex humanioribus literis, qui, teſte Aulo Gellio, Brunduſium navigans, & præ oculis, cœlo marique iratis, horribilem tempeſtatem navigioque minantem, habens: ipſe tamen interritus ſtetit, & quaſi nihil illi periculi immineret, quin etiam, poſtquam iam deferbuit procella, iocabatur, & cuidam Philoſopho Stoico, periculi

Num. 22.
Aul. Gel. noc. Attic. lib. 19. c. 1.

conſorti, ſic inſultabat. Quid hoc eſt, ò Philoſophe, quod cum in periculis eſſemus, timuiſti & palluiſti: ego neque timui, neque pallui? Cui Stoicus, Quoniam tu, inquit, pro animâ nequiſsimi nebulonis, qui talis es, non debuiſti eſſe ſolicitus: ego autem pro animâ meâ timere debui: non enim de ſimili animâ erat iactura. Et advertito ſic reſpondiſſe Ariſtippum homini tui ſimillimo, timorem illi in ſimili eventu exprobranti.] Digna quidem reſponſio: quippe ſunt qui ita ſibi viluerunt, & animas ſuas proiecerunt, vt neque in extremis periculis de illis curam habeant, aut perdere timeant: quos ſine affectione eſſe dicit Paulus, eos vituperans, & deteſtans, vt notat Auguſtinus, qui affectionum rectum vſum pulchrè exponit. Apud nos, inquit, iuxta Sacras Scripturas, Sacramque Doctrinam, cives Sanctæ Civitatis Dei, in huius vitæ peregrinatione ſecundum Deum viventes, metuunt, cupiuntque, dolent gaudentque. Et quia rectus eſt amor eorum, iſtas omnes affectiones rectas habent. Metuunt pœnam æternam, cupiunt vitam æternam. Dolent in re, quia ipſi in ſemetipſis adhuc ingemiſcunt adoptionem, expectantes redemptionem corporis ſui. Gaudent in Spe, quia fiet Sermo qui Scriptus eſt, *Abſorpta eſt mors in victoriam.* Item metuunt peccare, cupiunt perſeverare: dolent in peccatis, gaudent in operibus bonis. Item ſicut ſe infirmitas eorum firmitaſque habuerit, metuunt tentari, cupiunt tentari: dolent in tentationibus, gaudent in tentationibus.] Rectè ergo Virgo Maria, cum turbata eſt, ſuis affectionibus vſa eſt: timuit enim animæ ſuæ, & corpori ſuo, quod Deo puriſsimum ſervare nuncuparat: eoque timore, quantus eſſet in eius pectore virginitatis amor, effulgebat: imo & pro quàm ornatiſsima animâ, quàmque animæ, ſive Evæ, ſive cæterorum hominum, diſsimili, erat ſolicita.

Epiſt. 2: ad Tim. c. 3.
D. Auguſt. de civit. Dei lib. 14. c. 9.

Cap.

Cap. IV. *Angelum Virgini in forma viri apparuiſſe, conſtans eſt Patrum ſententia, quæ etiam argumento ex Evangelio deſumpto, & congruentijs magis ſtabilitur. An ſolus, vel cum magno Angelorum comitatu ad Virginem ille venerit? Et an illa eorum proprias ſubſtantias viderit? reſolvitur. De receſſu Angeli Brugenſis opinio.*

1 QUAMUIS Capite præcedenti, ex primâ cauſâ turbationis, ſatis ſuperque conſtet, Angelum in formâ corporali Virgini apparuiſſe: in hoc tamen Patrum authoritate, rationum & congruentiarum momentis oſtendendum eſt. Itaque magni Patres Ambroſius, Hieronimus, Auguſtinus, Albertus Magnus, Divus Thomas, Laurentius Iuſtinianus, & alij, quorum teſtimonia omitto, ne longior ſim, veniſſe Angelum ad Virginem in pulcherrimi iuvenis formâ, decôris atque radiantibus vndique veſtibus præcintum, & ſanè, vt miniſtrum ad tanti ponderis myſterium à Deo miſſum decebat, aſſerunt. Et ratio, quæ ex Evangelio poteſt deſumi, ſatis perſuadet: Nam mutua locutio Angeli ad Virginem, & Virginis ad Angelum, ſenſibilis, & corporalibus expreſſa vócibus deſcribitur, quibus ſe invicem audiebant: ſubindeque in ſermone Virgini inſolito orta eſt turbatio. Vnde Caietanus hìc ait: Adiungitur viſui auditus ſermonis ad comprobandam corporalem ſpeciem Angeli.] Similiter ille Angeli ingreſſus ad Virginem, & receſſus ab eâ, qui tanquam per terminum ad quem, & terminum à quo exprimitur, ſenſibilis & localis eſſe demonſtratur, qui non niſi moventi ſe corporaliter convenit. Quo circa idem Caietanus inquit: Ingreſſus enim corporalem motum ſignificat: itaque non apparuit tanquam ex improviſo in aulâ, ſed gradiens ad Virginis aulam introiuit.] Ex quibus rationibus illi pictores, qui non in aere, & ſolo elevatum, ſed in pavimento cellæ virgineæ ſtantem, vel genuflexum Angelum pingunt, conformiùs Evangelio mihi pingere videntur.

Ambroſ. loc. cit.
Aug. tom. 10. ſerm. 4. de Nativ. Dom.
Hier. cit.
Iuſtin. ſerm. 1 de Annun.
D. Thom. in 3 p. q. 30. art. 3.
Suar. tom. 2. in 3. p. diſp. 9. ſec. 2.
Barr. lib. 7. c. 6.
Silv. lib. 1. c. 5.

2 Idem quoque congruentijs ex myſterio, quod revelabat

bat Angelus, optime adſtruitur. Tum, quia nuntiabat filij Dei incarnationem, per quam viſibilis apparêret: & valde quidem congruebat nuntium in aſpectabili forma apparêre, vt quodammodo Dei filium eâdem viſibili formâ mundo appariturum declararet. Vnde venuſtè & eleganter quidam orator dixit: Ambitiosè crediderim humano vultu præiſſe Angelum, vt quâ liceret, corporandum imitaretur Deum.] Tum ex dignitate matris, quæ cum eſſet eum, non ſolum mente per fidem, ſed etiam ventre, corporandum receptura, ad corporeorum Virginis ſenſuum recreationem & confortationem, Angelum corporeum apparêre conveniebat. Tum denique ex parte certitudinis, quia ea, quæ ſunt oculis ſubiecta, certiùs apprehendimus, quàm ea, quæ imaginamur, & audimus. Vnde eſt illud Plauti.

Baptiſt. Ferr. ſupr.

Pluris eſt oculatus teſtis vnus, quàm auriti decem.

Angelum ergo his congruentijs, quibus Divus Thomas vtitur, in virili formâ Virgini apparuiſſe, ſatis conſtat.

D.Thom.3.p. q.30.art.3.

Dubium.

3 Nunc vero, An Gabriel ſolus, vel comitatus ad Virginem venerit, dubitari poteſt. Sed in tam honorifico legationis munere, angelico veniſſe ſtipatum ſatellicio, decentiùs iudico cum Alberto Magno, qui, Nec eſt, inquit, credendum quod Angelus vnus venerit, ſed cum eo principali nuncio, multitudo aliorum venit.] Sibique id perſuadet, quia naſcente Chriſto Domino, ſeque per Angelum paſtoribus manifeſtante, *Subito* (teſtante Divo Luca) *facta eſt cum Angelo multitudo militiæ cœleſtis.* Satis quidem congruentèr. Sicuti enim res læta fauſtaque erat paſtoribus Chriſtum in terris natum eſſe nunciare: ita erat Virgini, quod mox in vtero ſuo conceptura erat filium, qui ſimul erat Altiſsimi filius, Mariæ revelare. Gabriêli ergo vtrumque nuncianti æqualis pompa feſtivorumque æqualis ſpirituum comitatus deberi videtur, & tunc maximè, quando Virgo, Dei Mater renunciabatur. Id Muſa Iacobi Bidermani dulciter cecinit:

Luc.c.2.

Virginis ora ſacer cum talia cerneret ales,
Qualia nulla hominis viderat ora prius;
Ad ſocios converſus, humi procumbite, dixit:
Terra aliquid, ſuperi, quod veneremur, habet.

Epigram. lib. 1.Epig.47.

Huius quoque ſententiæ eſt Pater Barradas: Forſan, inquit, ad-

P. Barr. de Annun. Ang. lib.7.c.6.

Digitized by Google

admirandæ legationis miniſtrum Gabriëlem multi alij comitabantur Angeli abſque corporibus,quorum omnium ſubſtantias Virgo cum lætitia vidit.] Itaque ex huius Authoris mente habemus, ſolum Gabriëlem corporeis oculis veniſſe viſibilem, cæteros vero Angelos intellectualibus aſpectabiles, quibus eos Beata Virgo intuita eſt. Nec deſunt ex Patribus nuper laudatis, qui vt congruum tanto myſterio afferant, non ſolùm Virginem fulgens Gabriëlis corpus ſe ſalutantis, ſed eius etiam fulgentiorem & nudam corpore vidiſſe ſubſtantiam. Et quidem in Ambroſij, & Hieronimi ſententiâ, vt iam vidimus, ſic erat aſſueta videre Angelos. In quâ etiam eſt Athanaſius his perſpicuè verbis: Sola vero Sancta Deipara Virgo nudam eſſentiam Gabriëlis, vt eſt, contemplata eſt.] Accedit Pater Suarez, qui ait, Angelum in principio tantùm in ſpecie viſibili ſe oſtendiſsè: poſtea vero, & fortaſsè quando dixit illa verba, *Ne timeas Maria*, divinâ virtute factum eſſe, vt vſque ad intuendam ſubſtantiam Angeli fuerit evecta. Quo factum eſt, vt ſtatim omninò ſedata fuerit turbatio, & intentiſsimo illum audierit animo.] O fælix Mariæ nomen, ad cuius ſonitum Angelus, vt eſt, appàret: & à Virgine, vt eſt, videtur: & turbationis fluctus omninò evaneſcit! Vnde verè Bernardus: ſi inſurgant venti tentationum, ſi incurras ſcopulos tribulationum, reſpice Stellam, voca Mariam. Invocavit quidem Raymundus, in quadam Dœmonis ſuggeſtione, potentiſsimum Mariæ nomen, atque illicò fugiſſe tentatorem expertus eſt.

Athan. q. 12. in qq. ad Antioc.

Suar. diſp. 9. nup.cit.

Bern.hom.2. ſup.Miſſ. eſt.

Lib. 1.vit. D. Raim.Nonn. lem.13.

O mea Mater, ait, cuius ſub nomine vici,
Terribiliſque meo buccina in ore fuit.
Protinus intremuit, fugitque Acherontica larua:
Te nam, Diva potens, vidit ineſſe ſono.
Quàm facilis tunc, quàm dulcis tutela fuiſti:
Sat dixiſſe mihi, Virgo Maria, fuit.

4 Ad huiuſmodi igitur nudam ſupernorum in hâc vitâ Spirituum viſionem, & abſque corporum involucro, divinæ largitionis dono, fuiſſe Virginem elevatam, vt non repugnat, nec admirationi debet eſſe conſideranti ad Dei eſſentiam, lumenque inacceſsibile in hâc vitâ mentis oculo intuendum,non ſemel (vt opinio eſt Patrum, & Theologorum, quos refert

exi-

eximius Doctor Suarez) ſuperiori gloriæ lumine fuiſſe donatam. Quippe hoc conceſſo, quod maius eſt, vidiſſe nudam ſpiritualis creaturæ ſubſtantiam, quod minus eſt, minorique incomparabiliter indiget lumine, non eſt æquum negare. Quomodo autem Beata Virgo viderit ſpiritus, explicat Albertus Magnus: Fuit, inquit, in Virgine animæ ſuæ, & ſpirituum per ſpecies proprias cognitio, quam habuit diſpoſitivè per naturam, completivè per gratiam, & ſecundum hanc vidit Angelos, & animas, & dæmones.] Tamen Angelicus Magiſter negare videtur, Nam cum ſibi objiciat, quod in tanti annunciatione Myſterij decentior, & dignior eſſet viſio intellectualis, per quam Angelus in ſuâ ſubſtantiâ videtur, quam corporalis viſio, per quam in formâ videtur corporeâ: ergo in viſione intellectuali apparuit.] Reſpondet, quod hoc non patiebatur ſtatus hominis viatoris, in quo phantaſmatibus vtitur ad cognitionem. Sed cum in hac ſolutione Doctor Angelicus clarè iuxta legem ordinariam, ſtatuique viatoris connaturali loquatur: minime Patribus, & Doctoribus, ex gratiâ, & ſpeciali privilegio Virgini conceſſo loquentibus, adverſatur. Vnde ipſe alibi dicit: Si Sopor Adæ intelligatur talis extaſis fuiſſe, qualis raptus Pauli, nihil prohiberet dici, quod illo raptu Angelos per eſſentiam viderit, ſed hoc erit ſupra communem modum cognitionis, qui ſibi tunc competebat.] Quâ doctrinâ, cum communi Patrum calculo, de Virginis viſione, idem ſe obſtringit ſentire.

Albert. Mag. ſupr. Miſſ. eſt. ad reſponſ. q. 95.

D. Thom. 3. p. q. 30. art. 3.

D. Thom. in diſput. q. 18. de cogn. primi hom.

Et hic, ad 13. argum. reſponſ.

Dubium.

5 Tandem dubitari poteſt, cum dicitur: *Receſsit Angelus ab ea*; an totaliter receſſerit, cœlum repetens? Opinio eſt Brugenſis, quoad apparitionem exteriorem receſsiſſe. Veriſimile eſt, inquit, remanſiſſe cum multis alijs Angelis inviſibiliter, cuſtodiæ, miniſterij, reverentiæ, atque honoris causâ. Porrò, ſi in acceſſu, & prima ſalutatione, vſus eſt honorificentiſsimis titulis, non dubium quin in receſſu, maioribus etiam reverentiæ ſignis ſit vſus, cum iam ſalutaret Dominam ſuam.] Et in eâ, addiderim ego, tanquam in cœlo novo, Dominum ſuum, qui etiam novo ac planè illis mirabili modo apparêbat, adorabant: & miraculi novitate obſtupefacti & allecti, illùc, vnde venerant, neſciebant reverti, ſed magis ac magis proſpicere deſiderabant.

Brug. hic.

Digitized by Google

Cap. V. *Secunda turbationis Virginis Mariæ cauſa, ex plurium Patrum mente, Angeli ſermo fuit: qui tamen, vt id aſſerant, diverſis rationibus nituntur. Aliqui, quia cogitabat, an ſalutatio eſſet amatoria. Cauſam hanc Pater Maldonatus impugnat. Eius impugnatio non placet. Aliqui, quia cogitabat, an eſſet illuſoria. Vtraque vero cauſa aliunde, & ex diſcretione, quam habuit Virgo Spirituum, refellitur.*

1 CAPITE Præcedenti non importunè digreſsi ſumus, modò ad ſecundam turbationis cauſam perſcrutandam redimus. Cauſa igitur fuit, vt plures Patrum ſentiunt, Angeli ſermo: quos tamen, & ſi in causâ conveniant, diſsimilis ratio ducit; nam aliqui excellentiam ſalutationis, tot tantiſque magnificè compoſitam ornatamque laudibus, Virgini turbationem attuliſſe putant. Quidam dicunt (ait D. Thomas) quod, cum Beata Virgo aſſueta eſſet viſionibus Angelorum, non turbata fuit in viſione Angeli, ſed in admiratione eorum, quæ ei ab Angelo dicebantur, quia tam magnifica de ſe non cogitabat. Vnde Evangeliſta non dixit, quod turbata eſt in viſione Angeli, ſed in ſermone eius.] Huius ſententiæ eſt Origenes, & Chriſologus, qui ait: Quid eſt quod perſonam videt, & de ſermone turbatur? Quia venerat Angelus blandus in ſpeciè, fortis in bello, mitis in habitu, in ſermone terribilis, humana proferens, divina repromittens. Vnde & Virginem, quam levitèr viſus ſolicitaverat, nimium turbavit auditus, & quam miſsi perſona parùm moverat, concuſsit toto pondere mittentis authoritas.] Adiungo Euſebium: Turbata eſt, inquit, non vultu Angeli, ſed in ſermone eius: non enim Angelum, ſed verbum Angeli attendebat, & quid illa tam officioſa ſalutatio ſibi prætenderet, cogitabat.] Elegantèr id ipſum Carthuſianus expendit: Cum Virgo Sacratiſsima, inquit, in oculis ſuis minima eſſet, ac laudabilitèr pudorata, vehementiſsimè de tanto ſuo mirabilitèr præconio, ſeque laudari, & cunctis præ-

D. Thom. q. 30. iam cit.

Orig. hom. 6. in Luc.

Chriſ. ſer. 140

Euſeb. ſupra Miſſ. eſt.

ferri mulieribus erubuit, atque obſtupuit, eò vtique amplius, quò minus de ſe tale aliquid ſuſpicabatur, aut ſentiebat: quò enim fuerit homo humilior, eò ſua laudatio & exaltatio, ſibi ipſi mirabilior, & ſæpe gravior quoque videtur.] Ita quoque Andreas Hieroſolimitanus, Echius, Stella, Haye, & alij, opinantur.

2 Ex quibus mirè Virginis elucet humilitas, quæ magnificis de ſe auditis laudibus, non ſe exaltandi, ſed ſe humiliandi: non ſe extollendi, vt in glorioſulis evenit, ſed ſe nihili faciendi, cauſam invenit. Ideo quando ſe ita deſpiciebat, & parva erat in oculis ſuis, opportunè nimirùm; & quaſi occaſione de re natâ, qualis eſſet illa ſui eximia ſalutatio, cogitabat: quippe illius celſitudinem in ſua humilitate, veluti clariſsimo in ſpeculo, poterat dignoſcere, & dignè aſſequi. Optime hùc advocem, quod quidam dixit. Sæpe accidit, vt res minutæ & humiles plus conferant ad notitiam grandium, quam grandes ad notitiam minutarum. Id non inſulsè exprimitur in pervulgatâ illâ fabulâ de Philoſopho, qui cum ſtellas ſublatis oculis intueretur, incidit in aquam: Nam ſi oculos demiſiſſet, ſtellas in aqua illicò videre potuiſſet; verum ſuſpiciens in cœlum, aquam in ſtellis videre non potuit.] Cœleſtis quidem erat illa Virginis Beatæ ſalutatio, at non qualis eſſet, cogitabat, niſi quando ſe tanto iudicabat indignam præconio: vt ad propriam videlicèt humilitatem demiſsis oculis, videret ſecurè id, quod illos, ad inſolitum laudum fulgorem elatos, obcœcare poterat. In quo facto, ſicut in omnibus, ordinatiſsimè ſe Sanctiſsima Virgo geſsit, iuxta illud Apoſtoli: *Non ſitis alta ſapientes*: ideſt (vt Divus Thomas exponit) vt ſcilicet inordinatè veſtram excellentiam appetatis. Id faciunt non humillimæ Virginis imitatores, qui alta de ſe præſumunt, averſis à propria vilitate oculis, quam prius, vt rectè, & ſine vanitate exaltentur, perſpectam habere debent.

[Margin: Bacon. de aug.ſcien.lib. 2.c.2.]
[Margin: Ad Rom. 12.]

3 Alij verò eo Virginem in ſermone turbatam fuiſſe aſſerunt, quia talis erat ſalutatio, vt præbuerit illi cogitandi rationabilem cauſam, an eſſet amatoria, an Sancta. Sic magni Patres, Hieronimus, Bernardus, Theophilatus, Ianſenius, Caietanus, & alij. Diſſentit ab eis Pater Maldonatus. Nam Sanctiſsimam Virginem, inquit, vel ſuſpicatam tantùm fuiſſe ali-

[Margin: Hier. Epiſt. ad Euſth. Theoph. hìc. Bern. Apoc. c. 12. Ianſ. in conc. Evang. c. 3. Caiet. hìc. Mald. hìc.]

aliquid amatorium, indignum mihi videtur tantâ eius puritate. Simplex eſſe debet, & minimè ſuſpicioſa virginitas, quæ non ſolum, quæ non licent appetendo, & quod minus eſt, cogitando, ſed etiam de alijs, vt ſe ipſam tueatur, ſuſpicando, quodammodò maculatur. Angelicam ergo prorsùs puritatem in Mariâ ponendam exiſtimo. Angeli verò ne ſuſpicari quidem, aut timere periculum vllum puritati ſuæ poſſunt. Itaque cogitatio illa Mariæ qualis eſſet iſta ſalutatio non ex caſtitate, quamuis caſtitas in eà ſumma eſſet, immo propterea non ex caſtitate, quia ſumma erat, ſed ex humilitate profecta eſt: adeo enim ſe tam ſingulari ſalutatione indignam putabat, vt vererêtur, ne quis in eâ eſſet dolus.] Tranſcripſi fideliter omnia eius verba, in quibus, ni fallor, ſcrupulosè nimis diſcurrit, & negat cogitationem Virginis ex caſtitate profectam. Non ſic Ambroſius, qui visâ Virginis Mariæ turbatione, pudicum Virginum morem nobis præoculis poſuit. Scribit enim: [Trepidare Virginum eſt, & ad omnes viri ingreſſus pavere, omnes viri affatus verêri.] Dicat nobis Pater Maldonatus, quid trepidant? quid ad omnes viri ingreſſus pavent? quid omnes viri affatus verentur? Certè aliquid ſuæ pudicitiæ & caſtitati contrarium trepidant, pavent, verentur. Sed neque huiuſmodi trepidatio, pavidave cogitatio, virginitati etiam ſummæ, atque Angelicæ prorſus, qualis erat Mariæ, officere poteſt: quin potius, quaſi fugiens periculum, & tota ſe mente retrahens, illam ſervat incolumem; alioqui nec Virgini Mariæ, nec Angelo licuiſſet de conceptu & partu habere ſermonem, in quo hæc verba, ex caſtitate profecta, Puriſsima Virgo dixit: *Quomodo fiet iſtud, quoniam virum non cognoſco?* Oſtendens his verbis, quòd mens eius caſtiſsima impollutum & integrum tuebatur corpus. Et quidem meus Parens Divus Petrus Nolaſcus, propoſito ſibi à cognatis matrimonij ſtatu, de illo purè & Sanctè ſic ſecum cogitavit. Diag. D. Petr. Nolaſ. lib. 1. lem. 1.

Tantum Virginitas cœlo peramabilis almo
Excedit tædas pactaque iura thori:
Quantum ales Iovis expanſis ad ſidera plumis
Triſtem, quæ diro carcere torpet, avem.
Quantum liber homo detentum compede ſervum,
Quantum flamma volans flammea ligna foci.

Digitized by Google

Me non, mollis Hymen, non me tua caſtra tenebunt:
Velox Virgineæ ſub duce miles eo.
Geneſ.c.39. *Illa inſtar Parthi ſuperat fugientis ab hoſte,*
Et Cypria temnit pallia tacta manu.
Non ſequar hanc, quam Chriſtus amat de Virgine natus?
Quid mihi caſta Venus? plus mihi nulla Venus.
Hæc Iuvenis pura tractabat mente pudicus,
Qua deſponſa Deo pectora, ſeque dabat.

4 Itaque illa ſententia, quæ doctiſsimorum ac ſanctorum virorum eſt, ſi refellenda eſt, hâc quidem non malâ coniecturâ refelli poteſt. Nam Angelus Virgini, dum cogitabat, non dixit: Ego ſum Gabriel, vt Zachariæ dixit: non aliâ de cauſâ, niſi quia non ignorabat ipſum eſſe Gabriêlem, quo cognito, minime potuit Beata Virgo amatoriam eſſe ſalutationem cogitare, ne ſuſpicari quidem. Ratione etiam refelli poteſt, Quia inter gratias gratis datas, habuit Virgo Sanctiſsima Spirituum diſcretionem, & licèt non omnes ſibi vſui forent, vt docet Divus Thomas, non video cur illâ gratiâ, & in re valde opportunâ, non vteretur. Et quod eâ vſa eſt, clare Divus Dionifius Carthuſianus aſſerit. Non dubitavit, inquit, quin eſſet vera, & verè angelico ore prolata. Non enim caruit gratioſa puella gratiâ diſcretionis ſpirituum: cogitabat tamen, qualis eſſet, quid prætenderet, quò tenderet, cur exhibita eſſet, & id fuit prudentiæ, quod ſic cogitavit. Nec ſtatim reſpondit, tam magnificâ ſalutatione reputans ſe indignam.] Accedit præterea, quod Divus Antoninus iudicat hanc diſcernendi inter ſpiritus gratiam Virginis humilitati debitam, quodammòdo fuiſſe. Nam cum eremicula Antonius vniverſum mundum laqueis inter ſe connexis plenum vidiſſet, & pavidus exclamaſſet: Quis evadet laqueos iſtos? Reſponſum eſt ei: Sola humilitas. Hinc eximius Doctor Suarez, Summæ igitur humilitati (infert) Virginis datum eſt, vt omnes dœmonum deceptiones poſſet agnoſcere, atque ita ſpiritus diſcernere.] Longe ergo fuit ab illâ ſuſpicione, an ſcilicet ſalutatio illa eſſet amatoria, an Sancta. Eiſdemque momentis patet quàm longe etiam fuerit ab illâ cogitatione, an ſalutatio illa divina eſſet, an illuſoria, & à Dœmone fallendi cauſâ miſſa, vt putarunt Euthimius, & Ianſenius, & approbat Maldonatus. Ita-

D.Thom.3.p. q.27.art.5.

Carth.hic art. 3.

Suar. in 3. p. q.37. diſp.20. ſect.1.

quæ in illo Virginis ornatiſsimo animo, dum cogitat, dum turbatur, huiuſmodi virtutes apparuêrunt: Prudentia quidem cogitando, nec ſtatim reſpondendo: Humilitas ſe indignam illis laudibus, & muneribus iudicando: Caſtitas coram Angelo in formâ viri ſe turbando, quia & ſi gratia diſcretionis ſpirituum, quâ dotata erat, cœleſtem eſſe Angelum Deique nuncium cognoverit, tamen iuxta Virginum morem, non potuit, non timere. Vnde pro cauſâ timoris & turbationis, verecundia virginalis aſsignatur à Divo Bernardo, Haye & Nicolao Gorano; & tandem à Cardinali Toleto, virginitatis amor: dubitabat enim ſe illam conſervare non poſſe, quam tantopere amabat, inquit ille. Pro qua re adducit Auguſtinum, & Gregorium Nyſſenum.

Tol, hic annot. 75.
Auguſt. ſerm. 2. de Annunc.
Nyſſen. Orat. de Chr. natu.

Cap. VI. *Vltimam turbationis Virginis Mariæ cauſam fuiſſe Angeli viſionem, & ſermonem, probabilior Patrum opinio eſt: ratio tamen eorum eſt varia.*

1 MANIFESTATA Iam causâ turbationis in ſermone Angeli, adducendi ſunt Patres, & Doctores, qui probabiliùs putant illam non ſtetiſſe tantùm in ſermone, ſed ſimul ex Angeli viſione & ſermone coalviſſe; ita vt in viſione inceperit, & in ſermone conſummata fuerit. Sic Ianſenius in textu Græco innitens: Si Legatur, vidiſſet, poteſt intelligi non nihil ex viſo Angelo turbatam fuiſſe, ſed magis, & præcipuè, ex audito ſermone, ex quo turbatio aucta fuit.] Accedit Caietanus: Turbata autem deſcribitur, ait, in ſermone Angeli, aut quia complementum turbationis inchoatæ ex viſo Angelo, fuit ſermo; aut quia non turbata eſt ex viſo Angelo, ſed ex ſermone eius. Primum tamen rationabiliùs apparet, quoniam Virginis eſt ad inſolitum viri ingreſſum nonnihil mutari.] Idem ſentit Pater Maldonatus: Vtrâque re, inquit, turbatam fuiſſe, veroſimile eſt.] Eiuſdem ſententiæ ſunt Caniſius, Menochius, Eraſmus, & alij. Quid tamen viderit inſolitum in Angelo, vt ex eius viſione orirêtur Virginis turbatio, non eſt eadem apud omnes

Ianſ. in conc. Evang. c. 3.
Caiet. hic.
Caniſ. lib. 3. de B. Virg. c. 1.
Eraſ. in Paraphr.

ratio. Ex Ambroſio, quæ ſupra reddita eſt, fuit viſio Angeli in formâ viri. Carthuſianus vero, in inſolito fulgore, quo apparuit, illam ponit ex mente aliorum. Conſiderandum, inquit, quod Sancta Maria in ſermone Angeli fertur turbata, non in viſione ipſius, quia, vt dicitur, ſolita erat conſpicere Angelos: veruntamen aliqui probabiliter adſtruunt, quod Angelus vice hac apparuit ei cum lumine multo præclariore, apparatu ac habitu venuſtiore, ſecundum quod magnitudo ſuæ legationis exegit, eoque aliqualiter turbata in eius apparitione extiterat.] Simon de Caſia, Ex pietate, inquit, turbatio iſta erat, non ex indebita paſsione. Improviſus adventus cælicolæ, ſalutatio magnum Myſterium continens, non repentina comprehenſio agendorum, turbationem piam atque prudentem adduxit, & virginalem animum pavidum fecit.]

Carth. art. 3.

Caſ. lib. 2. de Virg. M.

2. Iure ergo hæc ſententia, vt mihi videtur, eſt alijs præferenda, quippe nec à primâ, nec à ſecundâ diſſentit, ſed vtramque conciliat, & amplectitur, & fortiſsimæ ac prudentiſsimæ Virgini magis honorificè convenit. Equum enim eſt, nos intelligere, quod illa, non niſi rerum novitate turbata ſit, videlicet ſimul concurrente inſolitâ viri formâ in Angelo viſo, vt vult Ambroſius: vel auguſtiore lumine, cum ſplendidiore veſtium ornatu, vt nuper dictum eſt: cœleſtiumque ſpirituum comitatu, vt ſupra oſtendimus: tandemque ex parte ſermonis, illâ tam novâ, quam inauditâ ſalutatione. His quidem non poterat non in admirationem, & aliqualem turbationem Virginis puriſsimus animus devenire, vſque ad rerum adeò inſolitarum accuratam cogitationem. Sanè homines vt docet Ariſtoteles, propter admirationem cæperunt philoſophari, id eſt, res obſtruſas altâ meditatione indagare. Exemplo igitur in hâc turbationis Virginis cauſâ, vti mihi liceat, ſi magna licet componere paruis. Si amicus, cum quo quis quotidiè familiariter fabulabatur, inexcogitatò ad ſe veniret, non vt ſolitus erat, ſed illuſtri apparâtu, & pompâ à Rege miſſus, cuius nutu de magnis rebus & arcanis cum illo ageret: quis dubitet, quod illi admirationi, & ſtupori eſſet videre amicum inſolito ſplendentem modo, & audire ſecum Regis arcana tractantem? Non aliter profectò Virgini accidit: quamuis enim ſolita eſſet Angelos videre, & familiaria cum

Ariſ. Metaph. lib. 1. c. 2.

illis

illis miſcere colloquia, tamen modo veniente Gabriêle, non illo lumine, vt antea, ſed exquiſitiſsimis cœli fulgoribus, eamque ſalutante, vt numquam ſalutarat, illi iure vtraque res, ſcilicet inuſitatus ſplendor, & ſalutatio nova, admirationi, ac turbationi fuit. Porrò Apoſtoli (vt propriori & ſanctiori turbationi Virginis Mariæ vtar exemplo) Chriſti Domini præſentiâ, & amabili convictu fruebantur, cum eoque erat illorum cœleſtis converſatio: & tamen illi tres fœlices, ad quorum aſpectum transfiguratus eſt, ſtatim, eo viſo novâ luce, & candore, ac à Patre, de nube loquente, dilecto filio acclamato, ceciderunt in faciem ſuam, & timuerunt valde, vt ſcribit Evangeliſta. Quid certe huius timoris, & caſus, discipulorum cauſa & ratio fuerit, optime Chriſoſtomus aperuit: Quia ſcilicet ſolitudo, altitudo, & ſilentium erat multum, & transfiguratio ſtupôre plena, & lumen purum, & nubes extenſa: ex quibus omnibus ſtupor in eis congregabatur.] Id quidem res inſolitæ naturâ comparatum habent, vt animum colligant, & atentum faciant: proindeque ille, miro quodam ſtupôro, res meditatione dignas veneratur: quod præclariſsimus Virginis animus fecit, & quod cogitabat, meruit ſibi revelari.

Math. c. 17. Chriſ. in cat. D. Thom.

EPITHETON V. EX D. LVC. CAP. I.

EXVRGENS MARIA ABIJT IN montana.

Cap. I. *Quid per id Epitheton, Exurgens Maria, ſignificetur? Aliqui loci ſitum: aliqui prægnantis Virginis agilitatem: aliqui orationis locum, à quo exurgebat, ſignificari volunt. Illuſtrantur hæc omnia.*

1 NIL Enim eſt in Spiritus Sancti verbis otioſum: quæcumque per ſe, & ſuos adminiſtros locutus eſt, plena ſunt myſterijs. Quid modò velit Exurgentem nobis proponens ſuam digniſsimam ſponſam Vir-

Virginem Mariam, in eius laudem meditari accingitur. Sunt qui ſentiant (vt expreſſe Cardinalis Toletus in Commentario) ſitum loci, à quo exurgebat Virgo, voluiſſe indicare: quippe à Nazareth, quæ Montanis Iudææ humilior & depreſsior eſt. Quæ expoſitio, quamuis localis ſit, myſterio non caret. Etenim Virgo Beata ex humili profecta loco, viciniora cœlo loca petebat: & congruè quidem, quæ paulo ante ſe humiliarat, *Ecce*, inquiens, *ancilla Domini*, non ſolum mente, ſed etiam corpore exurgebat, ſacro premens pede montium cacumina, digneque ſuperiora obtinens loca: nam, qui ſe humiliat exaltabitur, etiam in honoribus temporalibus, atque inter homines, Deo ſcilicet illum ex infimo extollente pulvere ad ſupremas ſedes, & honoratiorem locum: ſicut dicendum promittitur ei, qui in convivio infimum elegerit, *Amice, aſcende ſuperiùs*. Ibat ergo Sanctiſsima Virgo, ſicut paſſu elevatior, ita corpore celſior: cumque iter perageret feſtina, vix candidus terræ pes hærebat, profectò in modum palmæ Indicæ, cuius radices vix terræ adhærent, quaſi dedignentur terrâ operiri, ac proinde foras exeunt, vnde eis ſemper apponitur humus, vt ſcribit Frater Philippus à Sanctiſsima Trinitate. Quo in itinere cum divino ſponſo dicere debemus: *Statura tua aſsimilata eſt palmæ*. Hæc enim arbor procêra eſt, recta ſcandit, verticeque longe à terrâ ſublato, montibus dominatur excelſis. Simili ergo ſtaturâ, procêrâ, rectâ, ſcandebat Virgo humillima Montanis ſublimior, quæ viridi amænâque lætitiâ pulcherrimis eius pedibus ſubdebantur. De illa ſanè vere dicitur: *Quam pulchri ſunt greſſus tui in calceamentis*, nimirùm, non iam tantum filia Principis, ſed etiam Dei Mater! Nec otiosè additur in calceamentis, quia calceamentum Myſterij Incarnationis ſymbolum eſt: dicit enim Divus Baſilius: Divinitatis calceamentum eſt caro Deum ferens, per quam ad homines deſcendit.]

Cardin. Tolet. hic. — Luc. 14. — Ibi. — Lib. 7. itin. orient. c. 8. — Cant. c. 7. — Cant. 7. — D. Baſ. in Pſal. 59.

2 Præterea, & id mihi cum alijs, Sanctus indicare Spiritus videtur, dum ait: *Exurgens Maria*; quòd non (vt cæteræ mulieres, quæ quia prægnantes, oneri ſunt ſibi, pigreſcunt, anhelitum trahunt, atque illo ſui ventris onere ad res obeundas, & ad motum minus idoneæ habentur) ſic Virgo, ſed quamtumuis Deo plena, & gravida, non gravior: quam-

tumuis

tumuis novi mirâ maieſtate corporis fœcunda, levior & agilior erat, atque adeo exurgebat impigra, & feſtina ibat, non per viam planam & ſuavem, ſed, quod durioris eſt laboris, & præcipuè prægnantibus, aſperam & acclivem ſuperans. Ab hac cogitatione non longe abeſt Bernardus: In ipſo, inquit, ſuæ conceptionis initio, quando potiſsimùm cæteræ mulieres miſerabiliùs affliguntur: Maria tota alacritate montana conſcendit, vt Eliſabeth miniſtraret.] Et addit, aliud memorans Virginis iter, quod cum ſuo ſponſo Ioſeph confecit, quando Bethleemum profecta eſt: Sed & aſcendit Bethleem imminente iam partu, portans pretioſiſsimum illud depoſitum, portans onus leve, portans à quo portabatur.] Bene quidem onus leve erat illud divinum pondus, quod non gravabat, ſed mirè Virginem ſublevabat. Erat enim illud corpuſculum, quod in vtero ſuo genuerat, immaculatum, & ſole purius: ipſa quoque Virgo Beata illud ſuaviſsimâ Spiritus Sancti obumbratione, ſine Virginitatis iacturâ, ſeu viri operâ, conceperat: vnde optimè quamuis fœcunda, exurgens & feſtina deſcribitur. Quid mirum ſint oneri & impedimento conceptus ſui fœminis prægnantibus, in ventre infantem graviſsimo originalis culpæ pondere inquinatum ferentibus? Hoc Regius Vates plangebat: *Ecce in iniquitatibus conceptus ſum, & in peccatis concepit me mater mea*; quorum ſanè immane pondus, poſtea iam grandior factus, expertus eſt, & ſub illo ſic ingemuit: *Quoniam iniquitates meæ ſupergreſſæ ſunt caput meum, & ſicut onus grave gravatæ ſunt ſuper me*. Quid denique mirum, ſi vim virgineumque robur concipiendo amiſerunt, iam inde laboribus & ærumnis pariendi damnatæ? Itaque iure mihi arridet, quod de Simeone dixit devotè, ac eleganter Auguſtinus: Senex Puerum portabat: Puer autem ſenem regebat, id Virgini aptare: Virgo caſto in ventre per Montana Puerum portabat: ſed Puer in ventre Virginem per montana gradientem aligerabat. Erat ſanè illa ei *velut navis inſtitoris de longè portans panem ſuum* cœleſtem, nobiſque mortalibus vivificum alimentum: Ille vero, quaſi divinus panis in medio virginalis naviculæ, ideſt corporis & animæ (quæ à Damaſceno duplex virginitatis navis dicuntur) dexter erat nauclerus, qui per anfractus, & clivoſa itinera, illam non premens.

D. Bern. ſer. de Virg. ſign. mag.

Pſalm. 50.

Pſalm. 37.

Prov. c. 31.

D. Ioan. Damaſc. orat. 1. de B. M. dormit.

Digitized by Google

mens, ſed elevans, dirigebat. Habet enim Chriſtus Dominus, vt panis eſt cœleſtis, & electorum frumentum, minimè gravem, ſed elevativam naturam, vt optimè interpretatur Incognitus, & à calumniâ Iſraelitarum manna, panis vitæ typum, faſtidientium, defendit; de quo probroſè dicebant: *Anima noſtra nauſeat ſuper cibo iſto leviſsimo*: Iſtis verbis, inquit, hunc cibum diffamare credentes, ipſum mirabiliter commendant, dum ipſum cibum leviſsimum vocant: ſcimus enim quod ſicut natura gravium eſt deſcendere, & levia ſemper aſcendunt, & per conſequens, ſuperlativè leviſsimum dicitur, quia præ cæteris naturam habet elevativam: quod bene iſti cibo competit, quòd præ ceteris ſacramentis, in præſenti per gratiam animam elevat ad Deum, & finaliter inſimùl animam, & corpus elevabit per gloriam.] Elevabatur ergo Virgo Maria, & exurgens ibat per montana eo, quem portabat, ſublimantis naturæ pane. Porro quondam Arca, quæ typus eſt Mariæ, in qua manna erat abſconſum, ſecum portans ac elevans in Iordanis tranſitu Sacerdotes portitores ſuos, elevata eſt, iuxta Rabbi Salomonis ſententiam, vt refert Abulenſis: Modo vero Deus non in typo, ſed in vivâ Virginis arcâ latens, recèns conceptus, homo, & Sacerdos Summus, in montanæ viæ tranſitu, geſtatricem evehebat ſuam. Addam, & non ineptè, quod apud Franciſcum Rueum lego: Non deſunt, inquit, qui facto periculo affirmare audeant, ferrum à Magnete in librâ poſito tractum, nihil Magneti ponderis adijcere, ceu nempe ferri gravitas vi lapidis abſorbeatur.] Quid Chriſtus eſt niſi petra, mirabilis & pretioſiſsimus Magnes, qui dixit: *Et ego ſi exaltatus fuero à terra, omnia traham ad me ipſum*? Illum vtique ferebat Virgo in pudicâ ventris ſui aulâ, viam difficilem, & teneræ puellæ pedibus, alioqui pragnantis, gravem, perambulans: ſed tantus ac talis clivoſus trames Magneti divino, in aureâ Virgine interpoſitâ occulto, iungebatur (Magnes enim, inquit Verulamius, ferrum trahit per vniverſa quæ novimus media, nempe ſi interponatur aurum, argentum, vitrum) miràque illius virtute, quidquid ardui, & gravitatis velut ferreæ, in anfractibus illis montanis erat, abſorbebatur. Ideo dulcis, & ambulatu facilis erat via feſtinanti Virgini: nam ſi anima ſancta, vt curreret per anguſtam

Numer. c. 21. Incogn. Pſal. 80.

Abul. Ioſ. c. 4. q. 10.

Lib. 2. de gem c. 24.

Ioan. c. 12.

Lib. 5. de aug. ſcien.

cœli viam, id tantum à divino ſponſo petebat & vehementèr deſiderabat: *Trahe me poſt te, curremus in odorem vnguentorum tuorum*; Cuius Sanctæ petitionis ſoluta verba his ego numeris devinxi: Cant. 1.

Et Sponſi flores, & amant vnguenta puellæ,
Ponè ſequi, & fuſus currere cogit odor.

Lib. 2. Diag. D.P. Nolaſc. lem. 1.

Quomodò non velocitèr Virgo Beata, quæ non ſolo ſponſi odore trahebatur, ſed intus in ſe corporatum geſtabat Deum, per montanos expedito pede incederet clivos?

3 Denique Virgo Maria Exurgens dicitur à loco orationis, à quiete contemplationis, ab habitaculo manſionis. Verba ſunt Divi Dionisij Carthuſiani, quibus conſonat Cardinalis Toletus, qui illud Epitheton Virgini datum eſſe ait, ad inſinuandam Virginis quietem intra domum, quam modo Spiritus Sancti impulſu relinquebat: tum quoque alacritatem animi, quâ iter ſumebat. Multa hìc ſanè ad illius laudem & meritam commendationem ſe offerunt. Quid dulciùs oratione, in quâ ad Deum cor elevatur? Quid fœliciùs contemplatione, cuius ope, anima ſuo vnitur intimè creatori? Quid placidiùs quietâ domus habitatione, vbi pax, etiam in egeſtate, curas & anxias adquirendi ſolicitudines excludit? Quid è contra amàrius, quàm mens Dei ſui colloquio privari, in quo ſolatium & iuſtæ petitionis accipit beneficium? Quid infœliciùs, quam ab eo, in quo anima vivit centro ſecura, diſiungi? Quid perturbatiùs, quàm erronem extra pacis domum agere, hùc illùcque omni vento, & cupidinum rabie fluctuantem? Hoc nimirum valde ſancta abhorrebat ſponſa, dicens: *Indica mihi, quem diligit anima mea, vbi paſcas, vbi cubes in meridie, ne vagari incipiam poſt greges ſodalium tuorum*. Hæc cum ita ſint, Virgo tamen Sanctiſsima exurgens à loco orationis, à quiete contemplationis, ab habitaculo manſionis, abijt in montana cum feſtinatione: ideſt, ſolicita, & beato domus ſuæ otio relicto; *& intravit in domum Zachariæ, & ſalutavit Eliſabeth*; ideſt, non ibi otioſa fuit, ſed vbi intravit, cœpit ſedula & officioſa comitèr eſſe: & deinde continuato miniſterio, per tres menſes, quibus humilis hoſpita fuit, cognatæ prægnanti adhæſit: nam vt ait Ambroſius, Quæ propter officium venerat, inhærebat officio. Nec ob id dicimus, diſtractam in eo

Carth. hic art. 3. Tol. hic. Cant. 1. Luc. c. 1. Ambr. lib. 2. Luc. c. 1.

longo ac laborioſo itinere Virginis mentem fuiſſe: aliquove modo, ab otio ſancto, & contemplationis fervore excidiſſe: ambidextra enim erat in operationibus internis, & externis, ita eas dulcitèr iungens, vt neutræ ſibi officerent; itaque modo Mariam, intra caſtellum quidem divini Magiſtri doctrinæ adhærentem: modo Martham, quando oportebat, è caſtello exeuntem, in ſe ſimul referebat. Quandoquidem, vt bene animæ ſanctæ perſpectum habent,

Alterius ſic

Altera poſcit opem res, & coniurat amicè.

Nempè actio operandi, & contemplandi. Profectò Virgo omnibus Sanctis, & Beatiſsimis Spiritibus Sanctior, id in arduo itinere, & in miniſtrando, verſabat in mente, quod in vteri ſui ſacrario gerebat: Deoque plena, quidquid agebat, loquebatur, meditabatur, ſanctum, & Deo plenum erat. Vnde aptè ad hoc Virginis iter, in nitidâ vteri ſui aulâ Deum geſtantis, vt puto, reſpexit divinus Sponſus eam Auroræ progredienti comparans, eodemque commendans Epitheto: *Quæ eſt iſta, inquit, quæ progreditur quaſi Aurora conſurgens?* Nam Aurora, non niſi manè conſurgit, & poſt longam totius diei, & noctis quietem, quando iam venientem terris annunciat ſolem, relicto Oceano, progreditur;

Cant. 6.

Oceanum interea ſurgens Aurora reliquit.

Vel Tithoni thalamo, vt fingunt Poetæ, relicto:

Tithoni croceum linquens Aurora cubile.

Sic Virgo Maria in modum progredientis Auroræ exurgens, relictâ Nazareth, & almo quietæ contemplationis cubili, per montana gradiebatur, annuncians primum Ioanni, deinde Eliſabethæ, totique Zachariæ domui, quem in pulcherrimo ſui vteri oriente ferebat, iuſtitiæ ſolem, poſtmodum talem tantamque lucem mundo & miſeris mortalibus editura.

Cap.

Cap. II. Cauſæ, quibus Virgo Beata mota eſt, vt exurgens abiret in montana cum feſtinatione, aperiuntur. Illa, quæ Fidei derogat, quia dictis ab Angelo credidit, reprobatur. Quam Cardinalis Toletus affert, minus certa eſt. An cognoverit Virgo Ioannem originali labe expiandum, ipſumque eiuſque matrem Spiritu Sancto implendos, dubitatur, & cognoviſſe probabiliter reſolvitur.

NON Vtique Virginem Beatam, poſt acceptum cœlitùs nuncium, auditamque ab eius ore mirabilem legationem, exurgere, & ſacro montanam regionem veſtigio premere, vna cauſa coegit: erat namque illa egregiè prudens, & ſolitudinis amans, & veluti, qualis eſſet Angeli ſalutatio, attente & maturè cogitavit: ita modo domo prodire, & iam Deo fœta, montoſum nec breve iter arripere, accuratè meditata eſt. Itaque in primis Theophilati opinio admittenda non eſt: videtur enim ſentire huius feſtinæ profectionis cauſam fuiſſe, quod nempe voluerit Virgo experiri, & probare fidem dictorum ab Angelo, à quo audierat: *Et ecce Eliſabeth cognata tua, & ipſa concepit filium in ſenectute ſua.* Id tenet non dubiè impius Calvinus, cuius mos eſt, nullam omittere occaſionem honori Virginis detrahendi: verè ſimilis ſcorpio, de quo Plinius ait: Semper caudâ in ictu eſt, nullique momento meditari ceſſat, ne quando deſit occaſioni.] Illius vero impia cogitatio falſitatis facilè arguitur. Nam ſanè Virgo Beata celſiora & mirabiliora de ſe audivit ab Angelo, quam illud de longævæ ſterilis partu miraculum: ſiquidem Angelus dixit ei, *Ecce concipies & paries filium. Et Spiritus Sanctus ſuperveniet in te, & virtus Altiſsimi obumbravit tibi. Ideoque quod naſcetur ex te Sanctum, vocabitur filius Dei.* Quomodo ergo quæ Angeli verbis credidit, quod Virgo conceptura erat, quod permanens Virgo paritura erat, quod Spiritus Sanctus ad ineffabile concipiendi opus, in ipsâ ſuperventurus erat, tandemque quod

Theoph. hic.

Calv. in harm. Evang.

Plin. lib. 11. nat. hiſt. c. 25.

Luc. c. 1.

Digitized by Google

vocandus eſſet Dei Filius, quod naſciturum ex ea erat ſanctum: quomodo, inquam, exiſtimanda eſt de verbis Angeli, ſuper conceptu & partu ſterilis, vel levitèr dubitaſſe? Nam & ſi mirum eſt ſterilem parere, minùs longè mirum eſt, nec novum, ſed multoties potenti Dei manu repetitum, vt conſtat ex Sacra pagina in matribus Iſaaci, Sanſonis, Samuelis, & ipſius Virginis Deiparæ, & alijs. Vnde etiam Eliſabeth, *Beata quæ credidiſti, quoniam perficientur ea quæ dicta ſunt tibi à Domino*, ad hæc præcipuè diviniora alludens, dixit: in quibus difficilioris Fidei oraculum apparebat. Obijciet aliquis: Si Virgo non dubitavit, fruſtra Angelus ſterilis fœminæ iam prægnantis vſus eſt exemplo. Huic reſpondendum eſt, quod Angelus cauſam Fidei agebat, proindeque non bonus eſſet actor, ſi illam non proponeret efficaciter credibilem; quapropter, nulla exiſtente Virginis dubitatione, præciſsè ſui muneris ergô, exemplo & credibilitatis argumento vſus eſt. Vnde Divus Ambroſius ait: Morale eſt omnibus, vt qui fidem exigunt, fidem adſtruant.] Nec hoc fecit Angelus (vt benè Ianſenius obiectioni occurrit) vt aliquid ambiguitatis in Virgine tolleret, ſed vt integram eiuſdem fidem magis confirmaret, humano more, per ſenſibile exemplum, ſic ſuaviſsima Dei providentiâ diſponente.] Similiter reſpondet Caietanus.

Gen. 21. Indic. 13. 1. Reg. c. 1. Luc. c. 1.

Ambr. lib. 2. c. 1. Ianſ. in conc. Evang.

Ambr. ibi.

2 Bene quidem Ambroſius, quò magis prædicta opinio refellitur, veras feſtinæ profectionis cauſas aſsignat, ſic diſſerens: Angelus cum abſcondita nuntiaret, vt fides adſtrueretur exemplo, ſenioris fœminæ ſterilisque conceptum Virgini Mariæ nunciavit, vt poſsibile Deo omne, quod ei placuerit, aſſereret. Vbi audivit hoc Maria, non quaſi incredula de oraculo, nec quaſi incerta de nuncio, nec quaſi dubitans de exemplo, ſed quaſi læta pro voto, religioſa pro officio, feſtina pro gaudio in montana perrexit.] Hæ igitur fuerunt cauſæ, quæ Virginem de exemplo ſenioris ac ſterilis fœminæ non dubitantem, impulerunt. Quibus etiam ſimilis, vel ferè eaſdem profert Divus Dionifius Carthuſianus: Et quia, inquit, iam plena fuit Spiritu Sancto, ſpiritalique gaudio, charitatis feruore, & Sanctæ devotionis dulcedine, feſtinantèr proceſsit: præſertim, quia cognatæ ſuæ congaudere oportuit, & obſequi, eiuſque fœtum, ex ſui præſentia filij, deſideravit donis amplioribus

Cart. hic. art. 2.

bus perornari.] Addit prætereà Simon Caſianus: Maiora iam in ipsâ celebrata cognoverat (maiora ſcilicèt his quæ de cognatâ revelaverat Angelus) ſed vt miraculum miraculo coniungeret, novitatem novitati ſociaret, & veneraretur in ſterili divina myſteria, quæ ſuum conceptum paritura erat.] Euthimius quoque apud Patrem Maldonatum, alias meditatur cauſas, videlicet, vt exultatione Ioannis in vtero glorioſior eſſet Chriſti conceptio, & Ioannes eiuſque mater Spiritu Sancto replerentur.] Nec omittam alteram cauſam quam Cardinalis Toletus adducit: Mihi eſt, ait, valde probabile Beatam Virginem ex ipſius Angeli verbis cognoviſſe Dei voluntatem, vt Eliſabeth inviſeret, idemque Angelum inſinuaſſe, quando dixit: *Ecce Eliſabeth cognata tua, & ipſa concepit filium in ſenectute ſua*; cum enim divino lumine eſſet illuſtrata, plura ex verbis Angeli comprehendit, quam nos, & quicumque alij, qui eam luminis claritatem non habent.] Liceat & mihi alteram cauſam nec nudam patrocinio adducere. Cum enim dicat Ambroſius: Neſcit tarda molimina Spiritus Sancti gratia, non levitèr exiſtimare videbor Virginem Deo plenam, mirifque favoribus, ac divinis cumulatam beneficijs, quaſi moræ impatientem, ea ſilêre, quin ad Dei gloriam, ſaltèm cum Eliſabeth communicaret, non tuliſſe, & ideo ad illam contendiſſe feſtinam. Hunc morem ſine morâ eſſe animarum ſanctarum fatetur Rupertus: Habent, inquit, ſancti hoc proprium, omnes qui in veritate ſanctum habent charitatis Spiritum, vt ita grátulentur de beneficijs, quæ alijs impenſa perceperunt, quemadmodum & de illis, quæ à Deo ſibimet collata perceperunt. Tum properant mutuos ſibi præbêre conſpectus, tùm dulcia miſcêre colloquia, certatimque oportuna importuna impendere invicem devotæ charitatis obſequia.] Et quidem hoc Sanctæ Birgittæ ipſamet Virgo revelavit: Statìm aſcendi ad Eliſabeth cognatam meam, vt conſolarer illam imprægnatam, & cum ea conferrem de his, quæ Angelus mihi nunciaverat.] Profectò meus Parens Divus Petrus Nolaſco noctem, in qua ſibi Virgo apparuit pijſsima, quòd tardà iret, incuſabat præ gaudio accepti beneficij, & eius evulgandi deſiderio: ægrè ferens, non protinùs, in eo prædicando, gratum Deo & eius matri exhibêre miniſterium: ad idque feſtinantis Virgi-

Sim. Caſ. lib. 2. de Virg. M. c. 12.

Euthim.

Tol. hìc ann. 115.

Luc. c. 1.

Rup. in cap. 1 cantic.

S. Birg. revel. c. 59.

Digitized by Google

nis ad Eliſabeth, & Ioannis adhuc in vtero, modo quo potuit, Deum adeſſe geſtientis, exemplo excitabatur. Quod ego his in eius vita expreſsi modulis.

Diag. lib. 2. lem. 11.

En Nolaſcus ait Mariano nectare potus:
Munera quis cœli clauſa tenere queat?
Virgo non potuit: greſſu in montana volanti
Fertur: concepto plena Deoque ſubit.
In veteri Vates feſtiuis ſaltibus aluo,
Audijt vt Matrem, pandit adeſſe Deum.
Non ſinit eſſe pigros, quoſquos Deus incitat Ignis!
Hos quibus inſidet, non ſinit eſſe pigros.
Cur ego detineor, qui exemplis provocor altis?
Cui vidiſſe Deus Matris & ora dedit?
Hinc ſecum queritur ſe iniuſſa ſilentia ferre,
Quòd nox vmbriferis lenta ſedebat equis.

3 Modo advertendum duco, quod cauſis feſtinæ profectionis à Divo Ambroſio memoratis, omnes Interpretes, eo nominato, ſubſcribunt, vno excepto Cardinali Toleto, qui vt mihi videtur, non eas iudicat ſufficientes, & quodammodo elevare nititur, quia quamuis Virgo congratulatura ſuæ cognatæ, & ſeni officium exhibitura venerit ex charitate, & deſiderio, mirabile opus Dei proprijs oculis cernendi: tamen hæc, inquit, non fuiſſent talia, vt iter hoc ſuſciperet, niſi acceſiſſet verbum Angeli Dei voluntatem inſinuantis, & Spiritus Sancti inſtinctus, & excitatio. Virgo enim iuvencula, & filium Dei in vtero habens, nunquam alitèr ad tale iter accipiendum ſe accinxiſſet.] Sed certè eminentiſsimus Author, relicto firmiori fundamento, ab omnibuſque approbato, infirmiori, & incerto nititur. Incertum enim eſt Angelum Virgini inſinuaſſe, vt Eliſabeth inviſeret: nec vllus eſt, præter ipſum, qui in illis verbis, *Et ecce Eliſabeth cognata tua, & ipſa concepit filium in ſenectute ſua*, huiuſmodi perſenſerit inſinuationem, ſed ea dixiſſe, vt credibiliora faceret, quæ nunciabat, & ad ſenſibilis Virginis fidem magis corroborandam exemplo, vt nuper expoſuimus. Præterea, eâ inſinuatione admiſsâ, illa non magis potens eſſet, vt mihi videtur, quàm Virginis charitas, quæ illam ad talem movit profectionem, & ſpeciali Spiritus Sancti inſtinctu excitavit. Quo circa, cum voluerit Virgo Beata ſeni

Tol. loc. cit.

Luc. c. 1.

præ-

Digitized by Google

prægnanti obſequi, congaudere, & ei congratulari, Deumque pro acceptis beneficijs cum illâ laudare, tum ad huiuſmodi officia difficilem arripere viam, longi atque clivoſi itineris moleſtias ſuperare, in ſuâ charitate, quæ fervidiſsima erat, ad omnia motivum & promptas vires invênit. Nam charitas benigna eſt, patiens eſt. Charitas non inflatur, non eſt ambitioſa, non quærit quæ ſua ſunt, congaudet autem veritati. Omnia ſuffert, omnia credit, omnia ſperat, omnia ſuſtinet. Quibus ſanè cœleſtibus proprietatibus, tanquam vivis coloribus, in profectione, & Eliſabethæ viſitatione, qualem ſe geſſerit Virgo, deſcribitur, & coram oculis tanquam in imagine ponitur. Quippè benigna fuit; nec, quamuis ad excellentiſsimam, & ſupremam Dei matris dignitatem exaltata erat, inflata eſt: nec ambitiosè, quæ ſui honoris erant, quæſivit, ſed obſecuta eſt ſeniori, & fœminæ longè inferiori. Omnia credidit, & congaviſa eſt veritati. Denique aſperum itineris laborem ſuſtinuit, pertulit; & quæ nondum completa erant, ſperavit. Quis det tales ac tantas vires Angeli inſinuationi? Ergo quæ fecit, potiùs ex charitate profecta ſunt. 1.Cor.c.13.

4 Videamus modò, an etiam ex illis cauſis, quæ ab Euthimio & Ianſenio adductæ ſunt, iter Virginis conſtet. Et quidem ex illis mihi naſcitur dubium, Vtrum Virgo Maria Ioannem fore originali labe expiandum, eiuſque matrem, vnà cum ipſo, Spiritu Sancto replendam, præſcierit? Hoc enim poſcebat feſtina profectio, ſiquidem illius finis erat, iuxta illorum Authorum mentem, quod exultatione Ioannis in vtero, conceptio Chriſti glorioſior fieret, & miro modo proclamata eſſet: tum, quod Ioannes & mater Spiritu Sancto replerentur. Sanè Cardinalis Toletus manifeſte negat, nam impugnando Euthimij ſententiam, fundamentum quod habet, eſt, neſciſſe Virginem, quæ in ſuæ cognatæ viſitatione ventura erant, quidve Deus facere vellet.] Mihi tamen valde probabile videtur præſciviſſe Virginem ea miracula, quæ ad ſui præſentiam filij, patranda erant. Etenim ſi Cardinali Toleto valdè probabile eſt, vt ex ipſo ſupra vidimus; Beatam Virginem ex ipſius Angeli verbis cognoviſſe Dei voluntatem, vt Eliſabeth inviſeret: Ad quod ſtabiliendum, eius ratio eſt, vt vidimus, quia cum Virgo divino lumine eſſet illuſtrata, plura ex verbis Dubium.

Angeli comprehendit, quàm quicumque eo lumine carent:] Quis non videat huiuſmodi rationem Euthimij ſententiæ favêre, & dubium inde excitatum affirmativè reſolvere? Nam divino lumine, quo Virgo ſanctiſsima erat illuſtrata, Ioannem à labe originali emundandum, atque eius exaltationem, cognovit. Quin, ſi gratis demus, non ita clarè & ſignatè, mira quæ contingerunt, præſciviſſe, vt minimùm tamen, Deum, quem gerebat in ventre, mirabilem ſe oſtenſurum, & munifici regis more, domum Eliſabeth, in quâ amantiſsimè excipiebatur, præclariſsimis muneribus ornaturum cognoviſſe, vix negari poteſt. Vnde Carthuſianus meritò (ſuprà laudatus) dixit: Fœtum Eliſabeth, ex ſui præſentiâ filij, deſideravit donis amplioribus perornari;] quod certè deſiderium ex aliquali ſaltèm futurorum cognitione oriebatur; eoque ſatis habuit, vt erat prudens, & operatorem mirabilium ſecum ferebat, ad exurgendum, & feſtinandum. Id, vt iudico, eo quod contigit in nuptijs Canæ Galileæ, poteſt non malè confirmari. Ibi enim filio Matris petitioni reſpondente: *Quid*
Ioan.c.2. *mihi, & tibi eſt mulier?* Virgo Mater ſuæ petitionis repulſam tuliſſe videtur, iuxta hominum captum, qui non eo Virginis Matris lumine gaudemus: at illa cognovit, & filium ſuum intellexit facturum, quod in ſpeciem repugnarat, vnde miniſtris dixit: *Quodcumque dixerit vobis, facite.* Quæ quidem verba,
Mald.ibi. etiam poſt repulſam, ſpei & fiduciæ plena ſunt, & Pater Maldonatus id optimè attribuit ſpiritui prophetico, quo Virgo dotata erat: eoque cognoviſſe futurum miraculum, & modum, quo Chriſtus Dominus illud erat facturum: alioquì non diceret miniſtris, *Quodcumque dixerit vobis, facite*; quippe Chriſtus aliter miraculum facere poterat, vt non eſſet opus
D.Gaud.trac. 2. de lect. Evang. miniſtris.] Idem Sanctus Gaudentius Brixianus, his verbis expreſsit: Non mandaret Mater: *Quodcumque dixerit vobis facite, niſi* Spiritus Sancti poſt partum plena, faciendi à Chriſto vini ex aquâ vniverſum ordinem prævidiſſet.] Cur ergo miracula, quæ eâ præſente, & Eliſabetham viſitante, efficienda erant, cognoviſſe negabimus: præcipue cum ipſa eſſet, tunc casûs, miniſtra pleniſsimæ gratiæ, voxque eius dulciſsima, inſtrumentum â Deo aſſumptum ad talium miraculorum patrationem? Cumque multotiès Deus ad res miras aptioribus

bus

bus dignioribuſque inſtrumentis vtatur, nullum aptius ac dignius vſui potuit eſſe Virgine Matre, ſine Adamiticâ labe conceptâ, quando huiuſmodi labes in Ioanne penitùs abolenda erat. Vnde à Virgine immaculatâ hâc de causâ incæpit ſalutatio, quia ab eius voce pendebat Ioannis ſolutio à reatu originali, exultatio ſecuta in vtero, ſimulque impletio Spiritus Sancti, tàm filij, quàm matris. Neque alitèr decebat Eliſabetham tantam Virginem alloqui, neque Ioannem in vtero exultare coram illâ, quæ Deum ſacris in viſceribus vehebat, niſi mundatos, & multâ divini Spiritus gratiâ purificatos. Aliud etiam deſumo argumentum ex Ambroſio, qui de Eliſabethâ Ioannis nomen prænunciante, ait: Nec mireris, ſi nomen mulier, quod non audivit, aſſeruit, quando ei Spiritus Sanctus, qui Angelo mandaverat, revelavit. Neque poterat Domini ignorare prænuncium, quæ prophetaverat Chriſtum.] Quis ergo Mariæ neget, quod Eliſabethæ conceditur? Huic nominis Ioannis præcognitio ab Spiritu Sancto datur: ergo illi datum eſt ab eodem Spiritu, præſcire mira, quæ in Ioanne, & eius matre, idem Spiritus operaturus erat: & quidem ſtrictiore myſterio, nam ſi Eliſabeth Domini non poterat ignorare prænuncium, quæ prophetaverat Chriſtum: Maria quæ ipſum, quo nihil divinius, portabat Chriſtum, miracula, quæ in domo Eliſabeth eventura erant, minus ignorare poterat, aut certè præſcire oportebat. Adde cum eodem Ambroſio, Quod Mariæ, quò perſona melior, eò prophetia plenior;] plenior ergo adeo valde, vt tantâ rerum ſerie à Deo diſpenſandarum præcognitâ, exurgens cum feſtinatione in montana ierit.

D. Ambr. lib. 2. in Luc. c. 1.

Ibi.

5 Cauſa verò, quam ego addidi, ex alijs cauſis bene perſpectis, ni fallor, deducitur. Quippè illud ſpirituale gaudium, quo Virginis cor plenum erat, illa devotionis dulcedo, ille ardentiſsimus Charitatis fervor, illud pium obſequendi & congratulandi cognatæ deſiderium, necnon miraculi ſociandi miraculo, cum veneratione myſteriorum Dei in ſterili vetulâ, non poterant, non impellere ad rumpendum ſilentium, & conſortem in divinis favoribus & beneficijs, quamuis inæqualibus, ad canendas communi gratulatione Deo laudes, feſtinantèr quærere. Profectò Eliſabeth, ſalutante illam Beatâ

Virgine, continêre ſe non potuit, quin protinus extulerit vocem, ſilentium ruperit. *Exclamavit voce magna*, magnâ quidem in occulti cognitione myſterij, magnâ in manifeſtatione Dei in caſtis Virginis viſceribus incarnati, magnâ tandem in ſanctâ devotione ac Spiritus fervore. Nimirum Sanctiſsima Virgo & Eliſabeth, illud Raphaelis documentum exequutæ ſunt; *Etenim ſacramentum Regis abſcondere, bonum eſt* (Regis ſcilicet terreni, vt communiter exponitur) *opera autem Dei revelare, & confiteri, honorificum eſt*. Verum eſt tamen, quod Eliſabeth, Ioanne iam concepto, occultabat ſe menſibus quinque. Nec alia ſibi primùm occurrebat cauſa, inquit Ambroſius, quam pudor, nam & ſi concepit de viro, tamen partus ſui erubeſcebat ætatem.] Huiuſmodi vero occultationem, quis niſi Virgo Maria detexit? Nam vt benè adnotavit Simon de Caſia: Eliſabeth, cum ſe quinque menſibus occultaret, Maria ab Angelo nunciata, in ſexto menſe detexit, cùm montana conſcendit.] Eliſabetham, Prophetæ, & præconis verbi divini, quem conceperat, myſterium latebat: interdùmque, inquit Ambroſius: Erubeſcit onus parentis, quandiù neſcit myſterium religionis. Illa, quæ occultabat ſe, quia conceperat filium, iactare ſe cœpit, quia generabat prophetam.] Poſtquam ergo quam primùm vtraque fuit conſcia myſterij, neutra illud tacuit, ſed gratiſsimis Deo laudibus celebravit: Ideoque Virgo Maria *exurgens abijt in montana cum feſtinatione, & Eliſabeth exclamavit voce magna, Vnde hoc mihi, vt veniat mater Domini mei ad me?* Quibus ex verbis optimè colligitur, quod Caſianus piè ſentit: Quod nempe, ſi ſterilis cognoviſſet de Virgine, quod Angelo nunciante Virgo cognovit de ſterili, velut altioribus muneribus dotatam, in viſitatione Virginem ſterilis præveniſſet.]

Tob. c. 12.

Ambr. lib. 1. in Luc. c. 1.

Caſian. lib. 2. de Virg. Mar. c. 12.

Ambr. nup. cit.

Caſ. vbi nup.

******

****

****

Cap.

Digitized by Google

Cap. III. *Humilitas, Charitas, Pietas, Beneficentia, congratulatio de donis divinis, Pudor Virginalis, virtutes, quæ in feſtina Beatæ Virginis profectione, & viſitatione, enituerunt, expenduntur, & elucidantur.*

1. QUAM, Inter tot præclaras Virginis proficiſcentis, & feſtinantis virtutes, prius laudem, vix ſcio: emicant enim ſimul impigra celeritas ſeu feſtinatio, profunda humilitas, Charitas ferventiſsima. Pietas officioſa, beneficentia regia, congratulatio ſancta, & virginalis pudor. Sed cum Virgo, divino incitante Spiritu, exurgens abijt in montana cum feſtinatione, ab hâc impigrâ celeritate, præconij ſumam exordium. Hæc equidem feſtinatio Spiritui Sancto, qui neſcit tarda molimina, non potuit, non eſſe gratiſsima, quia quæ efficere decreverat, non tardè, non pigrè, ſed Virginis aligeræ miniſterio, velociter, & more ſuo efficiebat. Hinc Salomon, inquit: *Vidiſti virum velocem in opere ſuo, coram regibus ſtabit, nec erit inter ignobiles.* Prov.c.6. Cuius mentem optimè quidam interpretatur, ſic elegantèr ſcribens: Inter virtutes, quas Reges in delectu ſervorum potiſsimùm ſpectant & requirunt, gratiſsima eſt præ cunctis celeritas, & in negotijs expediendis ſtrenuitas. Inſuper motus animorum regiorum celeres ſunt; & moræ minus patientes. Putant enim ſe quiduis efficere poſſe; illud tantùm deeſſe, vt cito fiat. Itaque ante omnia ijs eſt grata celeritas.] Bacon. de augm. ſcient. lib.8. Ex his, vt mihi videtur, Spiritus Sanctus Virginem, quæ iam dixerat, *Ecce ancilla Domini*, vtpote celerem, & in negotijs in domo Zachariæ expediendis ſtrenuam, in delectu habuit: etenim, cum ipſe ad omnia ſit potens, celeritatem exoptavit, ad eamque nullum ſervum Virgine ancillâ aptiorem elegit; vnde illa, vel hâc ſolâ virtute, non dico inter ignobiles, non computanda, ſed inter cæleſtiores beatiſsimæ curiæ proceres excelſior habenda eſt: quæ neque ſolum coram Rege cœlorum ſtabat, ſed Regem in ſe gerebat factum hominem. Quis curſor, aut alatus Mercurius, ad obeunda divini Regis mandata, velocior

Vir-

Virgine Mariâ, quam, & ſi antè ſola in intimis penetralibus
Lib. 2. in Luc. c. 1. verſabatur, non à publico, inquit Ambroſius, virginitatis pudor, non ab ſtudio aſperitas montium, non ab officio prolixitas itineris retardavit.] Quibus adde, quod nec divinum vteri ſui pondus, nec immenſæ Maieſtatis recens conceptus. O nos homines pigri, & ad Deo ſerviendum pænè plumbei! O quàm longe à Virginis piâ celeritate abſumus! O quàm longas, etiam ex levibus cauſis, moras nectimus! Hiems, æſtas, tenuis quoque tribulatio, & temporale lucellum, nobis pediculas inijciunt, vt ad Deum non curramus clamantem:
Ad Epheſ. 5. *Exurge qui dormis, & exurge à mortuis, & illuminabit te Chriſtus.* Vbi Divus Thomas, Surge, inquit, à negligentia boni operis. Nec tamen, Chriſti lumine, quo ſpes non impingit, & nos ad currendam mandatorum Dei viam, expediti ſumus, excitamur.

2 Virgo igitur, quæ exurgens ad profectionem, in itinere feſtina inceſsit, cur feſtina & velox, niſi quia ad exercendas virtutes currebat, & profundam imprimis humilitatem? Hæc ſtatim apparuit, quia exurgens in diebus illis, quibus Altiſsimi filium in vtero acceperat, non retardata tanta digni-
Caniſ. de B. Virg. libr. 4. c. 3. tate; quod optime Pater Caniſius ponderat: Quando autem, inquit, hanc inſtituit profectionem? Statim poſt diſceſſum Angeli, à quo tam reverentèr ſalutata, ac Dei mater proclamata, ipſum Dei filium in ſuo virgineo vtero iam cœperat circumferre. Adeò illa ſui rationem non habuit, gravida licet effecta, ne vel invitanti ad iter Spiritui Sancto, vel cognatæ, quæ vix tribus menſibus à partu aberat, obſequio deeſſe videretur.] Verè quidem, vt ait, Virgo ſui rationem non habuit, nihil de ſe cœlum vſquè exaltatâ, arrogantèr præſumpſit: tunc potiùs cognatæ, & inferiori fœminæ, obſequi debere putavit, & in quibuslibet, etiam minimis, miniſtrare, quando ſe Deo plenam, & Spiritus Sancti donis ornatiſsimam vidit. Sic Virgo, quando maior & perfectior, minuebatur ſibi. Porrò in
Eccl. c. 43. Luna laudat Eccleſiaſticus quod ſit *luminare, quod minuitur in*
Bon. in Æſth. c. 2. *conſummatione.* Quia nimirum, iuxta Bonartij expoſitionem, decreſcit poſtquam pervenit ad perfectionem, ſive plenilunium, quod nec Soli, nec alijs Aſtris convenit.] Hic certè Virginis humilitatem, quis deſcribi dubitet? Ipſa equidem eſt

pul-

pulchra vt Luna, & adeò, ſingularitèr fœta Deo, & in ſuo divinæ maternitatis plenilunio, decreſcit, & minuitur, vt nulli Sanctorum ſimilis humilitas convenire poſsit. Sed cur Sol, cæteraque Aſtra, non minuuntur; cum ad perfectionem ſeu radiorum plenitudinem pervenerint? Fortaſsè in illis homines adumbrantur, vel ſcientiâ clari, vel opum divites, vel geſtis celebres, vel naturæ dotibus ornati, qui cum videant his ſe ſplendidè vigêre, ſuperbiunt, ſe humiliare neſciunt, & cognoſcere, ſe ex ſe nihil eſſe, & quidquid habent, à Deo acceptum habere. Exemplo ſit ille Rex Tyri, vel perduellis Angelus, qui ſub eius perſonâ pingitur. Hic enim, vel ille, apud Ezechielem Prophetam, dicitur *ſignaculum ſimilitudinis, plenus ſapientia, & perfectus decore.* At videte quid illi reprehenſibiliter obijciatur: *Elevatum eſt cor tuum in decore tuo.* Itaque hinc profectus eſt ad vanitatem & elationem, vnde ad humilitatem debebat proficiſci, morem ſervans ſuperbiæ, cuius ingenium eſt ſemper aſcendere, iuxta illud: *Superbia eorum, qui te oderunt, aſcendit ſemper.* Quis niſi Virgo, pulcherrima luna, ita humilitèr ſapit, vt dum eſt in perfectione ſuâ, in decôre ſuo, in ſublimi tandem Matris Dei dignitate, decrementum ſui faciat? Certè tantæ adeòque ſingularis humilitatis exemplum in Chriſto Domino eius filio licet nobis duntaxat reperire: qui *inclinavit cœlos, & deſcendit*, vt ad nos veniret in carnis noſtræ humilitate, formam ſervi accipiens. Videlicet, ſolium gloriæ ſuæ, in quo regnabat Deus, demiſit, depreſsit, de maieſtate miro modo eliciens humilitatem. Hanc igitur Dei humilem ad terras profectionem imitata eſt Virgo Beata; quippe Deus inclinavit cœlos & deſcendit, ideſt, celeritatis ſtudio non eos aperuit ad deſcendendum, ſed inclinavit ſecum, & ad terram traxit, vt exponit Genebrardus; quaſi Deus non poſſet eſſe humilis, quin eſſet celer, cogente humilitate ad celeritatem. Hoc tanti filij exemplo velox fuit Virginis humilitas: proindeque obſequendi & ſerviendi Eliſabethæ cauſâ, exurgens abijt in montana cum feſtinatione ex humilitate ortâ. Mirè Virginem Bernardus & opportunè quidem ad rem præſentem, in humilitate filio ſimilem conſiderat: Aſcenſiones, inquit, in corde ſuo diſpoſuit Virgo, converſatione paritèr, & oratione aſcendens. Abijt

Ezech. c. 28.

Pſalm. 73.

Pſalm. 17.

Genebr. ibi.

Bern. ſerm. de nat. B. M.

in

in montana cum feſtinatione, & ſalutavit Eliſabeth, & in miniſterio eius erat quaſi menſibus tribus, vt iam tunc poſſet dicere matri mater, quod tanto poſt dixit filius filio: *Sine modo, ſic decet nos implere omnem iuſtitiam.* Quid hac humilitate ſublimius? Veniſſe eam mirabatur Eliſabeth: *Vnde hoc mihi vt veniat mater Domini mei ad me?* Sed iam magis miretur, quod inſtar vtique filij, & ipſa non miniſtrari venerit, ſed miniſtrare. Meritò proinde cantor ille divinus in ipſius admiratione præcinens, aiebat: *Quæ eſt iſta, quæ aſcendit ſicut Aurora conſurgens, pulchra vt luna, electa vt ſol, terribilis vt caſtrorum acies ordinata?*] Sed quid eſt, quod mellifluus Pater, cum de humilitate Virginis loquatur, illam inſtar aſcendentis auroræ meditatur? Ob id quidem, quia vbi eſt humilitas, ibi eſt aſcenſio, & exaltatio, & quaſi per gradus de luna in ſolem augeri, creſcere, & aſcendere: idemque fuit Virginem Beatam in Eliſabethæ miniſterio ſe humiliare, ac in corde ſuo aſcenſiones diſponere.

Math c. 3.

Cant. 6.

3 Iam de fervidiſsimâ charitate, quam in feſtinâ profectione oſtendit Virgo, ſermonem inſtituamus, ſed brevem, quia aliquid precedenti capite de ea egimus. Super quâ quidem elegantèr ſic diſſerit Caniſius. Quid vero tandem niſi officioſa ſuique prodiga Charitas noſtram Virginem ab adamatâ abſtraxit ſolitudine, quæ ſacris meditationibus amica eſt, & ad publicum conſpectum, iterque laborioſum extruſit? Charitas illi temporis moram, & quietis cultum abrupit: Charitas celeres pedes dedit, puellare corpus exercuit, ad inſuetum laborem perpulit, totius itineris moleſtias mitigavit. Charitas ad gratulationis officium vltrò præſtandum permovit, vt non vocata neque expectata, fortaſsè nec de facie quidem nota, domum alienam intraret, nec ſolum cognatam amantèr, ſed etiam Sacerdotis tanti coniugem ſalutaret.] Notate quod Charitas celeres pedes dedit, pedibus, inquam, addidit alas; nam ſi alatus pingitur amor prophanus, quomodo illa divini amoris flamma Virgini, vt feſtina iret, non adderet alas? Ideò tot obicibus & incommodis occurrentibus nihil morata, velocius quàm credi poteſt, perdifficile emenſa eſt iter.

Lib. 4. c. 3. cit.

Quis enim præcurrat amanti,
Cui dat Amor pennas, vt volet ille, ſuas?

Diag. D. Petr. Nolaſ. libr. 2. lem. 7.

Ca-

Digitized by Google

Canebam ego. Præcipuè, cum illa, vt Ioanni originali luc laboranti, ſanitatem præſtaret, ſolem divinum, cuius *ſanitas* (teſte Malachia) *in pennis eius*, iam in vtero ſuo natum ferret. Malach.c.4. Pennatam ergo vehebat Virgo ſalutem, quâ citiùs patienti ſuccurreret, & Charitatis opus cum tribulato exerceret; vel aligera erat Dei in caſto Virginis vtero nati ſanitas, vt volante Virgine, ipſe velociùs ad ſanandum adeſſet: nam Origenes Orig.hom.7. in Luc. matris feſtinationem ad filium ſuum Ieſum transfert: Ieſus, inquit, qui in vtero Virginis erat, Ioannem adhùc in ventre matris poſitum, ſanctificare feſtinabat, & à peccato originali expiare.] Benè quidem, quia Virgine in noſtrum feſtinante remedium, Deus etiam ſimul cum illâ feſtinat. Adeò illam ab ortu ſuo propitiam habemus, vt hæc Iobi verba, *Homo naſcitur ad laborem, & avis ad volandum*, de homine patiente, & Mariâ Virgine opitulante, cogar intelligere. Iob.c.5. Quæ eſt illa mira, & non caſu, coniunctio hominis ad laborem nati, & avis ad volandum natæ? Profectò, ſi myſticè intelligatur, avis ad volandum nata, Virgo eſt: à primo enim ſuæ animationis inſtanti divinæ gratiæ beneficio alata fuit, vtpote à repagulis culpæ originalis immunis, & ſumens illud Ave Gabriêlis ab ore, & mutans Evæ nomen, vt canit Eccleſia. Non ergo ad laborem ex illâ culpâ ortum, vt cæteri homines, nata eſt, ſed ad volandum: vnde mirè nobis, ad laborem naſcentibus, copulatur, & ad volandi officium coniungitur, ideſt, ſuccurrendi velocitèr nata. O Virgo! Te enim feſtinè volantem expertus eſt Ioannes, cui nondùm nato, geminâ Charitatis alâ vtens, ſuccurriſti.

4 Quàm item fuerit officioſa Virginis Pietas, vt de hac eius virtute aliquid meditemur, vel ex hoc exurgendi & feſtinândi facto in domum cognatæ prægnantis, perſpicuè intelligi poteſt. Cur arduum arripuit iter, niſi vt obſequeretur ſeniori, & inferiori inſerviret, vt prægnanti faveret, vt de collatis à Deo beneficijs tàm ſibi, quàm Eliſabethæ, illorum largitori, coniunctis animis, gratias agerent? Quid ex hac Pietate cœleſtis non effluxit boni? Puero in matris ergaſtulo originales excidunt catenæ, repletur Spiritu Sancto, exultat, ſalit expeditus, Deum lætiſsimo adeſſe prophetat tripudio: Sentit mater infantis gaudium, & ipſa quoque plena Spiritu Sancto

Digitized by Google

1. ad Thim. c.4. gaudet, Prophetat, exclamat: *Vnde hoc mihi, vt veniat mater Domini mei ad me?* Verè, vt ait Apoſtolus: *Pietas ad omnia vtilis eſt, promiſsiones habens vitæ, quæ nunc eſt, & futuræ.* Et quidem ad præſentiam pijſsimæ Virginis, promiſsiones factæ Zachariæ ab Angelo, impletæ ſunt: nam tunc Ioannes in vtero matris ſuæ Spiritu Sancto impletus eſt, & parentes eius exultarunt. Itaque ille accepit vitam gratiæ, quam non habebat, Etenim tanti æſtimatur Pietatis virtus, vt dicat Caietanus, illam promiſsionum vitæ, quæ nunc eſt, & futuræ, privilegio gaudere, quia ad faciendum alteri bonum tendit, quod divini officij eſt maxime imitativum, & homini difficile, cum naturalitèr non inclinetur niſi ad proprium bonum.] Si ergo cuiuſcumque hominis iuſti Pietas tali privilegio honoratur, dum contempto proprio commodo, alteri prodeſſe ſolicitat: iure illarum promiſsionum impletio Pietati Virginis tribuenda eſt, quæ relictâ domo, ſanctoque cordis ſui latibulo, in profectum Ioannis, & matris eius feſtina tetendit, ferens in ſuâ puriſsimâ aluo Pietatis Authorem Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum, qui ita implere promiſsiones decreverat. Vnde Eliſabeth dixit: *Ecce vt facta eſt vox ſalutationis tuæ, exultavit infans in vtero meo.* Quaſi dicat: tua expectabatur pijſsima vox, vt exultaret infans, & tam mira nobis bona evenirent. Nec mirum, quod in terris tam piè ſe geſſerit, quæ huiuſmòdi pijſsimum favendi alijs, in cœlis regnans, morem ſervat. Pietas enim in captivos fideles fuit, quæ illam cœlo extraxit, quod ego ad mentem Parentis mei, cui apparuit, ſic in eius vita cecini:

Caiet.ibi.

Diag.D.Petr. Nolaſ. libr.2. lem.11.

Petre, tibi cælo non mittitur Aliger alto,
Ipſa ego ſed venio Numinis alma Parens.
Quid mihi contingat, miſeris dum vixero terris
Dulcius? Aut quæ aures mulceat aura magis?
Obſtupeo memorans, & mens abſorta favore
Virgineo, ſe iam corpore abiſſe putat.
O ſervo Pietas indulgentiſsima pigro,
Qui fuerat facie deſtituendus heræ!
Vnde mihi (mater cecinit mirata Ioannis)
Me Domini vt viſat noſtraque tecta Parens?
Quid nos dicemus, quibus hæc bona munera tanto

Plus

Digitized by Google

Plus creſcunt, quanto debita iure minus?
Illam plena Deo in terris, pauperque, humiliſque,
Nazario inviſit Virgo profecta ſolo.
At nos, cum in cœlo ſublimibus imperat aſtris,
Iuncta tenens Nato templa thronumque Deo.
Illa tribus Sacræ Mariæ cognata micabat;
Nos ſervi (quod enim nos iuvat eſſe) ſumus.
Et modo, quas noſtis, vos mecum evolvite cauſas*
Deſcenſus ſupera Matris ab arce piæ.
Venit captivis dare opem dulciſsima Virgo,
Venit clementi rumpere vincla manu.
Venit Chriſtiadum triſtes abſtergere fletus,
Et Mahometeo demere colla iugo:
Vt requies foret afflictis, vt dulce levamen,
Vt lux in Libycis, ſpeſque, ſaluſque, locis.
Quid ſi illa ærumnas alto ſpectabat Olympo,
Terribiles dominos ſervitiumque ferox?
Viſcera quid Matris facerent? Quid flumen amoris?
Obſtrueret fluidas num Pietatis aquas?
Quin læto vt campis deſcendens plurimus imbri
Iuppiter, incluſos intrat ad vſque ſinus:
Sic fautrix inopum deſcendit ab æthere Virgo,
Sordida vinctorum laxet vt antra virûm.

5 Offert ſe modò mira Virginis beneficentia, nec aliter quanta fuerit, vt iudico, ponderandum eſt, quàm ſuprà, ex Caniſio animadvertimus, quòd non vocata, neque expectata, fortaſſe nec de facie quidem nota, in domum alienam feſtina perrexerit. Sed cum hæc virtus regia ſit, & munifica, noſtræque Reginæ innata, nihil illam morabatur, vt ad benefaciendum exurgeret. Ingenui ſanè ad mendicandum ſunt tardi, & pigri, atque erubeſcentes; è contra vero ad largiendum. Sic ille ſervus, divitiarum Domini ſui œconomus, de ſe teſtatus eſt: *Mendicare erubeſco.* Et ego hanc ingenuorum animorum conditionem ita ludens expreſsi: Luc. c. 16.

Eſt rubor ingenuis emendicare: quod ipſi In Dig. lib. 3. lem. 1.
Accipiunt, ſoluit ſanguis in ora ruens.

Tantam ergo, tamque ſingularem Virginis beneficentiam miratа eſt Eliſabeth: *Vnde hoc mihi, inquit, vt veniat mater Do-*

Digitized by Google

mini mei ad me, ſcilicet non expectata, non vocata? Meritò quidem miratur; ſi vocata, ſi precibus exorata, nobis expectabilis eſſet, & ad nos, quæ Mater Dei eſt, veniſſet: ingens profectò eſſet beneficium; nunc vero imponderabile prorſus.
Iſai.c.65. Hùc hæc Dei verba ſpectant: *Eritque antequam clament, ego exaudiam.* Eritque, inquit, ideſt, eveniet res nova, & quid inſolitum, & præter hominum ſpem, quod antequam ad me homines in ſuis afflictionibus, & adverſitatibus, ſupplices clament: ego non.vocatus illis adero, & præſidio ero. Vbi enim non eſt clamor, exauditio non eſt. Deus tamen exaudire dicitur, quia nobis nondum clamantibus beneficus ſuccurrit, quod eximium eſt beneficij genus. Porrò ſingularis eſt benevolentiæ (ſcribit ſuper hunc locum eruditus interpres Pater Gaſpar Sanchez) & animi benigni, prævidere alterius neceſsitatem, occurrereque cum adiutrici manu nullis vocatum precibus.] Profectò beneficium non parum minuitur, quod precibus extorquetur. Docet enim Seneca: Non tulit gratis, qui cum rogaſſet, accepit.] Hoc equidem quod Deus facit benigniſsimus: benigniſsima quoque Dei mater fecit: prævidit enim illa, Angelo nunciante, Eliſabetham gravido laborantem vtero, eiuſque fœtum graviori morbo devinctum: atque hoc ſatis illi fuit, vt confeſtim Eliſabethæ adfuiſſet, quæ nec illam vocaverat, nec expectaverat, imo nec norat invocandam, ab eâque expectandum omnis fore afflictionis remedium. Itaque in hoc ſanè ſingulariſsimo beneficij genere, accipiens nihil ſibi debet, ſed totum debet facienti: nihil ſibi debet, quia pro eo obtinendo, non vocavit benefactorem, aut vllis exoravit precibus: totum vero debet facienti, quia beneficium fecit, & quia minimè exoratus fecit. Sic me diſertè monuit Apuleius. Id ego arbitror præcipuè in honore obſervandum, quem qui laborioſè exoraverit, ſibi debet vnam gratiam, quòd impetrarit: qui vero ſine moleſtiâ ambitus, adeptus eſt, duplam gratiam præbentibus debet, & quòd non petierit, & quòd acceperit.] Hoc certè non aliter cognovit Eliſabeth. Nihil ſibi arrogavit gratiæ, ſed duplam gratiam, aut totam Virgini benefactrici tribuit, à quâ, & præſentiſsimum honoris maximi, cœleſtiſque ſibi & filio gratiæ beneficium, & ſine labore ambitus & precum, accepit. Quo circa illa ſapientèr gratiam referens,

Sen. lib. 2. de Benef.

Apul. Flor. lib. 3.

Digitized by Google

ferens, dixit: *Vnde hoc mihi, vt veniat mater Domini mei ad me?* Ideſt, nihil ego feci, nullâ ſupplici prece ambivi, vt tu, Domina mea, & mater Domini mei, me inviſeres, ac domui meæ favêres, multiſque, hiſque cœleſtibus, me filiumque meum, beneficijs cumulares: proinde totam tibi gratiam debeo, & lubentèr exoluo. Nos quoque hinc cognoſcamus, quàm feſtina fuerit Virgo ad benefaciendum, ſiquidem, vt dicit Seneca; Properet licèt, ſerò beneficium dedit, qui roganti dedit. Luc. 1. Sen. ibi. c. 2.

6 Videamus iam feſtinæ Virginis Sanctam cum Eliſabethâ congratulationem. Sanctorum profectò hæc eſt laudabilis conditio, invicèm de donis ſpiritualibus, & quibuslibet bonis à Deo acceptis, ſibi congratulari. Ideo Divus Paulus monet: *Gaudere cum gaudentibus*, vtique de bono; nam de malo, è contra, *Flere cum flentibus.* Et ipſe ſervat, quod monet: *Gaudeo*, inquit, *& congratulor omnibus vobis: id ipſum autem & vos gaudete, & congratulamini mihi.* Similitèr mulier, inventâ drachmâ, à vicinis petebat: *Congratulamini mihi, quia inveni drachmam, quam perdideram.* Porrò meliorem drachmam, ſcilicet æternam Patris Sapientiam, invenerat Sanctiſsima Virgo, cui Angelus dixit: *Inveniſti enim gratiam apud Deum: Ecce concipies in vtero, & paries filium.* Invenerat quoque Eliſabeth gratiam, cui datũm eſt à Deo ſublatâ ſenilis vteri ſterilitate, Ioannem concipere, qui gratia interpretatur. Eliſabetham autem huiuſmodi gratiam inveniſſe, cognovit Maria ab Angelo, & ideò feſtinantèr profecta eſt, vt de gratiâ inventâ cognatæ congratularetur. Poſſumus hìc dubitare, quibus verbis ei gratulata eſt? Illis quidem, vt iudico, quibus illam ſalutavit, quia Virginis ſalutatio fuit ſimul gratulatio, vel fuit gratulatoria ſalutatio, ſcilicet non illis inſtructa verbis, quibus patrius ſalutandi mos erat: aliâ enim vti formâ, occaſio poſcebat, & mira cauſa: quin etiam orator Angelus ad Virginem miſſus, eam novo, atque inuſitato modo ſalutando, propter mirandæ novitatis cauſam, quid in ſimili caſu obſervandum, inſinuarat: quando quidem Virgo, quæ prudentiſsima erat, in re novâ & mirâ, dubio procul, novo ſalutandi genere, & tempori ac perſonæ opportuno vſa eſt. Vnde Quintilianus: Aptare, inquit, orationem lo- Ad Rom. c. 12 Ad Philip. c. 2 Luc. c. 15. Luc. 1. Dubium. Quint. lib. 6. inſtit. orat. c. 6

cis, temporibus, perſonis, eſſe virtutis prudentiæ.] Quamvis tamen nos ignoremus, qualis fuerit ſalutatio, & quibus verbis dicta ſit gratulatorijs, hoc vnum ignorare non poſſumus, quàm pia, quàm pura, quàm vera, quàm gratiæ plena, quàm denique ab aſſentatione remota fuerit. Id ſatis oſtendit, cùm ſanctiſsima gratulantis perſona, tùm quod tunc primùm Virgo ore humano, Spiritus Sancti inſtinctu, Mater Dei ſalutatur, ſic illam reſalutante ſimulque congratulante Eliſabeth:

Luc.c.1. *Vnde hoc mihi, vt veniat mater Domini mei ad me?* Ipſoque Ioanne priùs, ſi non verbis, ſaltibus quidem, in matris vtero;

Græc. Aut. in cat. nam vt Græcus Autor, ſcribit apud Divum Thomam: Propheta enim parente acutius videt, & audit, ſalutatque prophetatum: ſed quoniam verbis non poterat, ſaltat in vtero,

Quint. lib. 11. inſt. orat. c. 3. quod maximum exiſtit in gaudio.] Et ego Ioannem illo Quintiliani præcepto, quod ad oratorem pertinet, cœlitùs inſtructum video. Quippe non manus ſolùm, ait, ſed nutus etiam declarant noſtram voluntatem, & in mutis pro ſermone ſunt, & ſalutatio frequentèr ſine voce intelligitur, & afficit.] Sine voce ergo ille ſalutavit, & congratulatus eſt Virgini, & divinæ proli, quam in caſtiſsimo illius vtero propheticis ſaltibus adeſſe monſtravit. Tum taudem, vtriuſque matris congratulatio, non vt ſibi placerent, ſed in Dei laudationem directa eſt, vt patet ex Virginis cantico, *Magnificat anima meâ Dominum.*

7 Poſtremò non minima virtus, quæ in Virginis feſtinatione apparuit, virginalis pudor & caſtitas, fuit. Ob hanc virtutem Maria in domo ſera, feſtinat in publico, & tribus menſibus manſit apud Eliſabeth: non quòd domus eam delectaret aliena, ſed quia frequentius videri in publico diſplicebat, vt notavit Ambroſius. Duobus hinc modis commendatur Virginis pudor, & virginibus datur exemplum, tùm in

Gen.c.34. domo manendi, tùm illâ exeundi. Atque vtinam ſic, vt debent, Mariæ ſint devotæ, domi manendo, & extra domum, ad illam redeuntes, feſtinando, vt Dinam non imitentur, curioſè extra domum evagando: ne ſicut malum illius ſequuntur exemplum, eundem & plorabilem experiantur pudoris

Plut. de præc. connub. c. 33. caſum. Diſertè Phidias, vt refert Plutarchus, Venerem fecit teſtudinem calcantem, indicans mulierum eſſe munus, & ædes

cuſ-

Digitized by Google

cuſtodire, & ſilentium. Nam teſtudo eſt animal mutum, & extra corticem non egrediens, quod etiam Alciatus pulchro emblemate expreſsit. Hac itaque in re, Maria Virgo auroræ comparanda eſt, nam quid aurorâ caſtius, ex cuius rore puriſsimo vnio ſeu candidiſsima gemma generatur in concha? Quid ſimul velociùs illâ, cum mundo ſolis prænuncia proditur, aut ſecum invehens ſolem? Doctè, vt ſolet Genebrardus, ad illud Regij Vatis carmen, *Si ſumpſero pennas meas diluculo*, diluculi, ſive auroræ, in gignendi caſu legit, atque ita exponit: Aurora ſolis prænuncia momento in totum emiſphærium pervadit; adeo vt Phyſici diſputent, num illuminatio ſit motus momentanus citra prius & poſterius. Vtvt ſit, fit tempore imperceptibili, ac eſt alluſio ad ſolem in aurorâ iactu celerrimo radios longiſsimos vibrantem.] Sic ergo Virgo Maria, quæ quaſi Aurora conſurgens progreditur: quæ gemmarum gemmam in ſui pellucidâ vteri conchâ, ex ſuo puriſsimo, ac purpureo Chriſtum Dominum rore generavit, Aurora fuit, cùm in caſtitate, tùm in celeritate: proindeque vt virgineum decebat pudôrem, nil in publico morata eſt, ſed admodùm feſtina montanam regionem pervaſit, divinoque Sole, quem ſecùm ferebat, totum emiſphærium illuſtravit. Hinc quoque nos meritò debemus pro comperto habere, reditum Virginis in domum ſuam celerem fuiſſe, ſicut celer fuit in domum Eliſabeth avitus. Aſcendit quidem per montana, alta petijt loca, ſed quantâ humilitate iam vidimus: ideoque quamuis via erat deſcenſu difficilis, multoque magis quàm aſcenſu, nihil ſibi periculi aut caſus timuit, ne velox & feſtina deſcenderet, & in domum rediret, vtpotè humilis deſcendens, vt aſcenderat. Secura eſt enim humilitas ad aſcenſum, ſed ſecurior ad deſcenſum, quia in hoc ſe exercet, cum de ſe nihil ſapiat, aut ambiat altum. Audiant qui ſublimia, & dignitatum arces occupant Divum Ephrem Syrum ſic monentem: Chariſsime frater, ſi promotus fueris, vt in ſupremo conſiſtas gradu, cave obliviſcaris humilitatis, & modeſtiæ animi, vt, ſi quando tibi è gradu deſcendere contigerit, viam invenias.] Acutè ſatis, inquit, vt viam invenias: nam quiſquis in loco & throno excelſo ſuperbit, deſcendendi viam non invenit, ſed præcipitium, veluti Lucifer, qui non deſcendit, ſed ceci-

Alciat. embl. 195.

Genebr. Pſal. 138.

S. Ephr. Paræ. 31. de humil.

cecidit. Habent etiam quem imitentur in hac humilitate, Parentem meum Divum Petrum Nolaſcum, qui, vt ego canebam, magiſtratu depoſito,

Diag. libr. 3. lem. 14.

Sic ille ex alto deſcendit culmine ſceptri,
Ac ſi humili ſemper ſueverit eſſe loco.

EPITHETON VI. EX D. LVC. CAP. I.

BENEDICTA TV INTER MVLIERES.

Cap. I. *Eliſabeth eodem Epitheto, quo Beatam Virginem Angelus ſalutarat, ſalutat. Cur ita? Patrum dictis reſolvitur. Hæretici carpuntur.*

QUAMUIS Epitheto tertio, vt potuimus, & occaſio expoſcebat, Epitheton Benedicta enucleavimus, ad illud rurſus, non ſine causâ, noſtra redit diſcuſio: offert enim diſtinctam nobis meditationem perſonarum Sanctiſsimam Virginem ſalutantium ac laudantium mutatio. Iam illam ſalutarat Angelus benedictam: cur modò eundem Eliſabeth titulum repetit, præcipuè cum eſſet divino afflata, & repleta Spiritu; quem illius Epitheti glorioſa, & cumulatiſsima laudum magnitudo minimè ad novas laudes inopem efficere poterat, vt quidam Poeta de ſe dixit: Inopem me copia fecit? Sed hoc dubium ſic Ambroſius, ſolvere videtur. Primùm, quia Spiritus Sanctus in ore Eliſabethæ proferentis idem Epitheton, quod Angelus dixerat, voluit ſe oſtendere: docens illam in Virginis laudatione, verbis ab Angelo è cœlo allatis, loqui, quæ purà & ſincera ſunt, proculque ab humanâ aſſentatione: quæque tantùm dignis, & ad meritorum menſuram impertiuntur. Itaque, inquit, Sanctus Doctor: Novit Sermonem ſuum Spiritus Sanctus, nec vnquam obliviſcitur.] Secundò, vt Prophetia, ſeu Angeli annunciatio facta Virgini, & Eliſabethæ, de mira divini infantis conceptione, & Ioannis conceptione, ſicut miraculis, etiam verbis conſonaret. Vnde ait: Et Prophetia non ſolum rerum compleretur miraculis, ſed etiam propietate verborum.] Beda aliter

Dubium.

Lib. 2. in Luc. c. 1.

Bed. hic.

aliter eidem dubio aptè quoque & optimè reſpondet: Simul intuendum, inquit, quod eâdem voce Maria ab Eliſabeth, quâ à Gabriêle benedicitur, quatenus Angelis & hominibus veneranda, & cunctis fœminis præferenda monſtretur.] Itaque (vt ego præclaram Venerabilis Bedæ ſententiam magis explicem) iam Virgo ſe vocari Benedictam ab Angelo audierat, ſed illa, humili ſilentio, ita honorificum premebat titulum; ſicut divinum celabat conceptum: tamen mundo occultari non conveniebat, aut tantùm Angelis in cœlis notum eſſe: quocirca inde ab Angelo ad terras delatus eſt, & eo digniſsimè Mariam ſalutavit, & poſtea, inſpirante Spiritu Sancto, Eliſabeth, non vt Angelus leni ac ſummiſsâ voce, ſed altâ & magnâ, clamoreque velut Stentoreo, Benedictam ſalutavit. Quippe hoc intendebat Spiritus Sanctus, vt non ſolùm Virginis auribus, & intra privatum eius cubile, ſed toti mundo inſonaret illud præconium, quo homines à tanto Spiritu edocti, quotidiè Mariam dignè ſalutaremus, & veneraremur. Reſipiſcant hinc hæretici, & Catholicis oblatrare deſinant, qui in laudandâ Virgine Benedictâ, Angeli & Eliſabethæ exemplo, Spiritus Sancti ductum ſequimur. Dicant autem illi nobis cuius Spiritus inſtinctum ſequuntur? Certè, relicto divino, flatum Diaboli, qui oſſor eſt Virginis, ſequuntur, aut quiſque ſuum, qui illius eſt ſimilis. Vnde illis nos iure poſſumus dicere: *Si iuſtum eſt in conſpectu Dei vos potius audire, quam Deum, iudicate*; quibus verbis inimicis Chriſti in actis Apoſtolorum Petrus, & Ioannes reſpondêrunt. Cap. 4.

2 Sed quidem valdè vanum, & ridiculum eſt, quod aliqui illorum, tranſactam iam eſſe Annunciationem, remque ipſam annunciatam, quominùs Angeli ſalutatione vtamur, nobis obiectant; non videntes miſeri, & cœci, quod iam erat etiam tranſacta, quando Eliſabeth exclamavit voce magnâ: *Benedicta tu inter mulieres*: quo tamen tempore illam Spiritus Sanctus impulit. Nec videntes ex eorum ſtultiſsimo motivo ſequi Chriſti Domini Incarnationem, paſsionem, cæteraque illius ſacratiſsima myſteria, ac mirabilia facta, quia iam præteriêrunt, nec prædicare, nec laudare, nos debere, quo nihil abſurdius dici poteſt. Nec tandem videntes, vt cum his humaniùs agamus, viris illuſtribus nihil gratius eſſe, quam for-

tia eorum geſta commemorari: vel coronas triumphales, aut murales, obſidionaleſve, quas ob patriæ defenſæ, & ſervati civis meritum acceperunt, decantari. Hinc, vt ſcribit Cicero, Caruilio graviter claudicanti ex vulnere ob republicam accepto, & ob eam cauſam verecundanti in publicum prodire, mater dixit. Quin prodis, mi Spuri? Quotieſcumquè gradum facies, totiès tibi tuarum virtutum veniat in mentem.] Quaſi diceret: Quælibet greſſus tui claudicatio eſt tibi tuæ virtutis laudabilis commemoratio. Quid ergo poterit eſſe præclaræ Virgini gratiùs, quàm quod nos magna quæ fecit illi, qui potens eſt, & ſanctum nomen eius, perenni laude cantemus: & ſemper illam gratiâ plenam, qua digniſsimam illius animam Dominus locupletavit, ſalutemus, ſimulque congratulemur ei, cœleſti Epitheto Benedictam vocantes inter mulieres, quia nimirùm illa inter tot, & Sanctarum Virginum myriades, ob eximiam puritatem & humilitatem, Benedictum filium concipere meruit?

Cic. de orat. lib. 2.

3 Denique Albertus Magnus facere dubio ſatis videtur conſideratis perſonis, quarum vna, videlicet Angelus, qui de cœlo Epitheton attulit, cœli ſeu Eccleſiæ triumphantis perſonam agebat: altera vero, ideſt, Eliſabeth, nomine Eccleſiæ militantis elocuta eſt, & eodem Epitheto laudationem inſtituit: quia vtraque Eccleſia de Virginis benedictione magnum aſſecuta eſt commodum, vtque id concordi verbo exprimerent, atque in ipſo loquendi & laudandi modo ſimiliter grati eſſent, Benedictam appellarunt, laudaruntque. Itaque illius verba ſunt: Hoc quidem dixerat Angelus: dicit & Eliſabeth: Angelus in perſonâ Eccleſiæ triumphantis, quam Virgo reparavit: Eliſabeth in perſona Eccleſiæ militantis, quam mortuam ſuâ benedictione Virgo reſuſcitavit.] Rectè ergo nos qui de militante Eccleſiâ ſumus, Angelos, qui de triumphante ſunt Eccleſiâ, æmulamur: & quemadmodum ab his edocti triſagium, Sanctus, Sanctus, Sanctus canimus; Et, *Gloria in excelſis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis*: Sic Virginem Dei Matrem de nobis benè meritam, *Ave Maria, gratia plena, Dominus tecum, Benedicta tu in mulieribus*, ſalutamus; quidquid hæretici delirent, quorum ego miſeram vicem deplorans, cecini:

Alb. Mag. hic.

Heu

Digitized by Google

Heu deſertores veri, improbitate tenaci, Diag. D. Pet.
Quos iuvat hoc vnum, Nil tenuiſſe pium! Nol. lib. 1. c. 2. lem. 7.

Cap. II. *Eodem Epitheto Matrem & filium laudat Eliſabeth: priùs tamen Matrem, quam filium. Ratio horum aſſignatur. In his verbis, & Benedictum fructum ventris tui, an particula Et ſit cauſalis, examinatur. Non eſſe, ratione, & Patrum doctrina probatur.*

1 AD Laudationem Virginis beatæ perſpicuè attinet, quod Eliſabeth illam eodem, quo filium, Epitheto ornaverit. *Benedicta*, inquit, *tu inter mulieres, & benedictus fructus ventris tui.* Etenim tam adeo magnum eſt, quod de Matre dixerat, vt de filio, quamvis maior & excelſior matre eſt, nihil ampliùs tunc temporis dicere poſſet, in quo filius Benedictæ Matris, recèns adhùc conceptus, fructus ventris ſui erat. Et quidem illa rem miram prædicavit, nempe, vel ex Benedictâ, & Virgine Matre, Benedictum eſſe filium genitum, neceſſe eſſe, quia quod concipit Virgo, non terrenum germen eſt, ſed cœleſte, vt bene ait Chriſologus: vel ex Benedicto filio, qui illibatam ſe concipientem Virginem ſervat, Benedictam eſſe Matrem. Nec enim ſatis fuit Eliſabethæ, Benedictæ præconio commendare Matrem, quin eodem etiam filium commendaret, quia iam ſpiritu, quàm ſuperna eſſet matris & filij benedictio, præviderat. Vnde Cardinalis Toletus ait: Merito ergo Eliſabeth vtramque benedictionem commendat & admiratur: numquam enim fœmina extiterat, quæ talem filium concepiſſet, neque filius vllius fœminæ, qui de Spiritu Sancto eſſet. Vtraque benedictio nova & ſingularis erat, nec ante, nec poſt habitura ſimilem, aut æqualem.]

Chriſol. ſerm. 144.

Annot. 119.

2 Si quis verò roget, Cur priùs Eliſabeth Benedictam matrem, quàm filium compellavit? Fortè ratio eſt, vt ſalutationis Angelicæ ne ordinem quidem immutaret; cum audeant hæretici nobis illam canîno latratu integram velle interdicere. Itaque, quamuis verbis Angeli addidit: *Et Benedictus fructus* Dubium.

ventris tui, religioſè tamen id, vt debuit, attenta cœleſti nuncio fecit. Vel dici poteſt, quod à Matre ſumens laudis exordium, Benedicto Virginis filio gratulabatur, quia talem ac tam locupletatam divinis muneribus elegiſſet matrem, ex quâ ingens honor gloriaque illi adveniebat, iuxta illud Salomonis: *Gloria filiorum, patres eorum.* Vel tandem cum Cardinali Toleto dicendum: Salutat Eliſabeth matrem & filium: priùs quidem matrem, cuius vocem audierat, poſteriùs filium, cuius virtutem ſenſerat. Salutat autem per verbum non optantis, ſed aſſerentis, & confitentis, ac gratulantis. Sic ille. Igitur Eliſabeth ordinem ſervavit laudandi, & à Matre incepit, cuius præviâ voce gratiam, & advenientis Dei myſterium ſenſerat: nam & ipſe Deus in vtero Virginis latens, vt tot mira in Ioanne eiuſque matre ſe oſtenderet operantem, præviâ etiam matris ſuæ voce vſus eſt, quo pacto ab illâ beneficium ipſe inchoavit, quaſi volens ad eam prius gratulationem deferri.

Prov. c. 17. Tole. in com. hui. loc.

Dubium.

3 Maius tamen dubium ex laudatione Eliſabeth excitare poſſumus; quippe, cum illa dixerit: *Benedicta tu inter mulieres, & Benedictus fructus ventris tui*, nectens vtrumque benedictionis Epitheton nexu illo, ſeu copula *Et*: putat Theophilatus, & plures alij Interpretes, illam copulam cauſalem eſſe, & hunc ſenſum reddere: Quia Benedictus eſt fructus ventris tui, idcircò tu quoque es Benedicta. De hac autem expoſitione, quæ communis eſt, Pater Maldonatus hoc fert iudicium: Res ipſa vera eſt: neque enim Maria inter omnes mulieres benedicta fuiſſet, ideſt, tam ſingularem gratiam, prærrogativamque præ cæteris conſecuta, niſi Chriſtus benedictus fuiſſet, à quo & ipſa benedicetur. *De plenitudine eius nos omnes accepimus.* Sed an is ſit huius loci ſenſus, magis non negare audeo, quàm affirmare.] Itaque doctus hic Author nobis dubitandi occaſionem præbet, An ſit huius loci ſenſus? Qua in re ſi quid nos audere poſſumus, rationum ductu & Patrum teſtimonijs audebimus.

Theoph. hic.

Ioan. c. 1.

4 Dicendum ergo nobis videtur non eſſe huius loci ſenſum, Quia Benedictus eſt fructus ventris tui, idcirco tu quoque es Benedicta. Et ſuaderi poteſt I. Etenim licet verum ſit multotiès in Sacrâ Scripturâ & pro *quia*, ſeu cauſali ſumi-

mo-

modò tamen non cogimur, ſicut nec quotieſcumque occurrit, pro *quia* ſumere, vt nec ipſe Theophilatus ſumit, cum etiam dicat, addidiſſe Eliſabeth, *& Benedictus fructus ventris tui*, quia multæ ſanctæ mulieres filiós pepererunt improbos, vt Rebecca Eſau;] varias enim habet acceptiones, & in præſenti, ſi ceu coniunctio accipiatur, nihil abſurdi continet, vt conſtabit. II. Angelus in Virginis ſalutatione abſolutè dixit: *Benedicta tu in mulieribus*, non additâ, *& Benedictus fructus ventris tui*, causâ: ergo iam ſine hâc causâ illo Epitheto Virginem ornavit: atque ita Eliſabeth, de quâ non eſt credendum, cum eadem verba Spiritus Sancti nutu dixerit, quæ Angelus dixit, illorum ſenſum mutaſſe, quia addidit, *& Benedictus fructus ventris tui*. Nec ſi dicatur, hoc ideo eſſe, quia nondum Chriſtus Virginis in vtero erat conceptus, aliquid obſtat: poterat enim addere Angelus: *& Benedictus fructus ventris tui*, ſumptâ particulâ *&*, pro *quia*, tempus futurum deſignante, ideſt, quia poſtmodùm Benedictus fructus ventris tui erit, idcircò tu es Benedicta: ergo ſicut Angelus ſine hoc ſenſu Virginem nuncupavit Benedictam: ita etiam Eliſabeth, *& Benedictus fructus ventris tui*, ſine illo addidiſſe intelligitur. Quæ ratio valde roboratur, Quia aliqui Patres, & Interpretes, Mariam gratiâ plenam vocari opinati ſunt, vt ſupra oſtenſum eſt, vel quia quando Angelus illam ſalutabat, iam Chriſtum conceperat: vel quia mox eum conceptura erat; quorum quidem opinionem Pater Maldonatus optimè refellit: Nam non ob id, ait, Virgo gratiâ plena dicitur, ſed quia ipſa in ſe, quamuis non ex ſe, plena eſſet gratiâ, quâ quidem digna facta eſt, vt conciperet Chriſtum: ergo eo prorſus modo Benedicta vocatur à benedictione gratiæ, quæ in ſe erat, non quia Benedictus fructus ventris ſui. Vnde miror Patrem Maldonatum hinc argumentum non ſumpſiſſe, vt hunc eſſe huius loci ſenſum, non alterum, potius affirmare, quam non negare auderet. Præſertim, eo dicente, Benedictionem autem Angelus intelligit, non eam quam frequenter ſolet Scriptura hoc nomine vocare, filiorum copiam, aut eorum procreandorum facultatem, aut rerum omnium expetendarum affluentiam, aut humanas laudes, aut fauſtas acclamationes, ſed eam quam paulo ante gratiæ plenitudinem appellaverat.] Numquid, quia Epith. 2. c. 2.

ver-

verbis Angeli Eliſabeth addidit, & *Benedictus fructus ventris tui*, eodem modo, eiſdemque titulis non poſſumus Virginem intelligere Benedictam? III. In Sacra Scriptura Iudith, Iahel, & Abigail benedictæ appellantur, quæ quidem filios benedictos non genuerunt; ſi ergo huiuſmodi illuſtres fœminæ ob præclaras virtutes eo Epitheto condecoratæ ſunt: cur Virgo Maria omnibus his, & alijs illuſtrior fœmina, & virtutibus incomparabilitèr ornatior, ob eas hinc non appellabitur Benedicta? Certe non video.

5 Tùm laudare aliquem ex proprijs meritis & virtutibus, eſt modus dignior & excellentior laudandi, quàm ob aliorum merita, & excellentiam; vnde eſt illud Poetæ:

Ovid. Metam. lib. 13.

Nam genus & proavos, & quæ non fecimus ipſi,
Vix ea noſtra voco.

Chriſol. ſerm. 143.

Huc quoque ſpectat Chriſologus: Angelicam, inquit, gloriam acquirere, maius eſt, quàm habere: eſſe Angelum fœlicitatis eſt, Virginem eſſe virtutis: virginitas enim hoc obtinet viribus, quod habet Angelus ex naturâ.] Et quod potius eſt, hùc illud Chriſti Domini ſpectat, quo Marcellæ dicenti: *Beatus venter, qui te portavit, & vbera quæ ſuxiſti. Quin imo,* (Luc. c. 11.) reſpondit, *Beati qui audiunt verbum Dei, & cuſtodiunt illud*: quia hinc eius Mater præcipuè erat laudanda. Ergo Eliſabeth, quæ Spiritus Sancti afflatu Virginem laudabat, credenda eſt laudaſſe digniori modo, qualis eſt ob propria merita & virtutes, quibus Virgo in ſe habuit eſſe Benedicta, & ad benedictum ventris ſui fructum concipiendum evehi; conſequentèrque illa particula &, non eſt cauſalis, ſeu illum ſenſum non facit. Tandemque Patrum Authoritas prædictum loci ſenſum non eſſe confirmat, quia ſæpeſæpiùs non in illo, Virginem acclamant Benedictam. Id conſtat ſatis ex Chriſologo, cuius verba dedimus ſupra, & aliorum, qui ibi, ne actum agam, videri poterunt. Addo nunc Bonaventuræ teſtimonium ſic ſentientis. Benedicta tu, quia plena es tu. Inveniſti enim gratiam apud Deum, & ideo tu es Benedicta. Et paulò antè: Benedicta inquam propter plenitudinem gratiæ in te venerandæ: Benedicta propter multitudinem miſericordiæ per te præſtandæ. Benedicta propter celſitudinem perſonæ ex te incarnandæ: Benedicta propter multitudinem gloriæ ſuper te cumulan-

Epith. 3. c. 2.

D. Bonav. in ſpec. B. Mar. lect. 14.

landæ. Itaque à Seraphico Doctore multis modis Virgo, & etiam propter filium, dicitur Benedicta: priùs tamen propter gratiæ plenitudinem, quam in ſe habebat, tanquam præſupoſitum titulum ad alios Benedictæ titulos.

Cap. III. *Quid interſit inter Epitheton Benedicta tu, & Benedictus fructus ventris tui, exponitur. Et an ex eo Virgo Beata abſque originali labe concepta inferatur?*

1 ALIQUI, Vt Caietanus & alij, non eodem modo Virginem dici Benedictam, ac eius filium, ex ipſius Eliſabethæ verbis colligunt: Nam de Matre dixit: *Benedicta tu*, cum hac limitatione, *inter mulieres*; de filio vero abſolute, & ſine vlla, *& Benedictus fructus ventris tui*. Tamen, vt mihi videtur, huiuſmodi diſcrimen & limitatio non eſt reſpectu Matris Benedictæ ad Filium Benedictum: eo quod Epitheta, apud Servium, ad augmentum, aut ad diminutionem, aut ad diſcretionem poni ſoleant; Epitheton autem *Benedicta* modò ad deſcretionem ptinet, temporis ſcilicet, & occaſionis, in quâ Eliſabeth de benedictione fœcunditatis ſupernæ, quam in vtero gerebat, Virginem commendabat: quippe ea ſola inter omnes mulieres, & Virgo, & talem, ac tantum filium iam conceperat; quapropter addendo inter mulieres, diſcrevit illam ab alijs, & inter illas tantùm Benedictam aſſeruit.

Dubium.

Serv. Ænei. 1.

2 Verùm quia Mater & Filius ab Eliſabeth eodem Epitheto laudantur, quid interſit, nobis videndum eſt. Itaque cum illâ Spiritus Sancti afflatu filium Virginis eſſe verum Deum & verum hominem, in vnâ divini Verbi perſonâ norit, duobus modis illum nuncupavit Benedictum, & quia Deus erat, & quia homo divinitate, & Spiritu Sancto erat plenus. Hinc patet diſcrimen, nam vt Deus immenſo intervallo differt à Matre, & eſt incomparabiliter Benedictus: quia iuxta Apoſtolum, eſt *ſuper omnia Deus Benedictus in ſæcula*. Vt homo autem licet conveniat cum Matre in naturâ, & quatenus eſt Spiritu Sancto plenus: differt tamen ab illâ, quia ex ſe, &

Ad Rom. 9.

ex

redundantiùs plenus: quippe ipſe fons & ſcaturigo gratiæ eſt; fundens in omnes, ſed pleniſsimè in matrem, tanquam in fluvium ſibi proximiorem. Rurſus differt, quia de Spiritu Sancto conceptus, & quia ſecundum promiſsionem Abrahæ factam, in Chriſto eius ſemine omnes gentes erant benedicendæ. Poſſumus tamen eſſe aliquomodo ſimilem filio in benedictione aſſerere, quatenus, ſicut ille, quia de Spiritu Sancto conceptus, culpa originali omninò fuit immunis: ita Virgo dono gratiæ in ſuâ conceptione, communi labe libera, concepta eſt. Idque deducendum exiſtimo ex ipſo Epitheto: nam *Benedicta* dicitur, ſicut filius *Benedictus*, nullo reſtringente tempore, id eſt, indefinitè, extenſâ ad omne tempus benedictione; quo argumento ad idem probandum, ſupra vſi ſumus. Nullum ergo fuit tempus, aut inſtans, in quo Virgo non fuerit Benedicta. Præterea, ſi in ijs verbis aliquod tempus intelligendum eſt, præteritum debet eſſe: etenim cum Angelus de re præteritâ dixerit: *Ave gratia plena, Dominus tecum* (vt Pater Maldonatus recte notavit adverſus eos, qui hæc Angeli verba, ab eo tanquam optante, & precante, eſſe dicta aſſerebant) dubium eſſe non poteſt, quin de re etiam præteritâ dicat: *Benedicta tu in mulieribus.* Porro Lutherus, & ſi infœlix, nec minimus in multis ſacræ Virginis hoſtis, hâc quidem in re nobiſcum convenit, & ex Epitheto *Benedicta* intulit Virginem ab initio ſuæ conceptionis, ſine vllâ originis labe, mundam ſartam tectamque fuiſſe in gratiâ conceptam. Eius verba, quæ hùc tranſcribo, apud Patrem Caniſium, ita habent: Hoc ſibi volunt verba illa, quæ Angelus Grabiel ad eam dicebat: *Benedicta tu inter mulieres.* Non enim ad eam dici poſſet: *Benedicta tu*, ſi aliquando maledictioni obnoxia fuiſſet. Dignum etiam & iuſtum erat, perſonam hanc ab originali peccato præſervari, de qua Chriſtus erat ſumpturus carnem, quæ omnia peccata ſuperaret. Illud enim propriè Benedictum vocatur, quod divinâ gratiâ donatum eſt, hoc eſt, quod peccato caret.] Idem intulit fidelis in omnibus Virginis laudator, Richardus de Sancto Laurentio: Congruè, inquit, appellatur Chriſtus fructus, quia ſicut fructus bonus arborem, vel terram, de quâ naſcitur commendat: ſic & Chriſtus Virginem glorioſam, de quâ totâ Benedictâ, totus eſt Bene-

Gen. 22.

Epith. 2. c. 1.

Luc. 1.

Luther. apud Caniſ. de B. Virg. libr. 1. cap. 8.

Laur. lib. 1. de laud. Virg.

Digitized by Google

nedictus: vnde ei dicitur: *Benedicta tu inter mulieres.*] Mirè, inquit, filius totus Benedictus, Matrem totam Benedictam commendat, vt ſcilicèt, nullo tempore, neque ex aliqua ſuæ animationis parte, aut vitæ inſtanti, illam ſine benedictione originalis gratiæ, qua filius totus eſt Benedictus, intelligamus. Rurſus idem Author alibi opponit Beatam Virginem, quæ ex dono gratiæ facta eſt terra Benedicta, terræ maledictæ Adami in opere ſuo: inferens ex illâ Benedictâ meritò & congruè mundiſsimum, ac Benedictum prodijſſe florem; ex Adami vero maledictâ maledictum fructum, videlicet tribulos, & ſpinas, & inquinatos primævâ labe homines. Lib. 8.

3 Præterea, ſi, vt vult communis ſententia, in illis Eliſabethæ verbis: *Benedicta tu inter mulieres, & Benedictus fructus ventris tui*, particula *&* eſt cauſalis, & reddit hunc ſenſum: Quia Benedictus eſt fructus ventris tui, id circo tu quoque es Benedicta: à tali causâ providentiſsimâ, & efficaciſsimâ: à tali nempe filio potentiſsimo, ac ſuper omnia Benedicto, quique in ſuæ fœliciſsimo Matris vtero limpidiſsimus ſol conceptus eſt: quis neget Matrem ſibi conceptam, à primo ſuæ conceptionis inſtanti, non fuiſſe Benedictam? Mirâ ergo providentiâ quando filius dicitur fructus in ventre matris Benedictus, mater quoque dicitur Benedicta: vt conſonantiâ quadam, & mutuo quaſi reſpectu, veluti citharæ ad concordem citharam, dum filium à ventre, ſeu ſuæ conceptionis initio cognoſcimus benedictum, cognoſcamus & Matrem ab vtero, & primo ſuæ conceptionis inſtanti, fuiſſe ſpecialiſsimâ filij ſui gratiâ & efficacitate benedictam. Conſideremus etiam Benedictam dici inter mulieres, nullâ exceptâ, ex his quæ ſunt, erunt, vel fuerunt, ex quibus nec prima mulier, quæ fuit Eva, excipitur; ſumamuſque hinc argumentum Caniſij: An Canif. de B.V. Virgo, inter mulieres tot modis Benedicta, prima muliere in- lib. 3. c. 12. fœlicior fuit, quam ab omni peccati labe, cum primum à Deo formaretur, immunem fuiſſe, certiſsime conſtat? Si inter omnes alias hæc Benedicta, & inter benedictas (vt inquit Gloſſa) maiori benedictione inſignis, quomodo non tota pulchra & immaculata, quam vnam cœleſtis ille ſponſus & amator ſe ſuiſque amplexibus dignam amicam & ſponſam haberet, cui ſe maximè adiungeret, cuius in ſinu jucundiſsime recu-

P baret?

baret?] Quo genere argumenti noſter Doctor & Martyr Paſchaſius vſus eſt. *Quanto ergo magis,* inquit, *Virgo Maria per Deum electa, quæ conceptura, & paritura erat filium eius, fuit per Deum ab omni macula, tam originali, quàm mortali, & veniali præſervata?*

Tit.cit.Epith. 2.c,1.

EPITHETON VII. EX D. LVC. CAP. I.

BEATA QVÆ CREDIDISTI.

Cap. I. *Eliſabeth eximiam Virginis fidem laudat. Hinc hæretici, ad ſuum errorem de fide ſine operibus iuſtificante, fruſtrà & malè argumentum aſſumunt. Fides Virginis fuit viva, ſuperna dilectione, & heroicis virtutum operibus ſummè ornata.*

1 IN Re quidem profundè arduâ, & omnem ſuperante captum, Fides Virginis rutilat: etenim illa Deum poſſe fieri hominem, mirabili duarum naturarum divinæ & humanæ nexu, ſine permixtione & confuſione, in vna ſui perſona: tùm in ſe ipsâ, permanente Virgine, Dei filium ſe verum facturum hominem, interventuque ac mirabili prorſùs Spiritus Sancti efficientiâ, ex eâ, intraque ſua intemerata viſcera concipiendum credidit; quod adeo ineffabile eſt, vt dixerit Propheta: *Generationem eius quis enarrabit*? Hæc autem, & quæ indè certè eventura erant, ſcilicet, ſe filium Dei parituram, & ad Matris Dei ſupereminentem dignitatem eſſe evectam, annunciante Angelo, & exponente, indubitanter credidit: quod ipſa ſatis expreſsit, cum dixit: *Ecce Ancilla Domini, fiat mihi ſecundum verbum tuum*; ideſt, vt verbo tuo, ſeu Deo per te dicenti, aſſentior, & fidem do, fiat mihi ancillæ ſuæ: quo nomine etiam Matris dignitatem humillimè, modeſtè, & quantâ potuit gratitudine, & gratiarum actione, ſe acceptare declaravit. Hanc igitur eximiam Virginis fidem prophetico afflata Spiritu laudat Eliſabeth: quippe, vt notavit Caietanus, Spiritus Sanctus ei revelavit, non ſolum Mariam iam eſſe Dei Matrem, & verba, quibus illam digniſsime Angelus ſalutarat, ſed etiam ſacram, quam dictis adhibuerat, fidem: Vnde dixit: *Beata quæ credidiſti,*

Iſai.c.53. Luc.1. Caiet.hìc. Luc.1.

diſti, quoniam perficientur ea quæ dicta ſunt tibi à Domino. Et advertendum hìc eſt ex Divo Gregorio, vt quàm præclara Virginis fides fuerit, manifeſtetur, Eliſabetham de rebus præteritis, præſentibus, & futuris prophetaſſe: in illis equidem verbis, *Et Beata quæ credidiſti*, ſive, *quæ credidit* (vt habet lectio Græca, Arias Montanus, & alij) tempus elucet præteritum, in quo Beata Virgo Angelo nuncianti fidem præſtitit: tempus vero præſens in illis: *Vnde hoc mihi vt veniat Mater Domini mei ad me?* ac tandem futurum tempus in his: *Quoniam perficientur ea quæ dicta ſunt tibi à Domino.* Quippe hinc Mariæ fides ad omnem temporis differentiam extenſa permanenſque emicat: ſanè Angelo iam crediderat, & ſe præſentem Dei Matrem eſſe credebat, & ea quoque quæ erant in ſpe, vtpote nondum completa, ſed poſtea, vt à Deo erant decreta, adimplenda fore, firmitèr credebat. Greg. Mag. in Ezech. c. 1.

2 Et quidem quæ ſuo tempore perficienda erant, multa erant & magna: nam præter vnum, quod iam erat impletum, ſeptem reſtabant, vt ex verbis Angeli Didacus Stella obſervavit. Etenim illud primum, *Ecce concipies*, quod Mariæ revelavit Angelus, iam perfectum erat, & ſanè tunc temporis, in quo Virgo Beata dixit: *Ecce Ancilla Domini, fiat mihi ſecundum verbum tuum.* Partus vero filij, nominis Ieſu vocatio, magnitudo illius apud homines nota, filij Altiſsimi, qui verè, & naturâ erat, appellatio, ſeſsio non temporalis in Davidis regia, regnum in Iacobi domo, id eſt, ſuper omnes gentes, ac denique interminabile regnum, ſeptem ſunt, quæ iuxta prædicti Authoris enumerationem, expectabantur. Obliviſcitur tamen eorum, quæ Virgini de modo concipiendi dubitanti Angelus revelavit, altè illam his verbis inſtruens: *Spiritus Sanctus ſuperveniet in te, & virtus Altiſsimi obumbrabit tibi. Ideoque & quod naſcetur ex te Sanctum, vocabitur filius Dei.* Equidem hæc, antequam conciperet, Virgo credidit, & ſimulac concepit, impleta ſunt; nam quæ ad Eliſabeth pertinebant, iam multo ante erant impleta. Quod ideo notavi, quia his perfecto iam in Mariæ vtero conceptui adiunctis, non vnum tantum, re bene conſideratâ, erat impletum. Quia tamen aliqui Authores, & quod magis eſt Eccleſia, in multis Breviarij Romani locis legit: *Quoniam perficientur in te, quæ* Stella hìc. Luc. 1.

Digitized by Google

dicta ſunt tibi à Domino: exiſtimo non omnia, quæ Virgini à Domino dicta ſunt, in illâ perficienda eſſe, ſed ea tantùm, quæ ab ea pendebant, videlicet partum, & nominis Ieſu impoſitionem: cœtera vero, cum ſuo tempore, & gentium fide pendêrent: nam Chriſtus Dominus in ſe verè erat magnus, verè Dei filius, verè Rex, verè cunctarum gentium Dominus, verèque æternum eius regnum: ſanè hæc omnia hominum confeſsione, & temporali manifeſtatione exteriùs debebant perfici, ſeu quantum ad publicam evulgationem impleri. Ni dicamus, etiam omnia hæc in virgineo Mariæ partu, inchoativè, & quaſi in radice, perficienda fore: vnde poſtquàm peperit, filius eius cœpit evulgari, & manifeſtari, prius Iudæis, nempe Angelo nunciante paſtoribus: *Natus eſt vobis hodie ſalvator, qui eſt Chriſtus Dominus*; & paulo poſt, gentibus, vt viſum, Stellâ ducente Magos, qui eum palam, & apud Iudæos, & Herodem, confeſsi ſunt Regem, & Dominum adoraverunt. In quo ſenſu Eccleſia & Authores intelligendi veniunt.

Luc. 2.

Math. c. 2.

3 Delirant hìc, vt volunt, hæretici vaniſsimè exultantes, Beatam dici Virginem ob ſolam fidem, non ob meritum: atque ita inter alios (quos refert, & caſtigat Pater Caniſius) Sarcerius impiè docet: Commendat, ait, in Maria Eliſabeth fidem, & excludit meritum: *Beata*, inquit, *quæ credidit*. Non, inquit, Beata quæ meruit.] Itaque ex verbis Eliſabeth, quibus eximiam Virginis fidem laudat, ſuum de fide ſine operibus iuſtificante, errorem adſtruere tentant: in quo non ſolùm aperte Sacris Scripturis, Eccleſiæ Patribus, & fideli Theologiæ, adverſantur, ſed etiam plurimum Virginis fidei derogant. Vtque iſtorum error detegatur, in primis falſum eſt, & voluntariè blaterant, Eliſabetham excluſo merito Mariæ fidem commendare: nam non dicit, Beata quia credidit, ſed, *Beata quæ credidit*; quo pacto non aſsignatur beatitudinis cauſa ex fide: ſed hæc ponitur, *quia perficientur quæ dicta ſunt tibi à Domino*, eo quod ex poſtea implendis; videlicet partu, & ſingulari divinitùs filio, magis ac magis Virgo fœlicitanda erat. Vnde Caietanus ait: Rationem beatitudinis reddit, prophetans Eliſabeth, complenda eſſe omnia nunciata ei per Angelum.] Quo ſenſu etiam ipſa Virgo dixit in ſuo

Caniſ. de B. Virg. libr. 4. c. 4.

Can-

Cantico: *Ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generatio-* Luc. 1.
nes, quia fecit mihi magna, qui potens eſt. Verum eſt tamen,
quod Simon Caſianus Epitheton ex vtraque cauſa Virgini at- Caſ. lib. 2. de
tribui aſſerit: Beata, ait, prædicabatur viatrix exiſtens, quia V. M. c. 13.
credidit Angelo, & quia dicta erant perficienda. Sed addit:
Virtutis erat exiſtentis in animo iſta beatitudo, vt nil poſſet
repugnare futuris, nec ipſa in mente habebat aliquid impa-
catum.] Quaſi clarius dicat: Laudatio exterior, & prædica-
tio Beatæ à fide proveniebat, ſed interior beatitudo, qua via-
trix exiſtens prædicabatur, in eo ſtatu, inchoativè in fide, in
gratia, in virtutibuſque, quibus Sanctiſsima Virginis anima
ornabatur, conſiſtebat.

4 Præterea ex verbis Eliſabeth ineptè & indiſcretè ar-
guunt, ſicut quotieſcumque, arreptis Sacræ Scripturæ locis,
in quibus videtur ſonare ſolâ fide iuſtificari homines, ſtatim
hinc, alijs, neſcio quâ malitiâ, & craſsâ cœcitate, omiſsis, in
quibus fides operibus nuda ad iuſtificandi munus inutilis &
mortua eſſe dicitur: quaſi totâ cauſâ ab ipſis ſtet, ad ſtabi-
liendum ſuum errorem vani inſurgunt, relicto ac ſpreto vero
ſenſu, in quo Spiritus Sanctus ipſis contrarius loquitur, & de-
bet intelligi. Tum non conſiderantes ſæpe de fide agi in Scrip-
tura iam multo ante ſuppoſitâ hominis iuſtificatione, quod
modo in verbis Eliſabethæ oſtendemus. Etenim Virgo priùſ-
quam illam Eliſabeth hoc magno præconio extolleret, *Beata
quæ credidiſti*, iam fuerat proclamata ab Angelo, *Gratia ple-
na, & Benedicta in mulieribus*: & hoc quidem, antequam
illi divinum myſterium credendum propoſuiſſet: non ergo hìc
de fide iuſtificante agitur, præcipuè cum de Virginis fide ſer-
mo ſit, quæ à ſuæ animationis initio ſancta fuit, & nunquam,
ne leviter quidem, peccavit. Inſuper, vt recte vidit Cardina- Tol. hìc.
lis Toletus, Beatitudo hæc non ſignificat iuſtitiam illam, quâ
homo iuſtificatur coram Deo, ſed prærrogativam, & excel-
lentiam, quam Beata Virgo à Deo ſuper omnes creaturas ob-
tinuit, quam quidem, niſi crediſſet Angelo nuncianti, non
obtinuiſſet: non enim filium Dei concepiſſet.]

5 Sed videamus modo, an fides, quam iſti fallacitèr adſ-
truunt, ad animæ ſalutem proficere poſsit? Porro Iacobus In Epiſt. can.
Apoſtolus mortuam vocat: *Sicut enim Corpus ſine ſpiritu mor-* c. 2.

tuum

Digitized by Google

Ad Gal.c.5. *tuum eſt: ita fides ſine operibus mortua eſt.* Et Divus Paulus: *In Chriſto Ieſu neque circumciſio aliquid valet, neque præputium,*
1.ad Chor.c. 13. *ſed fides, quæ per Charitatem operatur.* Et alibi: *Si habuero omnem fidem, ita vt montes transferam, Charitatem autem non habuero, nihil ſum.* Clariſsimè hæreticorum fides ſine operibus, ad iuſtificationem, his teſtimonijs Apoſtolorum, & alijs, quæ omitto, & paſsim occurrunt, inutilis oſtenditur: Quis enim à re mortuâ vitam gratiæ ſperet? Quis ſpiritualis vitæ motus ſperet à re, quæ Charitatis flammâ deſtituta, omnino torpet & elanguet? Quis tandem animæ ſalutem à fide ſibi promittat, quæ ne transferenti quidem montes, aliquid prodeſt, imo, qui illam habet, nihil eſt? Non omittam hìc, quia
Genebr.Pſ.2. ad rem, optimam Doctiſsimi Genebrardi admonitionem: Notatum ſemel eſto, inquit, in hoc opere, paſsim beatitudinem & cætera dona tribui ſpei, quæ in Pauli Epiſtolis fidei, alibi Charitati aſsignentur. Nempe David extollit ſpem, quoniam ei res erat cum fidelibus, quibus iam ſpes eſt maxime neceſſaria in his mundi caſibus, ad acquirendam beatitudinem & cæteras promiſsiones. Paulus fidem vrget, quia verba faciebat apud infideles, vel etiam fideles recens converſos, qui erant alliciendi ad fidem, tamquam cæterarum Divinarum virtutum ianuam. Interim quoniam vtrique eadem attribuuntur, argumentum eſt, fidem nudam, neque beare, neque ſine ſpe & charitate tanta bona ſibi applicare. Item ſpem eſſe neceſſariam, quæ nec fide, nec charitate orbetur. Denique tria hæc ad eundem beatitudinis, iuſtitiæ, gratiæ, effectum concurrere.]

6 Rurſus nuda fides fruſtra adſtruitur: Numquid voluntas fruſtra eſt in homine, quæ intellectu fide illuſtrato, & ei prælucente, quaſi mortua dormit, & nihil movetur ad viribus gratiæ vtendum, quibus vel ad ſui iuſtificationem à Deo prævenitur, vel ad ea, quæ ſunt fidei, operandum? Quid hoc eſt, niſi dimidium hominem facere vivum, & dimidium, mortuum, & virtutem fidei, illiuſque nomen vacuum reddere? Curioſè, & verè Auguſtinus nomen fidei integrum oſten-
D.Aug.ſerm. 237. dit: Attende, inquit, ad ipſum Fidei nomen: Fides enim appellata eſt, quia fit, quod dicitur: duæ ſyllabæ ſonant, cùm dicitur Fides, prima ſyllaba à facto, ſecunda eſt à dicto. Interro-

terrogo te, vtrum credas? Dicis, credo: fac quod dicis, & Fides eſt.] Sentit ergo Auguſtinus ſine operibus fidem non ſtare. En qualem fidem hæretici ſuo errore commententur in Virgine, mortuam, inanem, inutilem, & Charitatis flammã orbam, omnique boni operis fructu, atque etiam pulcherrimo gratiæ folio, nudam. Quomodo enim, cum huiuſmodi fide mutilâ, illi, per os Eliſabeth, Epitheton Beata Spiritus Sanctus tribueret? Non igitur fide ſolâ, & ſanctis operibus vacuâ, Virgo Beata dicitur: imo illius fides, ſicut heroicis virtutibus plena, ita ob meritum illarum, egregiè fuit commendata. Quid enim Virgo Beata verbis Angeli fidem dando, cum dixit: *Fiat mihi ſecundum verbum tuum*, non exercuit promptiſsimæ obedientiæ, profundiſsimæ humilitatis, ſecuriſsimæ ſpei, ferventiſsimæ Charitatis: adde etiam, candidiſsimæ caſtitatis, quando dixit: *Quomodo fiet iſtud, quoniam virum non cognoſco*? Nam dè modo concipiendi dubia, virginitatem, quam maximopere amabat, nolebat amittere. Vnde Gregorius Nyſſenus: Attende, inquit, mundæ Virginis vocem: partum annunciat Angelus, ipſa vero virginitati innititur, præſtantiorem incorruptibilitatem angelicâ viſione dijudicans.] Euſebius quoque virtutum opera enumerat, dicens: Alius aliud quiddam in præſenti ſermone virginis extollet apicibus, hic quidem conſtantiam, hic obedientiæ promptitudinem, alius quod non allecta eſt tam ſplendidis & arduis per magnum Archangelum promiſsis pollicitis, alius quod non exceſsit modum in dando inſtantiàs, ſed æqualiter cavit & Evæ levitatem, & Zachariæ inobedientiam: mihi autem humilitatis profunditas non minus conſpicitur admiranda.]

Nyſſ. in cat. D. Thom.

Euſeb. ibi.

****
****
****

Digitized by Google

Cap. I. *Cur Eliſabeth his duobus Epithetis Beata & Benedicta, cum ex alijs plurimis ſit Beata, Virginem extollat? Et an inter illa ſit aliquod diſcrimen?*

Dubium. 1 DE Epithetis, vt iam aliàs notatum eſt, non iuxta eorum latam vſurpationem, iudicium facimus, ſed iuxta temporis, & perſonarum exigentiam, quibus aptantur: & modo ea, de quibus eſt ſermo ad certam, & minime vagam, determinata ſunt expoſitionem, quia Benedicta dicitur Virgo inter mulieres, ob divini conceptus fœcunditatem: & Beata ob res inſolitas, quæ, vt ipſa crediderat, non aliter, ac Dominus illi revelaverat, perficiendæ erant. Itaque Eliſabeth opportunè, & ex re natâ, Benedictam & Beatam proclamavit Virginem, vt fecit Angelus, & eximij ſolent oratores Regum, aut præclarorum ducum, è prælio re benè geſtâ, victorum redeuntium, fortia facta & triumphos laudare: nec ipſis placet, & ſi aliunde plurimæ ſuppetant virorum virtutes, per illas excurrere, ſed ad præſentem laudis materiam contrahere orationem, quæ proculdubio ſic lætior & gratior eſt, vtpotè novæ gloriæ, & recentis virtutis laudatione clarior. Hoc dixerim, quia Virgo Maria venit ad Eliſabeth, tum novâ gloriâ, planeque divinâ ventris ſui benedictione locupletata, & ſuper omnes exaltata mulieres: tum merito fidei omni laude maior, quippe rebus à Deo dictis, omnino inſolitis, & captum humanum, atque Angelicum fugientibus, pium obſequioſumque præſtitit aſſenſum. Vnde Eliſabeth admirata, præconium laudis, tunc temporis, ex his arripuit, & titulo Benedictæ inter mulieres, & Beatæ, ob eximiam rerum creditarum, perficiendarumque fidem, Virginem inſignivit. Si enim occaſio ſtrictim dicere non coegiſſet, ingentem laudibus aream, latiſſimumque coram ſe videbat campum in eâ, quæ erat gratiâ plena, & omnibus cœli numeris perfectiſſima, æquèque Beatiſſima, vt laxis habenis laudatio efflueret. Hinc verba Spiritus Sancti in Proverbis: *Surrexerunt filij eius, & Beatiſſimam predicaverunt,* Prov. c. 31.

Digitized by Google

runt, de Virgine exponunt Divus Bernardus, Bonaventura, & alij. Sed rogo, qualis fuit prædicatio? *Multæ filiæ congregaverunt divitias: Tu ſupergreſſa es vniverſas.* Itaque filij eius, qui ſunt Sanctiſsimi Eccleſiæ Patres, & Doctores, ſplendiduſque ſapientum cætus, inde Beatiſsimam vnanimes proclamare conſpirarunt; quia & ſi innumeræ animæ cæleſti virtutum & gratiarum opulentiâ ſe ornaverunt & ditaverunt: tamen illa ante omnes, cùm ſigillatim, tùm coniunctim, cœleſtibus gazis locupletior, virtutibus ornatior, donis Spiritus Sancti cumulatior, pulcherrimis gratijs fulgentior, divinis delicijs ſaginatior, tandemque omnipotenti Deo, amatori ſuo, Charior, velut Oceanus rivos, & flumina ſuperat præterlabentia ripas, & quantumuis copioſas abſorbet aquas: ſic, inquam, omnium Sanctarum animarum, ac ſupernorum Spirituum, cœleſtes prætergreditur opes. Bern. ſerm. de Annunc. Bonavent. in ſpe. cu.

2 Itaque Sanctiſsima Virgo omnibus modis, & in omni virtute, Beata debet prædicari: etenim varijs modis in Sacra Scriptura (vt notat Divus Bonaventura, & teſtimonijs ex ea ſumptis probat) homines beati dicuntur, nempe à fide, ab ſpe, ab amore, à timore, ab operibus ſanctis, à tolerentiâ, à contemplatione divinorum, à pauperum & egenorum curâ, ab impiorum receſſu; atque his quidem, inquit ille, virtutibus, Epitheto Beatæ, Virgo Maria gaudet, quæ inſuper, ex causâ ſingulari, & nulli creaturæ communi, vt eſt Dei filium concepiſſe, Beatiſsima eſt. *Et cuius erunt* (dicam ego, æquiùs, quàm Sauli dictum eſt) *optima quæque Iſrael*, hoc eſt, tot populi Dei beatitudines, & ſpirituales divitiæ, niſi Virginis? Illi enim, inter omnes Sanctos, regnum debetur, & conceſſum eſt, quod optima quæque Iſrael ſignificat: vnde etiam, poſt Beatiſsimam, animæ ſanctæ Reginam laudaverunt eam: quia omnibus Superiorem præcellentemque videbant, & regno dignam, ſiquidem læto plauſu dixerunt: *Tu ſupergreſſa es vniverſas.* Deinde in Canticis, *Viderunt eam filiæ, & beatiſsimam prædicaverunt reginæ, & concubinæ, & laudaverunt eam*, impares ſanè ei ſe reputantes, multoque inferiores reginæ: qua de causâ, non alitèr quàm beatiſsimam, ſupereminenti encomio, in cœleſti ſolio commendant. Quod quidem ſolium ita divinus Pſaltes collocavit ſublime, vt de Vir-

D. Bonav. in Luc. c. 1.

Reg. lib. 1. c. 9

Cant. c. 6.

Digitized by Google

-gine Beatiſsimâ in eo, iuxta expoſitionem Dioniſij Carthuſiani, fauſtè regnante, prædixerit: *Aſtitit Regina à dextris tuis in veſtitu deaurato, circumdata varietate.* Videte quàm altum, à dextris Dei, prope Deum, in conſimili honore, & gloria, in maieſtate ſuæ potentiæ, in throno ſuo. His ferè verbis Genebrardus de Eccleſiæ militantis dignitate ac ſolio exponit: quod ſine dubio Virgini Dei Matri, atque omnium Sanctorum Reginæ, æquè, ſi non magis, aptè & meritò convenit.

Pſalm. 44.

3 Quid autem inter hæc Epitheta *Beata* & *Benedicta*, interſit, ex principio huius capitis, ſecundum Epithetorum legem, ſatis conſtat? Non enim in præſentia iuxta ampliſsimam vſurpantur acceptionem, ſed provt Virgini dantur, & ratione prolis Benedictæ Benedicta cantatur: & Beata ob eximiam rerum ab eâ creditarum, perficiendarumque à Domino, fidem. In communi vero acceptione neſcio an differant: etenim Epitheton Benedicta ſuprà, quàm multa & magna bona, etiam quatenus illa Virgini dantur, involuat & ſignificet, iam Patrum expoſitione vidimus; & ſanè mihi perſuaſum habeo Epitheton *Beata* latè ſumptum non minora numero & magnitudine involuere, & ſignificare. Fortaſsè ob id Divus Auguſtinus verba Eliſabethæ vertit: *Beata tu inter mulieres: & Beatus fructus ventris tui*, nullo diſcrimine ſententiæ, vt inquit Pater Maldonatus. Vnde, ſi quis roget, cur Eliſabeth Virginem, *Beatam*, non Angelus, appellaverit? Benè reſpondetur, quia in his Epithetis eadem amplitudo, & copia omnium bonorum ſignificatur: perindeque fuiſſe Angelo Virginem vocare Benedictam, ac Beatam. Neque enim, vt magis poſtremò confirmem, Chriſtus Dominus iuſtos, ſtatim gloriâ donondos, grandiori titulo honorat, quàm eo: *Venite*, inquit, *Benedicti Patris mei*; quo nomine eos ad fruendum regno ipſis parato, in quo eſt omne bonum, perenne gaudium, inamiſsibilis fœlicitas & beatitudo, niſi quia iam beatos dulciſsimè vocat.

Epith. 3. c. 2.

D. Aug. Epiſt. 157. ad Dard.

Math. 25.

Cap.

Cap. III. *Epithetom Beata, quod modò datum eſt Virgini, ad mores expenditur. Dei promiſſa firma; hominum vero vana. Fidem homines beare etiam in his rebus, quas eorum ambitio anhelat, exemplo Abrahæ & Davidis apparet.*

1 NUNC Non aliundè Virgo dicitur Beata niſi à cœleſtibus promiſsis, quibus ſuo tempore perficiendis fidem firmiter præſtiterat. Ex hóc quidem mira apparet Virginis fides, & inluctabilis pollicitorum à Deo adimpletio. Nondum enim illa res pollicitas poſſidebat, nondum illis fruebatur, tamen prædicatur Beata, cum nemo beatus ſit, iuxta Divum Auguſtinum, qui eo, quod amat, non fruitur. Quamobrem homines, aſſecutis honoribus, & divitijs, fortunati ac beati ſolent prædicari: vnde David de populo gloriâ mundi, & caducâ rerum copiâ iactabundo, inquit: *Beatum dixerunt populum, cui hæc ſunt.* Sed hoc impedimento non eſt, quominùs meritò, *Beata*, Virgo Maria audiat, & digno ſuâ fide præconio exaltetur: nil enim hæſitans in promiſſorum fide, iam quaſi de illorum poſſeſsione gaudebat: nulla illi erat anxietas, cura aut ſolicitudo nulla, quæ circa futuram ſuo tempore adimpletionem dubitationis fluctibus, ne levitèr quidem, perturbaret animum: quin potius fidei lumine, quæ ſibi à Deo erant promiſſa, in firmiſsimâ, ac immobili baſi collocata eſſe cognoſcebat. Cur quæ ſic Deo credebat infallibilibus innixa verbis, non prædicetur Beata? non fœlix ac fortunata cœlitùs habeatur? Ideo Eliſabeth ait: *Beata quæ credidiſti*, quaſi dicat: habes vnde ſis fœlix, quia fides promiſſorum à Deo te ſecuram de illorum poſſeſsione reddit. Habet enim hoc ſibi proprium promiſsio Dei, quòd infallibilitèr iuxta dictum ſuum eveniet, nec ſperantem fallet: quo circa Chriſtus Dominus dixit: *Cœlum & terra tranſibunt: verba autem mea non præteribunt.* Ac ſi dicat: Non putetis verba mea eſſe meram vocem, & ſyllabarum ſonum, quæ etiam dum ſonant, tranſeunt; & prima ſyllaba, antequam ſit

D. Auguſt. de Civit. libr. 8. c. 9.

Pſalm. 143.

Math. c. 24.

Digitized by Google

vltima verbi, iam deſijt eſſe; nam in me, & aure fideli, verbum manet integrum & immutabile: in me, *Quia ego Deus, & non mutor*: in aure autem fideli, quia verba mea non capit vt verba hominum, quæ ſola quidem, dum proferuntur, prætereunt. Volunt tamen homines in promiſsionibus ac verbis ſuis ſibi credi: paſsim ab eis audimus: fide in me, iam promiſsi, implebo; oppigneravi verbum meum: mei honoris eſt, ab eo non deſiſtere. Qui ſi bene ſe noſſent, ſanè cautiùs loquerentur: etenim ſe viderent continuo mutabiles: verbum oppigneratum iam tranſiſſe, nihil eſſe: nec promiſſa, ab honore, aut perſonæ dignitate, vllam firmitatem accepiſſe. Proinde divinus Pſaltes monet: *Nolite confidere in principibus, nec in filijs hominum, in quibus non eſt ſalus.* Vbi Genebrardus exponit: Qui ne ſe quidem, nedum alios ſervare beareve poſſunt.] Et alibi expoſuerat: Quia mutantur aut fortunâ, aut voluntate, aut vitâ.] Cuiuſmodi mutatio in Deo non cadit. Oſtendamus exemplo Abſalom, quàm verum ſit, quod ne ſe quidem, nedum alios ſervare poſſunt. Servis ille ſuis necem fratris ſui Amnon imperavit: *Percutite*, inquit, *eum*, *& interficite*: *nolite timere*: *ego enim ſum qui præcipio vobis*: *roboramini*, *& ſtote viri fortes.* Multa in his verbis, omnemque ſecuritatem interfectoribus in eo confidentibus promittebat, & ad fratricidium perpetrandum animos dabat; verùm, eo iam perpetrato, ipſe fugit. En vobis quomodo ille princeps, qui ſervis dixit, *nolite timere*: *ego ſum qui præcipio vobis*, prior timuit, & timoris ſui atque imminentis periculi ſubſidium in fuga quæſivit. Itaque ſibi ipſi præſidio eſſe non potuit, qui alijs promiſit eſſe: quin potius, ſervis Dominum fugientem videntibus, quantum addidit timoris, præter illum, quem peccati conſcientia excitavit, vix credi poterit.

Malac. 3.

Pſalm. 145.

Pſalm. 117.

2. Reg. c. 13.

2. Redeamus ad Virginem. Vtinam mortales, & qui in mundo ambiunt eſſe beati, Virginis exemplo, non vanis conatibus, ſed ſupernæ aſſenſu fidei, velint eſſe & dici beati. Porrò quidquid cupiunt: quidquid irritis laboribus, per maris fluctus terræque caſus, per fas, & nefas, anxiè quærunt: ſola in Deum blandè, delectabilitèr, omnique excluſo labore ac dolo, abundè illis Fides præſtabit. Eia age id ambitioni humanæ oſtendamus. Quid illa cupit niſi opes, honores, poten-

tentiam, gloriam, voluptates, quibus adeptis ſe fœlicem iactat, vt apud Beotium docet Philoſophia. Sit ergo illi exemplo fidelis Abraham, quem Deus omnibus illis exuberantèr fortunatum fecit: dixit enim ei: *Egredere de terra tua, & de cognatione tua, & de domo patris tui: & veni in terram, quam moſtravero tibi.* Quod expendens Divus Paulus: *Fide, ait, qui vocatur Abraham, obedivit in locum exire quem accepturus erat in hæreditatem, & exiit, neſciens quò iret.* Iam hinc clare videtis illum fide hæredem loci inſtitutum, quem neſciebat: & tunc maximè quando patriæ, domui, & cognationi, vale dicto, poterat divitias ſibi defutûras timère, ſed fides ne ſua quidem relinquentem depauperat, quin potius melioribus bonis, amplioribuſque, relictis, locupletat. Et quidem quæ Deus promittebat Abrahamo, non ſolùm temporalia erant, ſed etiam ſpiritualia, quæ in illis ſignificabantur. Poſt vero Deus per fidem & obedientiam eunti quò neſciebat, dixit: *Leva oculos tuos, & vide à loco in quo tu nunc es ad Aquilonem & Meridiem, ad Oriente m & Occidentem, omnem terram, quam conſpicis, tibi dabo, & ſemini tuo in ſempiternum.* Sanè hæc erat regio Cananæa, promiſsionis terra, quam accepturus erat in hæreditatem, quâ nulla poterat eſſe pinguior, & poſsidentem facere ditiorem. O quam largus & munificus eſt Deus cum fidelibus ſuis! Optimè Divus Ambroſius ait: Hæc cum promiſit Deus daturum ſe Abrahæ, quid aliud declarat, niſi ſapienti & fideli præſto omnia, deeſſe nihil. Vnde & Salomon in Proverbis ait: *Eius qui fidelis ſit, totus mundus divitiarum.*]

Lib. 3. de Cõſ. Proſ. 2.

Gen. c. 12.

Paul. ad Hebr. c. 11.

Gen. c. 13.

D. Ambr. de Abr. Patr. lib. 2. c. 7.

3 Præterea quid non honoris, gloriæ, potentiæ, & nominis clari adeptus eſt Abraham ob fidem Deo præſtitam. Pulchrè quantùm quis horum cupidus anhelare poterat, his verbis oſtenditur, quæ egreſſuro de terrâ ſuâ Abrahamo adiecit Dominus: *Faciamque te in gentem magnam, & benedicam tibi, & magnificabo nomen tuum.* Illud enim quod primò promittit, honoris eſt & excellentiæ: ideo namque dixit, *In gentem magnam*, non quidem multitudine, aut numero, vt notavit Rupertus; de quâ, vt parùm nobilitatâ, & homine honorando minus dignâ, dici poterat, quod per contemptum dixit Horatius:

Gen. c. 12.

Rupert. ibi.

Horat. libr. 1. Epiſt. ad Lol. 2.

Nos

Nos numerus ſumus, & fruges conſumere nati.

In gentem autem, dixit, *magnam* dei cultu, vnde vera magnitudo provenit, vt tunc temporis fuit gens Hebræa, quam Dominus Patriarchis, & Prophetis, & præcipuè eam eligendo ſibi in populum, de quo matrem factus homo accepturus erat, in cœlum vſque evexit. Vel magnam dixit, propter populum Chriſtianum, iam tunc futurum prædicens magnum fide vivâ & ſtabili in Chriſtum: quique tantum honoris Abrahæ tribueret, vt ſpiritualitèr inde Pater credentium nominandus foret. Illud vero quod ſecundò dixit: *Et benedicam tibi*, latius venit exponendum. Multi ſunt, qui de omnibus gratiæ, naturæ, ac temporalibus fortunæ bonis interpretentur: multi, qui de filiorum copiâ, & longiſsimâ poſteritate. Quomodolibet ſit, benedictio Dei omnia bona, ſuper quem cadit, effundit. Sic expertus eſt fidelis Abraham, cui, etiam in effœtâ ſenectute, & ex ſterili Sarâ, dedit filium Iſaac: auxitque illum in dies gratiæ cœleſtis muneribus, vt ex apparitionibus, & locutionibus divinis ſibi factis, conſtat: necnon auxit fortunæ bonis, vt oſtenſum eſt.

4 Poſtremò in his, *Magnificabo nomen tuum*, pollicitæ nominis claritas elucet, quam Abraham fidei merito maximam apud exteras gentes & inimicas comparavit, quod fusè latèque ſacra hiſtoria declarat. Vnde & Hethæi dixerunt: *Princeps Dei es apud nos.* Quin Deus ipſe ingenti, & quâ nullâ maior excogitari poteſt, nomen Abrahæ iam mortui inſignivit claritate: copulans nempe nomini ſuo Sancto nomen illius, ita vt Deus Abraham voluerit appellari, hoc nexu inſeparabilem communicans claritatem, & honorem, ſervumque fidelem totius claritatis & honoris poſſeſſorem faciens; quippe non dicitur Abraham Dei, ſed Deus Abraham gignendi caſu, quo rei poſſeſsionem ſignificamus, veluti cum dicimus: Chriſtus Virginis Mariæ filius. Præterea Deus, vt ſuſpicatur Honcala, nomen Abrahæ clarum fecit, additâ ei vnâ literâ ex ineffabili nomine ſuo Tetragrammaton, volens non Abram, ſed Abraham deinceps vocari, eâ proculdubio ratione, inquit ille, vt nempe Dei nomine humanæ appellationi permiſſo, oſtenderetur eſſe futurum aliquando eundem eſſe Deum & hominem compactione quadam ineffabili naturarum in vna

Gen. c. 23.

Gen. c. 17. Honc. hic.

eadem-

eâdemque Chriſti perſonâ.] Quid ad claritatem nominis Abrahæ potuit excellentius excogitari, quàm quod illud Deus de ſuo nomine auxerit; vt quodammodo ineffabile incarnationis myſterium in illo nobis prælucêret? Nec minus ad illam claritatem conducit, quod Prudentius, Chriſtianus ac elegans vates, canit:

Abram Parenti dictus, Abraham Deo. Prud. in præf. de pug. ani.

Quaſi indicet, voluiſſe Deum, adaucto nomine de ſuo, non iam fidelem ſervum ad carnalem, ſed ad ſe divinum parentem referri, quo quantus eſſet, omnibus clareſceret. Et quidem neceſſarium erat divinæ literæ augmento magis ac magis irradiare, & clareſcere nomen: quemadmodum ſi coronæ argenteæ, vel aureæ gemmas pretioſas rutilanteſque pyropos adderes, lucem novam, & mirum ſplendorem ei inſculperes. Quid tandem de eius potentiâ & gloriâ bellicâ dicam? Ille, inſtructo ex tercentis & octodecim vernaculis ſuis agmine, fuſis ac interfectis quinque regibus Aſſyrijs, vindicatâ, quam abegerant, prædâ, populoque cum Loth in libertatem aſſerto, victor redijt glorioſus. Gen. c. 14. Nec ſane ſibi triumphi gloriam arrogavit: nam datis decimis Sacerdoti Melchiſedech ex omnibus bello partis, hac pietate Deum exercituum ſibi præſidio fuiſſe, vt inimicorum triumphator evaderet, faſſus eſt. Qua de cauſa, vt mihi videtur, ad illos tercentum & octodecim, quibuſcum de quinque regibus triumphavit Abraham, myſticè notandos, hac compendiariâ Scripturâ I. H. vtebantur, iuxta eruditionem Serarij. Ser. Ioſ. c. 10. ver. 24. Etenim in illis literis nomen Ieſu figuratur atque irradiat, in cuius potentiâ Abraham triumphaſſe denotatur, & Prudentius non obſcurè canit:

Si quid trecenti, bis novenis additis,
Poſsint, figura noverimus myſtica.

5 Igitur nihil horum, quæ ambitio humana anhelat, Abrahamo defuit: largè enim Deus illi, qui fide vivâ & eximiâ obedivit, opibus, honoribus, gloriâ, potentiâ, nominis claritatē, nobili filiorum copiâ, ſe munificum exhibuit: additis quoque his, quæ vera bona ſunt, & quæ ſola ſunt viro iuſto expetenda, cœli donis & delitijs, quæ animam verè beatam faciunt. Nec omittendum mihi eſt, quod benè hic obſervavit Honcala, Deum ſcilicet arte quemque ad ſe trahere, Gen. c. 12. Honc. hic.

quâ

Digitized by Google

quâ novit eſſe trahendum: noverat enim Deus, inquit, Abraham in prædicta bona propenſum eſſe: eadem ei pollicetur, & ſic pollicetur, vt promittenti Deo fidem adhibeat.] Quis non miretur, cum hæc ita ſint, tot homines in mundo prædictorum bonorum cupidos, & amatores, quos videt Deus cupiditate ſuâ tanquam hamo & eſcâ expiſcandos: tamen ab ipſo omnia illa donante, non trahi; vel, vt melius dicam, à tam potenti ac fideli promittente, ea illos non ſperare. Cur ergo niſi quia illis fides & Abrahæ obedientia deeſt, magiſque, quàm in verbo Dei, in adinuentionibus ſuis fidunt. Vnde per Pſal-
Pſalm.80. tem queritur Deus: *Non audivit populus vocem meam: & Iſrael non intendit mihi. Et dimiſi eos ſecundum deſideria cordis eorum: ibunt in adinuentionibus ſuis*; id eſt, in vanis, opinionibus & ſtudijs, vt habet Genebrardus. Quippe pravis artibus, hypocriſis aſtu, potentium palpatione, munerum hamo, dignitates & honores venantur: atque vſurarijs lucris, & pauperum oppreſione, divites fiunt. Atque ita acquiſitâ potentiâ, & vanâ nominis claritate, iam ſibi beati eſſe videntur: cum tunc quidem maximè miſeri ſint, vtpotè dimiſſi à Deo ſecundum deſideria cordis eorum.

6 Tandem oratio redeat ad Virginem, dulce & amabile etiam ambitioſis exemplum. Illa enim eſt omnium bonorum locupletiſsima, in qua nihil deſideratur. Si honor, ſi dignitas, ſi nominis claritas, expetuntur: Mater Dei eſt. Si prolis fœcunditas, cum virginitatis honore: filius eius filius Dei eſt. Si potentia; ſponſa, & filia, & mater eſt Omnipotentis.
Prov.c.8. Quid cætera? Ipſa Virgo de ſe loquatur: *Mecum ſunt*, ait, *divitiæ, & gloria, opes ſuperbæ, & iuſtitia.* Vnde hæc tam copioſa & fœlix à Deo munerum largitio? Ob fidem Deo præſtitam. *Beata quæ credidiſti*, inquit Eliſabeth. Ob quam etiam cauſam Divus Bonaventura hic ait: Benedictam annunciat ea
Gen.c.12. benedictione, quam Deus Abrahæ promiſit: *Benedicam tibi, & magnificabo nomen tuum, &c.* Veniant ergo mortales ambitioſi, & ſpretis pravis artibus, ſecundum deſideria ſua à Deo omnia bona ſperent, appetant, ambiantque, non ibunt fraudati deſiderio ſuo: ſcit enim Deus, eo correcto & emendato, hominum ingenio & moribus ſe accommodare. Sane
2.Reg.c.7. id fecit cum David, cui ſic promiſit: *Fidelis erit domus tua, &*

reg-

regnum tuum vſque in æternum , & thronus tuus erit firmus iugitèr. Nam quàm accommodatè , & ad votum Dauidis ſe geſſerit Deus , ipſe Rex ſatis his verbis declaravit : *Sed & hoc parum viſum eſt in conſpectu tuo Domine Deus , niſi loquereris etiam de domo ſervi tui in longinquum : iſta eſt enim lex Adam, Domine Deus.* Super quæ Sopranis inquit : David pluris æſtimaverat hoc beneficium de poſteritate ſibi conceſsâ , quàm quodlibet aliud hactenus acceptum. Quod quia poterat mirum videri , ſubdit eius rationem : *Iſta eſt enim lex Adam.*] Itaque David , ſecundum hunc Interpretem , videtur excuſare, quod gratior æſtimator ſit huius beneficij de regno & throno in domo ſua iugitèr permanſuro, & de Regiâ filiorum poſteritate , quàm de alijs , quia hoc ſibi magis erat in votis , vt humana fert conditio , ſeu lex Adam. Ergo Davidis etiam votis ſe accommodavit Deus, ei largiens regnum, potentiam, divitias , perpetuam domus ſuæ claritatem, vt magnopere deſiderabat. Vnde dicens : *Iſta eſt lex Adam* , non ſolum ſuum deſiderium, & hominum conditionem fatetur : ſed etiam Deo dicit : Tu quoque , Domine , ad conditionem hominum benignus condeſcendis , & eorum deſiderijs indulges : ſiquidem meis te indulgentem, atque obſequentem experior. Sopr. hic.

EPITHETON VIII. EX D. LVC. CAP. I.

ECCE ENIM EX HOC BEATAM ME DICENT omnes generationes.

Cap. I. *Hoc Epitheton , quia ex ore Virginis , & alijs de cauſis , præſtat eidem , quod Eliſabeth dedit Virgini.*

1 INTER Omnia quæ recenſuimus Epitheta , & deinceps exponenda ſuccedent , nullum nota admirationis decoratum reperitur , præter hoc , in quo Sanctiſsima Virgo ſe Beatam ab omnibus gentibus prædicandam teſtatur. Licet enim Eliſabeth illam huiuſmodi dignè exornaverit titulo , tamen diſpari modo procedit , nec ad

excellentiam & Virginis magnitudinem, quanta eſt, pertingit. Itaque modo propter tria, vt videre videor, iure optimo, ad maiorem Epitheti commendationem, illi adverbium *Ecce* apponitur. Primo, propter perſonam Virginis, quæ omni exceptione maior, de ſe & ore proprio, Beatam fore dicendam Spiritus Sancti nutu prophetat. Verum eſt Eliſabeth eiuſdem Dei impulſu fuiſſe locutam, & dixiſſe, *Beata quæ credidiſti*; modo tamen Spiritus Sanctus digniori perſonâ, & ore virgineo locutus eſt: vnde illud encomium ab vtrâque prolatum, præſtat à Virgine, quàm ab Eliſabeth, proferri & audiri, nobiſque commendabilius redditur. Pulchrum à Samaritanis habemus exemplum. Illis concivis ſua Chriſtum prædicaverat, & magno quidem prædicationis fructu, quia *multi*, inquit Evangeliſta Ioannes, *crediderunt in eum, propter verbum mulieris*; poſtea vero, Chriſto illos docente, hauſtâ ex eius ore, cum maiori credentium numero, divinâ doctrinâ: læti ſibi plaudebant, & præ gaudio geſtientes, Chriſti nunciæ dixerunt: *Quia non propter tuam loquelam credimus: ipſi enim audivimus, & ſcimus, quia hic eſt vere Salvator mundi*. Tanti fuit illis hominibus Chriſtum audire, & Sacram ex eius cœleſti ore accipere doctrinam. Nec mirum, nam iuxta Ambroſium, primus diſcendi ardor nobilitas eſt magiſtri. Sed etiam ſcriptum eſt: *Beatus quem tu erudieris Domine: & de lege tua docueris eum*. Nos quoque Eliſabetham priùs audivimus Virginem prædicantem Beatam: atqui modò huiuſmodi præconium ipſi ex ore Virginis audivimus, quam ſcimus eſſe Dei matrem & genuiſſe nobis mundi Salvatorem; quanto ergo æſtimabilior, & in maiori debet à nobis pretio haberi Beatæ titulus; hinc perpendite. Si enim Paulus ad maiorem novi teſtamenti gloriam dicit, quod *Deus olim Patribus locutus eſt in Prophetis: noviſſimè vero locutus eſt nobis in filio*; glorioſiùs profecto eſt, quod de Matre in ipsâ nobis locutus ſit, & qualis habenda ſit, & à gentibus prædicanda, oſtenderit: etenim à maiori dignitate perſonarum, per quas loquitur, perfectior venit locutio, & illuſtrior rei manifeſtatæ fides: atque ita quod Deus locutus eſt per Prophetas, digniùs ac perfectius locutus eſt nobis per filium: & quod locutus eſt per Eliſabetham, Matrem ſuam oſtendens eſſe Beatam, digniùs quoque

Ioan. 4.

Pſalm. 93.

Ad Hebr. c. 1.

Digitized by Google

que ac perfectiùs nobis oſtendit, idem præconium loquens per Matrem ſuam.

2 Secundò, quia Eliſabeth, pro vt tunc oportuit, ſicut ſupra explanatum reliquimus, Virginem titulo Beatæ, ob eximiam fidei virtutem, quam Angelo nuncianti præſtiterat, dignisſimè exornavit, dicens: *Beata quæ credidiſti, quia perficientur, quæ dicta ſunt tibi à Domino*: at nunc alitèr ſe res habet. Dicit enim de ſe Virgo: *Ecce enim ex hoc Beatam me dicent omnes generationes*; in quo mira ſibi beneficia à Deo collata, pluresque ſui animi dotes & virtutes involuit, vt infra videbimus. Tertiò tandem, quia Eliſabeth vna tantum perſona fuit, quæ titulo Beatæ inſignivit Virginem, cum dixit: *Beata quæ credidiſti*, & coram paucis illam ſic proclamavit, ſi iuxta textum Græcum, *Beata quæ credidit*, dixit converſa (vt ſentit Caietanus) ad perſonas colloquio Eliſabeth, & Virginis præſentes: quod non eſſe veroſimile docet Brugenſis, nitens in eo quod præ affectionis vehementiâ mutata eſt ab Eliſabeth more prophetico perſona, dum vehementiùs exclamaret, *Beata quæ credidit*. Ego tamen in re dubia vtrumque iudico probabile. Cæterùm quis effari poterit quàm fusè & latè, non in vna domo, ſed toto orbe, non in vnâ familiâ aut gente, ſed in omnibus gentibus: & hoc quidem per ſuccedentes ſibi generationes, ætates, & ſæcula, fauſto Beatæ nominè, pulcherrima Virgo celebranda ſit. Illa enim divino ore dixit: *Ecce enim ex hoc Beatam me dicent omnes generationes*, id eſt, ex hoc tempore, ex hoc nunc, quo filium concepi, & deinceps, vt exponit Caietanus; nec tuo tantùm, ò Eliſabeth, ſed omnium ore Beata proclamabor, vt Auguſtinus, Theophilatus, & alij interpretantur. O mira Virginis laus, & ſingularis gloria, ab omnibus prædicari Beatam generationibus! Non enim cuilibet datur hæc laus, ſed propria Dei eſt. Obſervatum eſt à nobis, inquit Agellius, nuſquam generationum omnium, aut omnium generationum, & generationum laudem ac prædicationem niſi Deo tribui. Vt illud, *In generationem & generationem annunciabimus laudem tuam*. Et, *Domine memoriale tuum in generationem & generationem*. Quod ſi propria hæc Dei laus Mariæ tribuitur, quid aliud in cauſa erit, niſi quia Deum genuit, & eius Mater eſt, cui omnium

Luc. c. 1.
Caiet. hic.
Brug. hic.
In comm. cãt. B. Vir. Luc. 1.
Pſalm. 78.
Pſalm. 134.

generationum laus debetur.] Benè & verè hic Author, etenim propria Dei eſt huiuſmodi laus, & de Deo vnicè in Scripturis Sacris cantata: Sed hoc erat, quia (vt pie iudico) nondum Virgo Deum conceperat, at poſtquam illum concepit, quid magis æquum, magiſque debitum, quàm quod laudes & præconia, quæ filij ſunt propria, ſint etiam matris propria? Vnde habet Beatiſsima Virgo dici parens parientis, oriens orientis, fons fontis vivi, origo principij, quibus glorioſis titulis & nominibus, quæ verè ſunt Dei, & illi ſoli innata, devotiſsimus Pater Divus Petrus Damianus illam, tàm verè, quàm piè compellat, nisi quia (vt ipſe ait) ille ex ea prodijt per materiam carnis, qui caput eſt & initium omnium rerum per eſſentiam Deitatis.] Pulchrè, & merito Carnotenſis auſus eſt dicere: Itaque gloriam filij cum Matre, non tàm dico communem, quàm eandem.] Cur, rogo, eadem eſt, & non communis, cum duo ſint filius & mater? Fortaſſe ne diviſa & diſcreta videatur inter illos, inter quos nihil gloriæ eſt partitum, nihil laudis eſt diviſum. Subtiliter profectò Divus Ambroſius hæc Apoſtoli verba, *Idem autem Deus qui operatur omnia in omnibus*, ſic exponit: In tantum non hoc hominibus dicendum quaſi proprium, ſed ſoli Deo aſſerit, vt etiam donum Spiritus Sancti, & gratia Domini Ieſu, vnius Dei dicat operationem, ne gratia & donum diviſum ſit per perſonas patris, & filij, & Spiritus Sancti, ſed indiſcretæ vnitatis & naturæ trium vnum opus intelligatur, vt ad vnum omnem gloriam redigat & vnitatem.] Itaque mens Ambroſij, ni fallor, eſt, quòd licèt ſint tres ineffabilis Trinitatis perſonæ, & omnis illarum operatio ad extra (vt Theologorum phraſi vtar) communis ſit ipſis: & omne donum omniſque gratia ab eiſdem effundatur in creaturas: tamen indiſcretæ vnitatis, & naturæ, qua gaudent, vna & eadem eſt operatio, neque it per perſonas diſtincta, ſubindeque donandi & favendi creaturis laus & gloria, eadem eſt ipſis, & indiviſa. Benè ergo, eſto Chriſtus & Maria, Filius & Mater, duæ perſonæ ſint, ad laudem tamen gloriamque, quaſi vna perſona eſſe & identitatem habere videntur: vnde à Carnotenſi illorum gloria & laus, non tàm communis, quàm eadem ipſis eſſe dicitur.

D. Petr. Dam. ſerm. de nat. Virg.

Carnotenſ. de laud. Mar.

1. Cor. c. 12. D. Amb. ibi.

Cap.

Digitized by Google

Cap. II. *Quam cauſam aſsignet Virgo, ob quam ab omnibus Beata ſit prædicanda generationibus? Diverſæ Patrum ſententiæ. Quæ illarum Virginis menti propiùs accedat, examinatur. An Beatæ Epitheto velit magis vocari? Et cur Spiritus Sanctus ad dicendum tantum de ſe preconium impulerit?*

1 SUNT Patres & Doctores, qui Virginem pró ſui beatiſsimi præconij causâ, humilitatem aſsignare iudicent. Huius ſententiæ eſt Divus Augustinus in quodam ſermone, ſi ſuus eſt, vbi habet: Hæc Virgo glorioſa Beatam ſe dici ab omnibus generationibus manifeſtat, eo quod eius humilitatem Deus reſpexit.] Et Rupertus: *Beata*, inquit, *quæ credidit*, *quoniam perficientur ea quæ dicta ſunt tibi à Domino.* Non dixit, Beata quæ inventa eſt in operibus legis. Ecce Beata ex fide. Tu quoque ſtatim cecinisti: *Quia rexpexit Dominus humilitatem ancillæ ſuæ*, *ecce enim ex hoc Beatam me dicent omnes generationes.* Ecce beatitudo ex humilitate.] Et Albertus Magnus, qui poſtquam Ecce enim ex hoc, iuxta textum græcum expoſuit, ex nunc, id eſt, ex hoc tempore (vt eſt communis interpretatio) ait: vel ex hoc, ex iſto humilitatis meæ merito.] Et Hugo de Sancto Victore: Maria, quæ apud Deum humilis erat, & apud homines propter Deum abiecta, in vtroque à Deo ſe reſpectam eſſe dicit: quia & eius humilitas apud Deum acceptabilis facta eſt, & eius humiliatio, apud homines in gloriam mutata. Vnde ſequitur: *Ecce enim ex hoc Beatam me dicent omnes generationes.*] Et Venerabilis Beda: Cuius autem humilitas reſpicitur, recte Beata ab omnibus cognominatur.] Et Ambroſius Anſbertus: Ad humilitatis divitias Author omnium divitiarum diſcipulos invitabat, cum diceret: *Diſcite à me, quia mitis ſum, & humilis corde.* His locupletata fuerat Beata Virgo, quæ dicebat: *Quia reſpexit humilitatem ancillæ ſuæ, ecce enim ex hoc Beatam me dicent omnes generationes.*]

D. Aug. ſerm. 2. de Aſſump.

Rup. in cant. c. 1.

Alb. Mag. hic

Hug. lib. 4. in Luc. ſup. Mag.

Bed. in cat. D. Thom.

Anſb. lib. 2. in Apoc.

2 Rurſus ſunt, qui pro causâ, mira & magna, quæ in illâ congeſsit Dominus dona & beneficia, aſsignare opinentur.

Sic

Auguſt.ſerm. 18.de Sanc. Sic Auguſtinus: O fœlix obedientia, ò inſignis gratia, quæ dum fidem humilitèr dedit, cœli in ſe opificem corporavit! Hinc promeruit gloriam, quam poſtmodum hauſit: *Ecce*, ait, Theoph.hìc. *ex hoc Beatam me dicent omnes generationes.*] Et Theophilatus: Oſtendit Virgo non per ſuam virtutem ſe Beatam prædicandam, ſed cauſam aſsignat dicens: *Quia fecit mihi magna qui potens eſt.* Quæ tibi magna fecit? Credo vt creatura ederes creatorem, fœmina Dominum generares, vt per te Deus mundum redimeret, per te illuminaret, per te ad vitam Ioan.Gerſon. tract. 4. ſup. Magn. revocaret.] Ioannes Gerſon, qui movens hoc dubium: Qua ratione potuit abſque ſpiritu iactantiæ humilis ancilla Domini tam excelſum de ſe proferre præconium? Reſpondet: Cum gloriatur in domino gloriatur: Obſervat hoc magnifica noſtra, & magnificanda, quæ tota in Dei gloriam refudit beatitudinis ſuæ famam. *Quia fecit mihi magna qui potens eſt.* Non ergo mihi gloria: gloria ſola ſibi.] Cum his ſentiunt Divus Ianſ. in conc. Evang.c.4. Bonaventura, Ianſenius, Maldonatus, Cardinalis Toletus, Barradas, & alij.

Tol hic ann. 128. Barr.de cant. Virg. lib.7.c. 13. Carth.hìc. Caſian.hìc.

3 Denique Virginem pro cauſâ Beatæ prædicandæ, humilitatem, & magna quæ fecit illi Dominus, alijs aſsignare magis probabile fit. Pro hac ſententiâ ſtat Dionifius Carthuſianus: *Ecce enim*, inquit, *ex hoc tempore*, & ratione tanti beneficij mihi collati, ex hâc quoque meâ humilitate, *Beatam me dicent omnes generationes.*] Et Simon Caſianus: Vnde Beata? Quia huiuſmodi humilitatem poſſedit. Vnde Beata, niſi quia in ea Dominus ineffabilia operatus eſt, cum in illâ æternum Dei verbum ſit in plenitudine temporis caro factum.] Omitto alios Authores qui etiam vtramque cauſam coniungunt, & mihi claritatis amanti, Authores diſtinxiſſe ſatis erit, vt quid quiſque ſentiat, dilucidè appareat: nec mihi vllus eſt eis diſſentiendi animus; quippe video, non vno Virginem titulo, ſed multis deberi Beatam prædicari. Rectè ergo propter humilitatem, vt volunt, Beata dicitur prædicanda: nam, vt dixit Beda, cuius humilitas reſpicitur, rectè ab omnibus beata cognominatur.] Recte qnoque ob magna quæ fecit illi Dominus, ac tandem rectiſsime, ob hæc, & profundiſsimam Dubium. ſimul Virginis humilitatem. Tamen cum dubium ſit, quam ſibi Virgo Beatæ prædicandæ cauſam aſsignet; qui propiùs ad

Vir-

Virginis mentem accedant, reſtat diſcutiendum, nec id melius poteſt fieri, quam explanatis Beatæ Virginis verbis.

4 Itaque ait Maria: *Magnificat anima mea Dominum, & exultavit Spiritus meus in Deo ſalutari meo: quia rexpexit humilitatem ancillæ ſuæ: Ecce enim ex hoc Beatam me dicent omnes generationes: quia fecit mihi magna qui potens eſt.* In his quidem duas cauſas aſsignare videtur: Vnam, ob quam Dominum celebrat, & mente in Deo exultat, ſcilicèt humilitatem à Domino reſpectam, quam continuò attexuit. Vnde Author Græcus: Cauſam manifeſtat, inquit, cur ſe magnificare Deum deceat, ac exultare in illo, dicens: *Quia reſpexit humilitatem ancillæ ſuæ.*] Eandem cauſam agnoſcunt Ioannes Gerſon, Hugo de Sancto Victore, Divus Bonaventura, Toletus, Cornelius à Lapide, Caniſius, & alij. Alteram cauſam, *Quia fecit mihi magna, qui potens eſt.* De qua etiam dubitatur, quò reſpiciat, ſeu quibus cum verbis annectenda ſit. Divus Bernardus ad Magnificat anima mea Dominum refert. Quaſi dicat Virgo: *Magnificat anima mea Dominum, quia fecit mihi magna.* Quam interpretationem, inquit Pater Maldonatus, facit probabilem ipſa nominum alluſio. At hæc alluſio, in re gravi, parum ſeria videtur, vt probabilem reddat cauſam. Beda etiam ait: Reſpicit autem hoc ad initium carminis, vbi dictum eſt, *Magnificat anima mea Dominum.* Sola enim anima illa, cui Dominus magna facere dignatur, dignis eum præconijs magnificare poteſt.] Idem approbat Cardinalis Toletus, ſed cum ille dicat, quod cauſæ in his ſententijs contentæ, invicem ſunt ſubordinatæ, ſic illas ordinat: Magnificat anima mea Dominum, & exultavit Spiritus meus in Deo ſalutari meo, quia reſpexit humilitatem meam, quia fecit mihi magna, qui potens eſt, quia hinc factum eſt, vt Beata ſim, & prædicer: Beata autem, quia fecit mihi magna, qui potens eſt. Referuntur ergo omnia ad illam ſententiam, Magnificat anima mea Dominum, ſed ordine quodam.] Hæc ille. Sed peccat iſte ordo: nam ſicut, *quia reſpexit humilitatem*, habet ſibi ad quod dirigatur & immediate ordinetur, à quo non removetur, nec extrahitur, videlicet Dei magnificationem, & exultationem Spiritus Mariæ in illo: ita, *quia fecit mihi magna*, habet immediatè ad quod dirigatur, & ordinetur,

Græc. in cat. D.Thom.

Caniſ. de B. Virg. lib. 4. c.7.

D. Bern. in quo. ſerm. de B.Virg.

Bed.hic.

Tol.nup.cit.

Digitized by Google

netur; à quo non debet amoveri, videlicèt futuram Beatæ Virginis prædicationem. Alioqui Patres, & Interpretes ſupra laudati, qui aſſerunt Virginem cauſam Beatæ prædicandæ aſſignare, *Quia reſpexit humilitatem ancillæ ſuæ*, rationabiliùs id faciunt, eo quod immediatè ſequitur: *Ecce enim ex hoc Beatam me dicent omnes generationes*; quod refellit Toletus, cum tamen ipſe, *Quia fecit mihi magna, qui potens eſt*, referat ad *Magnificat anima mea Dominum*: quod longe remotum eſt, & ideo ad hanc ſententiam referri, violentum Patri Maldonato eſſe videtur. Præterea, ſi demus Virginem magnificare, & Deum maximis laudibus extollere, *quia fecit illi magna*: non ideo magnificandi hæc eſt cauſa, quæ aſſumitur à Virgine: iam enim aliam expreſſerat, dicendo: *Quia reſpexit humilitatem ancillæ ſuæ*: nimirum illam gratijs ac donis cœleſtibus locupletando, vel hoc ſolo quidem beneficio, ad dignitatem Matris ſuæ efferendo; propter quæ, exultanti ſpiritu, dulciſsimè peractis gratijs, Beatam ſe fore prædicandam prædicit. Ex his ſatis conſtare videtur Authores ſecundæ ſententiæ, atque tertiæ, quatenus partim cum illis conveniunt, ad mentem Virginis propiùs accedere.

5. O magnum verè præconium, quòd ex magnificis Dei in Virgine operibus exurgit, & per omnium gentium ora nullis obliterabile ſæculis reſonabit! Meritò Gerſon, ſubit inde quæſtio, ait, quo nomine Maria digniore nominetur? Cui reſpondet: Ennunciaſſe videtur prophetico ſpiritu plena, Verbigena noſtra, quod hoc nomen adiectivum appropriatè ſibi, & antonomaſticè daretur per omnes generationes, velut nomen Epitheton deſupèr ſibi datum, ſibi debitum, ſibi placentiſsimum, necnon conventientiſsimum, iocundiſsimum, & appropriatum.] Meritò etiam Albertus Magnus, Nec aliter eſt, inquit, nominanda quam Beata Virgo, ex quo ipſa ſibi hoc nomen dicit ab omnibus deberi.] Itaque Beata antonomaſticòs vult vocari, & ſuis affigi huiuſmodi Epitheton nominibus, & titulis glorioſis: ita vt Beata Maria, Beata Virgo, Beata Dei Mater, Beata Deigenitrix, Beata hominum & Angelorum Regina indigitetur, quo magis agnoſcatur omnem ſibi fœlicitatem à Deo veniſſe, velleque in ſui præconij commemoratione, debitas illi, tàm ſuo, quàm omnium gentium ore, gratias referre.

Gerſ. ſup. cit.

Dubium.

Alb. Mag. hìc.

Sed

6 Sed quid erit, vt hoc etiam dubitemus, quòd cum humillima Virgo de ſe nihil arrogantèr præſumpſerit: nam, non ſe Beatam appellat, vt inquit Author Græcus, inani vexata gloriâ; vnde enim focus in ipsâ ſuperbiæ, quæ ſe ancillam Domini nuncupavit? Sed ſacro tacta ſpiritu, quæ futura ſunt præſcivit;] Spiritus ipſe Sanctus ad tantum de ſe præconium, quale eſt, *Ecce enim ex hoc Beatam me dicent omnes generationes*, promendum impulerit?] Exiſtimo voluiſſe neminem latère miris titulis & beneficijs à Deo collatis Virginem eſſe Beatam, id eſt omnium bonorum cœleſtium plenam ac locupletem. Nam Cicero ſcribit, Omnes bonos ſemper beatos volumus eſſe. Quos dicam bonos, perſpicuum eſt, omnibus cum virtutibus inſtructos, & ornatos, tùm ſapientes, tùm viros bonos dicimus. Videamus qui dicendi ſunt beati. Equidem hos exiſtimo, qui ſunt in bonis, nullo adiuncto malo. Nec vlla alia huic verbo, cum beatum dicimus, ſubiecta notio eſt, niſi ſecretis malis omnibus, cumulata bonorum complexio.] Vel voluiſſe, vt hac notione, & prædicatione Beatæ, quodammodo beatior eſſet. Non enim eſt inſuetum Deo ſervorum ſuorum, prædicatione virtutum, & munerum ſupernorum, quibus ipſe eos ornat, & ſanctos facit, extendere gloriam, & nominis famam, magiſque claros ac venerabiles mundo reddere. *Beati pacifici*, ait Chriſtus Dominus, *quoniam filij Dei vocabuntur*. Non dicit, erunt, quod prius convenit: nam qui non eſt filius Dei, tam ſacrâ appellatione indignus eſt; ſupponit ergo eſſe, aut filium Dei fore. Quis amplius deſideret? Nemo vtique Sanctorum amplius deſiderat: humiles ſunt, magni eſſe & vocari apud homines abhorrent, latêre cupiunt. Non ſunt vt glorioſuli, & mundi ſapientes, de quibus Poeta:

O mores! vſque adeo ne
Scire tuum nihil eſt, niſi te ſcire, hoc ſciat alter?
At pulchrum digito monſtrari, & dicier, hic eſt.

Et alter de ſe ipſo:

Sed toto legor orbe frequens, & dicitur, hic eſt.

Et vates ſacer ait: *Vocaverunt nomina ſua interris ſuis.* Tamen Deus iuſtis, & beatis nominis celebritatem promittit. Quare? Ex eo quod non ſolum erunt; reſpondet Caietanus,

[Margin notes: Dubium. — Aut. Græc. in cat. D. Thom. — Cicer. libr. 5. Tuſcul. quæſt. — Math. c. 5. — Perſ. ſat. 1. — Pſalm. 48. — Caiet. ibi.]

Digitized by Google

ſed vocabuntur, ſignificatur quod cognoſcentur & nominabuntur ab alijs filij Dei, quod plus eſt, quam eſſe filios Dei.] Quomodo plus, niſi, vt dicebam, quia filios eſſe Dei, vult Deus ſervos ſuos haberi, cognoſci, celebrari, & nominis claritate, hominum volitare per ora? Sanè quamuis Sanctis nihil ſit maius, aut melius, quam Dei filios eſſe: tamen tales cognoſci & vocari, aliquid eſt ad cumulum, & complementum gloriæ accedens, quo Deus, vt virtutis præmio, non permittit privari. Vnde Ioannes: *Videte*, inquit, *qualem charitatem dedit nobis Pater, vt filij Dei nominentur, & ſimus.* Vtrumque iungit, eſſe, & nominari: & vtrumque ab amore æterni Patris in filios adoptionis deſcendere dicit: non vero ab amore filiorum, quia ſolâ divini Patris adoptione contenti, præcônem ſui nominis nihil curant. Voluit ergo Spiritus Sanctus Virginem, quæ in ſe Beata erat, vt omnium linguis, & communi plauſu, atque commendatione, Beatam prædicari, vt aliquo modo Beatior foret: ſimulque nobis oſtendere Beatiſsimæ ſuæ ſponſæ laudes quanti faciat, prædîcens eas, toto orbe, ab omni gente, perque omnes ſæculorum ætates, fore concinendas.

Ioan. Epiſt. 1. c. 3.

7 Ah! Lutherum, Calvinum, eorumque infœlici fato diſcipulos & aſſeclas pudeat huic divinæ prædictioni, virgineo Matris ſuæ ore manifeſtatæ, non obedire, ac animis, linguis, calamiſque favêre. Qui ſi Deum & Matrem eius, ad cuius præconia ipſe nos hortatur decantanda, amarent: cum omnibus de Virgine benemeritis ſentirent. Sic enim natura comprobatum eſt, dicit Apuleius, vt eum quem laudes, & ames.] At miſeri, qui nec Deo obtemperant, nec vllum ei obſequium præſtant, velut canes rabidi, ſibi & alijs mordaces, Virginis honorem animis, linguis, calamis lacerant: atque extremâ animi dementiâ, virus, quo inſaniunt, peſtiferum, in pia laudantium corda effundere: necnon in Matris Dei laudatione graviter peccare, ſuadêre conantur. Quorum quidem ora impudentia Caniſius, piè & eruditè frænat. Quidlibet tamen canes hi fidelibus tuis oblatrent, ò Virgo Beata,

Apul. lib. 1. florid.

Lib. 4. de M. Deip. Virgin. c. 6.

Semper honor, nomenque tuum, laudeſque manebunt:
Semper eris nobis bis, terque, quaterque Beata;
Invidia rumpantur: eris tamen vſque Beata.

Cap.

Digitized by Google

Cap. III. *An humilitas, quam Deus in Beata Virgine Maria reſpexit, ſit pro vili & abiecta perſonæ conditione, an pro humilitatis virtute accipienda? Adductis pro vtraque parte Patrum & Interpretum teſtimonijs, probabilior de virtute humilitatis ſententia defenditur.*

1 MULTI Patres & Interpretes, vt nuper vidimus, Beatæ proclamandæ Virginis cauſam aſsignarunt, *Quia reſpexit Deus humilitatem ancillæ ſuæ*: vnde non importunum, imo noſtro inſtituto debitum, de hâc humilitate à Domino reſpectâ, quæ & qualis ſit, nobis agere videtur. Etenim dubitatur, an de humilitate Virgo Beata locuta ſit, quæ virtus eſt ſubijciens hominem Deo, & cuilibet homini propter bona quæ ſunt Dei in illo, vt docet Divus Thomas? An vero de humilitate, quæ non venit ab animi modeſtia temperantis & refrænantis appetitum, ne ad excelſa immoderatè tendat: nihilque tandem ſe ſupra ſe extollentis; ſed quæ contrà, à conditione ignobili, exiguâ, vili, abiectâque perſonæ venit? Et quidem inter Catholicos, quibuſdam de humilitate, quæ virtus eſt: quibuſdam vero de conditione vili ac abiectâ, locutam eſſe Virginem opinantibus, contentio eſt. Quâ in re, vt quæ magis ſit probanda ſententia appareat: antequam vtrorumque teſtimonia, & fundamenta in medium produco, animadvertendum duxi, humilitatem in Sacrâ Scripturâ vſurpari, tùm pro animi modeſtiâ, ſeù pro virtute ſuperbiæ oppoſitâ, tùm pro vili, & abiectâ naturæ conditione, tùm tandem pro contemptu & afflictione extrinſecùs illatâ. Quando autem in primo ſenſu accipienda ſit, etiam dubitatur: Nam cum fiat plerumque, inquit Brugenſis, vt in ipſis hominibus conditio humilis, & virtus humilitatis coniunctæ ſint: ſæpe fit dubium in Sacris Literis, vbi mentio occurrit humilitatis, an de conditione præcipuè, an de animi virtute intelligere oporteat.] Cui dubiolo, ſi quid poſſumus certi indagare, hæc mihi videtur aſsignanda regula: Vt quotiès humilitas elationi & hominum arrogantiæ inveni-

Dubium.

D.Thom. 2.2. quæſt. 161. art.3.

Brug. hic. Dubium.

tur oppoſita, & cum aliquâ virtutum apponitur coniuncta: toties pro humilitatis virtute debet accipi. Itaque cum dici-
Iac. c.4. tur: *Deus ſuperbis reſiſtit: humilibus autem dat gratiam*; de humilitatis virtute, propter oppoſitum vitium, ab omnibus accipitur. Et ſimiliter in Sacro Beatæ Virginis Cantico: *De-*
Luc.c.1. *poſuit potentes de ſede*, id eſt, ſuperbos (iuxta multorum expoſitionem) *& exaltavit humiles*. Cum vero apud Paulum
Act.c.20. dicitur: *Qualiter vobiſcum fuerim, ſerviens Domino cum*
Ad Epheſ.c.4 *omni humilitate & lachrimis*. Et cum dicitur: *Vt digne ambuletis vocatione qua vocati eſtis, cum omni humilitate & man-*
Iſai.c.57. *ſuetudine*. Et cum apud Iſaiam dicitur: *Quia hæc dicit Dominus in Sancto habitans, & cum contrito & humili ſpiritu, vt vivificet ſpiritum humilium, & vivificet cor contritorum*. Quæ verba Pater Gaſpar Sanchez, ſic exponit: Dum ſpiritus humilium, & cor contritorum vivificanda dicantur, planè indicatur contritos & humiles eſſe mortuos, ſuâ nimirum exiſtimatione.] Hæc ſanè & ſimilia perſuadet ipſa coniunctio humilitatis cum alia virtute, de humilitatis virtute debere intelligi. Hinc, quando humilitas pro vili condictione vſurpatur, minus difficile cognitu eſt: & clare conſtat, cum dicit Paulus,
Ad Phil. 3. quod *Chriſtus reformabit corpus humilitatis noſtræ, configuratum corpori claritatis ſuæ*; id eſt, corpus ignobile & luteum reformabit, corporis ſui claritate nobilitans. Quandò tandèm humilitas pro affictione & contemptu debeat ſumi, ipsâ ſententiâ & contextu ſe exponentibus, vix habet difficulta-
Pſalm.118. tem. Et apparet cum dicit David: *Hæc me conſolata eſt in humilitate mea*. Et paulò poſt: *Niſi quod lex tua meditatio mea eſt: tunc fortè periiſſem in humilitate mea*. Nam de affictione, calamitate, contemptuque ab hoſte & perſecutore illatis, exponit Genebrardus, & ipſe contextus expoſcit.

2 Modo ergo ſit prima ſententia opinantium, non de humilitatis virtute, ſed de ſuâ exiguitate, & vili conditione, Virginem locutam fuiſſe. Pro quâ Pater Maldonatus refert Theophilatum, Euthimium, Græcum Authorem, apud Divum Thomam, & Iuvencum Poetam, quos omnes ille ſequitur. Itaque Theophilati verba, quia exiſtimo huic ſententiæ non favêre, libenter tranſcribo; Sic enim habet: Virgo certior reddita de fœtu concepto, glorificat Deum, illi mira-

cu-

Digitized by Google

culum attribuit, non ſibi ipſi. Illc enim (dixit) reſpexit in me humilitatem: non ego ad illum reſpexi. Ille me proſecutus eſt miſericordiâ. Ego non illum quæſivi.] In quibus profectò nihil ad rem video, niſi reſpexit in me humilitatem, ſit idem ac reſpexit in meam humilitatem, ideſt, vilem abiectamque perſonam. Sed hoc non poteſt dici, quia reſpexit in me humilitatem, perinde eſt ac reſpexit humilitatem ancillæ ſuæ, de quâ, quomodo debeat accipi, modo dubitamus. Quin potius Theophilatus Virginem depingit humilem virtuoſam, eius nomine dicens: Non ego ad illum reſpexi. Ego non illum quæſivi; quia humilis virtuoſi eſt proprium, ſublimia non appetere, nec dignitates quærere, nec Principum favorem ſolicitare: ſi tamen contingat ad dignitatem aliquam evehi, non hoc ſibi, ſuiſque meritis tribuere, ſed Dei gratiæ, ac miſericordiæ, vt hìc Virgo Beata ad ſublimem Matris dignitatem evecta facit. Author vero Græcus rectè adducitur, qui de vili conditione ſe loqui preſsiùs explicat. Ipſe providit, ait, non ego expectavi, humilibus eram contenta. Nunc autem ad ineffabile conſilium eligor, & exaltor de terra ad ſidera.] Caietanus etiam clarè humilitatem exponit exiguitatem. Et intellige, inquit, exiguitatem quoad merita: exiſtimabat ſiquidem ſe nullius meriti, nulliuſque virtutis. Nec fictè, aut falsò, quoniam conſiderabat ſe ipſam ex parte ſui, non ex parte donorum Dei in ipſa.] Similiter Ianſenius, tranſcriptis Caietani verbis: & Brugenſis, qui ait, ſe Virginem dicere vilem, minimi pretij ob exiguitatem bonorum, tùm corporis, tùm maximè animi: corporis, quià non opulentam, nec inter homines claram, aut ſplendidam, vtpote fabri vxorem; animi, quia modicam virtutibus, exiguam meritis, minimèque dignam honore Matris Dei: non quòd ita eſſet, ſed quòd ita de ſe ſentiret reſpectu Dei.] Sed antequam ab hoc Authore diſcedo, do illi ſe vilem dicere Virginem ob exiguitatem bonorum animi, quòd ſic ex parte ſui conſiderabat: tamen ex parte bonorum corporis, & fortunæ, ab eo diſſentio, non quia Virgo non eſſet pauper, & fabri vxor, & ſine caduco mundi ſplendore, ſed quia bene videbat Deum reſpexiſſe humilitatem ſuam, & cœleſtibus cumulaſſe donis, eam vſque ad ſummum Dei Matris apicem exaltando: non

Ianſ. *in conc.* Evang.c.4.

vero

vero mundi divitijs, & honoribus exornaſſe; ſiquidem, etiam poſtquam ad tantam dignitatem evecta eſt, ſe pauperem & fabri vxorem, & oculis hominum obſcuram videbat. Non ergo hac ex parte Deum humilitatem ſuam reſpexiſſe, potuit dicere, cum pauper manſerit: imo nihil eſſe corporis bona, & fortunæ, vt eam reſpiceret, erat ſibi manifeſtum, quæ perfectè ſciebat filium eius, qui Deus erat, pauperem & humilem, omnemque mundi gloriam, opes & honores venire conculcaturum. Similiter ob has rationes à Beuxami diſſentio, qui humilitate pro afflictione acceptâ, Virginem quaſi ſe lamentatem ſic inducit: Hactenus in oculis hominum abiectiſſima tanto, quanto è regiâ Davidis familiâ omnium celeberrimâ genus duco. Nam præter regiam maieſtatem è domo noſtrâ ſublatam, & extrinſecam egeſtatem in quam impulſa ſum, ecce genus illud regale, à Romanis, ab Herode, & omnibus tyrannorum patronis, ſic impetitur, vt viris multis peremptis, nobis etiam regiæ puellæ timeamus, nihilque Davidis domui ſpei reliquum eſſe videamus, niſi Deus nos ex alto reſpexiſſet, & domum David, ſolium, & regnum ipſius per Chriſtum ſuum reparandum, & confirmandum eſſe reſpexiſſet.] Et paucis interpoſitis; Et in eo ſenſu, ait, conſolatur nos Virgo, proponens nullam eſſe tam vrgentem afflictionem, è quâ non aliquando per Dei miſericordiam emergere poſſimus.] Sed quis credat Beatam Virginem, quæ perfectiſsimè ſpiritualiſsima erat, & nihili mundana faciebat, animo tot temporalia evoluiſſe, & ſuam miſeram ſortem, atque ſui generis, ita deploraſſe? Magis credo, cum dixit: Quia reſpexit humilitatem ancillæ ſuæ, nec in mentem illi talia veniſſe. Tandem propoſitæ ſententiæ Arias Montanus, Toletus, Cornelius, Stella, & alij adhærent.

Tom. 1. Har. in Evang.

3 Nec illis fundamenta deſunt, & primum, ex verbo Græco *Tapeinoſin*, quo Divus Lucas vſus eſt, deſumunt: quod vilitatem, & abiectionem ſonat, nec pro virtute humilitatis ſoleat poni. Secundum, quod ſic pro virili adſtruit & ponderat Pater Maldonatus. Si horum verborum, inquit, ſenſum conſideremus, eò minùs credibile eſt de ſuâ Mariam virtute locutam fuiſſe, quò maior in eâ virtus excelluit. Haud enim ſcio, an humilitatis ſit, ſe ipſum humilem non ſolum agnoſcere,

:ere, ſed etiam profiteri. Sola inter virtutes ſe ipſam humili-
:as ignorat, & neſcio quomodo fit, vt humillimus quiſque
imul vt humilitatem ſuam animadvertit, ac prodit, perdat.]
Tertium ex eodem Authore. Non id agebat humillima &
ſanctiſsima Virgo, vt doceret ſuis meritis tantum ſe benefi-
:ium conſecutam, vt mater eſſet Dei: ſed potius vt ſe indig-
ıam omnino fuiſſe tanto beneficio declararet. Noluit ergo
licere ſuam à Deo virtutem, ſed potius ſuam humilitatem,
ıbiectamque perſonam & conditionem, & vt vno verbo di-
:am, ſuam indignitatem reſpectam fuiſſe, quod quamuis in-
ligna prorsùs eſt, Deus ſe tanto honore dignatus fuiſſet. Hoc
licere, & humilem & Virginem decebat.] Vltimum tandem:
Dixerat Virgo Maria, *Magnificat anima mea Dominum*: nunc
licit: *quia reſpexit humilitatem ancillæ ſuæ*: inter quæ verba
nanifeſta apparet antitheſis. Itaque humilitatem ſuam Dei
nagnitudini opponit, eodemque ſenſu, & ſe humilem, &
Deum magnum vocat. Deum autem non vocat magnum
quaſi ſuperbum, ſed quaſi præcellentem, & ſupremum digni-
:atis gradum obtinentem: ergo & ſe non vocat humilem
:b oppoſita ſuperbiæ virtute, ſed àb abiectâ vilique condi-
ione.]

4 Secunda ſententia huic oppoſita eſt graviſsimorum
quoque Patrum & Interpretum, & adeo certa inter illos, vt
Pater Maldonatus dixerit: Virtutem hoc loco humilitatis ſig-
iificare tanto ferè omnium veterum, novorumque interpre-
um conſenſu creditum eſt, vt nequaquam audêrem, niſi &
ɔonos ipſe ſecutus Authores, novoſque, diſſentire.] Proinde
nihi ad illam amplectendam, & vt potero, defenſandam,
ıonnulla illorum teſtimonia in medium producere ſufficiet.
:taque Origenes ſatis clarè: In quam humilitatem Mariæ reſ- Orig. hom. 8, in Luc.
ɔexit Dominus? Quid habeat mater Salvatoris humile atque
leiectum, quæ Dei filium geſtabat in vtero? Quod ergo dixit,
reſpexit in humilitatem ancillæ ſuæ, tale eſt ac ſi dixerit, Reſ-
ɔexit in iuſtitiam ancillæ ſuæ, reſpexit in temperantiam, reſ-
ɔexit in fortitudinem ac ſapientiam. Dignum quippe eſt, vt
virtutes reſpiciat.] Idem Auguſtinus pulchra antitheſi aſſerit: Aug. hic.
Bene ergo Maria ſolam in humilitatem reſpexiſſe Dominum
:eſtatur, quia divinitatis propitiationem, quam humana na-
tura

tura in primis parentibus per ſuperbiam perdidit, in Maria per humilitatem reparavit.] Simili quoque Beda antitheſi vtitur: Cuius humilitas reſpicitur, rectè Beata ab omnibus cognominanda gratulatur. Sicut è contrario, cuius ſuperbia deſpectu condemnatur Evæ, id eſt væ, ſive calamitatis nomine mulctata tabeſcit. Decebat enim, vt ſicut per ſuperbiam primæ noſtræ parentis mors in mundum intravit: ita demum per humilitatem Mariæ vitæ introitus panderetur.] Rurſus ſimili antitheſi Rupertus: O amici, hoc ego experta ſum. Humilitatem meam de illo accubitu ſuo ſenſit, & reſpexit, & valde delectatus eſt: & placuit ſibi quod in iſto ſexu tantam humilitatem invênit: in iſto inquam ſexu, à quo initium ſuperbiæ generi humano ſuperveniens totam maſſam corrupit.] Alio argumento, & quidem pulchro, Dioniſius Carthuſianus: Meritò ſpecialiter meminit ſuæ humilitatis, magis quam virginitatis, charitatis, aut reliquarum virtutum, quibus præeminentèr fulgebat, quia per humilitatem præcipuè meruit talitèr exaltari: eratque per eam præſertim diſpoſita ad concipiendum vnigenitum Dei, ſecundum quod Incarnationis myſterio attenditur incarnati maieſtas, quæ tanta eſt, vt non niſi ab humillimâ, & pæne incomparabilitèr humili puellâ, decuit eum incarnari, & concipi.] Item Simon Caſianus omnium optimè ad rem præſentem, & nòn ſine antitheſi, Virginis humilitatem ponderat. Non propinquitatem generis, non pulchritudinem corporis, non artis additamenta, non eloquium, non humilem prudentiam, non divitias, non cætera talium, vt à Deo reſpiceretur, enuntiat: necnon & quæ maiora ſunt, reticet: non ſanctificationem in vteró, non virginitatem in placito, non orationem, non contemplationem, non ſenſuum cuſtodiam. Alias omnes ſilet ipſa virtutes, duntaxat ſibi de humilitate blandîtur, quòd illam, præ omnibus in ipſâ vernantibus bonis, intuitus eſſet Altiſsimus. Aptè porro quoniam à contrariâ feneſtrâ eius ſe prima mulier cum omni ſuâ prole de arce bonitatis deiecerat. Et inde Lucifer de altiſsimis ſedibus ad pallidas ſedes cum ſuis ſequacibus potentèr eiectus eſt. Mirum in modum non prodit fidem, ſubticet ſpem, non nominat ſuperexcedentem omnia charitatem. Cunctæ virtutes in ſilentio factæ ſunt: pro humilitate

Bed. hic.

Rup. in cant. c. 1.

Carth. hìc.

Caſian. lib. 2. de Mar. Virg. c. 14.

litate

litate ſolum ſe reſpectam à Domino gloriatur.] Multa & præclara in hanc ſententiam dicit Bernardus, & Illdephonſus, Anſbertus, Caniſius, Beaux amis, Cornelius, vt Paulo poſt videbimus, & alij multi.

Bern. hom. 1. ſup. Miſſ. eſt. & ſerm. 45. in cant. Illdeph. ſerm. 2. de Aſſumpt. Anſb. ſup. cit. Caniſ. de B. Virg. lib. 4. Beaux. in con. Evang. Cornel. hic.

5 Modò, ex doctrinâ Patrum, in huius ſententiæ favorem, aliquas me deducere rationes iuvat. Prima ſit, quia, vt ſupra Epitheton octavo, capite ſecundo, oſtenſum eſt, multi Patres Virginem fore Beatam ab omnibus generationibus prædicandam, humilitati ſuæ, tanquam cauſæ, attribuunt: quæ profectò cauſa humilitatis virtus neceſſario ab eis intelligitur, ob quam Virgo tanto ſit digna præconio: nam ob exiguitatem, & vilem perſonæ conditionem, nemo vnquàm dictus eſt, nec dicetur beatus. Secunda ſit, quòd quando Deus in Sacrâ Scripturâ reſpicere dicitur: complacet, & approbat id quod reſpicere dignatur. Quo ſenſu explicant Interpretes illud Geneſeos: *Reſpexit Dominus ad Abel, & ad munera eius*; Et in hoc Beatæ Virginis Cantico: *Rexpexit humilitatem ancillæ ſuæ*. Quis dicat approbaſſe & complacuiſſe in vili, & abiectâ Virginis conditione? Ergo perfectæ humilitatis virtutem in Virgine approbavit & complacuit: nec aliter de Dei approbatione & complacentiâ, nec de Virginis Matris dignitate, dignè ſuſpicari poteſt. Virgo igitur in illis verbis, Deum humilitatis virtutem ſignificat reſpexiſſe. Quarta ſit, quia, vt dicit Bernardus, Non Magnum eſt eſſe humilem in abiectione: magna prorſus & rara virtus humilitas honorata.] De quâ rogo humilitate locuta eſt Virgo, quando Eliſabethæ de dignitate Matris Dei illi gratulanti reſpondit: *Quia reſpexit Dominus humilitatem ancillæ ſuæ: Ecce enim ex hoc Beatam me dicent omnes generationes*, niſi de humilitate honoratâ, tùm tantâ Matris dignitate, tùm glorioſâ Beatæ famâ? Conſentaneum eſt ergo ſe ſignificaſſe humilem, non ab abiectâ vilique conditione, in quâ parùm eſt eſſe humilem, ſed ab humilitatis virtute, quæ rara & magna eſt in honore, & Virgine dignior. Et ſanè id perſuadet illud Eccleſiaſtici: *Quanto magnus es, humilia te in omnibus, & coram Deo invenies gratiam. Quoniam magna potentia Dei ſolius, & ab humilibus honoratur.* Quod quidem ita ad vnguem Virgo beatiſſima executa eſt, vt de illa debeat intelligi: Nam ſe in om-

Gen. 4.

Bern. hom. 4. ſup. Miſſ. eſt.

Eccli. c. 3.

Digitized by Google

nibus humiliavit, etiam quando magna erat, & ſummè excelſa, id eſt electa Dei Mater ad eum concipiendum, nunciante ei Angelo, *Ecce concipies & paries filium, etenim inveniſti gratiam apud Deum.* Et poſtmodùm ipſa dixit: *Magnificat anima mea Dominum, & exultavit Spiritus meus in Deo ſalutari meo. Quia reſpexit humilitatem ancillæ ſuæ.* Quo cantico à ſe humili Deum magnificari & honorari oſtendit: à ſe humili, inquam, cui iam fecerat magna & ſublimia, qui potens eſt. Tandem ex Divo Bernardo, aliam non levem rationem adſtruo. Patet itaque, inquit, quia vt de Spiritu Sancto conciperet, ſicut ipſa perhibet, *Rexpexit humilitatem ſuam Deus*, potius quam virginitatem. Et ſi placuit ex virginitate: tamen ex humilitate concepit. Vnde conſtat, quia etiam vt placeret virginitas, humilitas proculdubio fecit.] Perpicuè hic Bernardus humilitatem virginitati præfert, cui non dat, ſicut humilitati, vt Virgo filium Dei conciperet, potiores partes: De ſuâ profundiſsimâ ergo humilitatis virtute Virgo Beata locuta eſt; alioqùi humilitas illa, quæ virtus non eſt, virginitati Deo ſacratæ præferri nequiret.

Bernar. hom. cit.

6 Supereſt nunc nobis oppoſitæ ſent[illegible]iæ fundamenta diruere: & quidem, vt à primâ incipiamus, verbum Grecum *Tapeinoſis*, modò virtutem humilitatis, modò abiectionem ſignificare conſtat, & pro humilitatis poni virtute in illis locis Iacobi: *Deus ſuperbis reſiſtit, humilibus autem dat gratiam.* Et Mathæi: *Diſcite à me quia mitis ſum, & humilis corde,* vbi Chriſtus Dominus *Tapeinon* ſe vocat: comprobant Beauxamis, Caniſius, qui propterea in noſtram ſententiam magis inclinat. Quod vero *Tapeinophroſyne* voce Lucas non vſus fuerit, quam dicunt humilitatis virtutem ſignificare, parum refert, quia pro vitio poſita eſſe invenitur in his Pali verbis: *Nemo vos ſuperet, volens in humilitate mentis, & religione Angelorum*, vt Divus Hieronimus notavit. Argumentum autem & ponderatio Patris Maldonati, multa mihi videtur ſcrupuloſè involuere, ad quæ emollienda ſatis nobis eſſet cum Cornelio à Lapide reſpondere: Quod humilis agnoſcit in ſe ſuas virtutes vt dona Dei, quarè inter eas videt quoque ſuam humilitatem, ſed illam non ſuis viribus, ſed gratiâ Dei refert acceptam.] Id ſane iam Divus Thomas docuerat, cuius hæc ſunt

Iac. c. 4. Math. c. 11.

Ad Coloſ. c. 2

D. Hier. Epiſ. ad Algaſ. q. 10

D. Thom. 2. 2 quæſ. 161. art. 1. in corp.

ſunt verba: Illi qui dona Dei participant, cognoſcunt ea ſe habere, ſecundum illud: *Vt ſciamus quæ à Deo donata ſunt nobis.* Et ideo abſque præiudicio humilitatis poſſunt dona, quæ ipſi acceperunt, præferre donis Dei, quæ alijs appârent collata.] Sicut ergo (rurſus Cornelius) Beata Virgo hic agnoſcit ſe electam in Dei Matrem, quòd longè maius erat: ita paritèr agnoſcit ſe per humilitatem, virginitatem, cæteraſque virtutes ſibi à Deo inditas, ad tantam dignitatem fuiſſe à Deo diſpoſitam, & congruè ornatam.] Non ergo eſt verum, quod humilitas ſola inter virtutes ſe ignorat: nec ita delicata eſt, vt ab humili cognita & confeſſa, perdatur, & evaneſcat: ſiquidem abſque humilitatis præiudicio, vt modo dicebat Divus Thomas, dona quæ quis à Deo accepit, poteſt præferre donis ab alijs acceptis: quod ſanè multo magis eſt, quàm ſe humilem, & humilitatem ſuam cognoſcere. Deinde humilis veracitèr cognoſcit & confitetur ex ſe nihil habere, ſed quidquid in ſe habet boni, ad Deum, à quo accepit, refert: alioqùi humilitatis virtus infœlix eſſet, quia non cognita, non poſſet à Deo ſuſcepta, ad Deum, ſicut aliæ, referri. Addo quod illa non habet ampliùs periculi quàm cæteræ virtutes, quia ſi à Deo non cognoſco & refero ſuſceptas, ſed mihi attribuo, vanus ac ſuperbus ſum, & eas protinus perdo. 1. ad Cor. c. 2.

7 Itaque omnis virtus ſecurè à poſſeſſore cognoſcitur, & proditur, dummodo ſibi deſurſum à Patre luminum veniſſe profiteatur, à quo omne bonum deſcendit. Atque ita docet Paulus: *Qui gloriatur, in Domino glorietur.* Id quoque ſanctorum exempla confirmant. Dicit enim David de ſe: *Domine, non eſt exaltatum cor meum, neque elati ſunt oculi mei: Neque ambulavi in magnis, neque in mirabilibus ſuper me.* Vide humilem quot modis ſe humilitate ſuperbiæ oppoſitâ prodit, cognoſcit, gloriaturque, ac tandem concludit: *Si non humiliter ſentiebam, ſed exaltavi animam meam*: id eſt, Chriſoſtomo Interprete apud Genebrardum: Me Deus puniat, niſi humilitèr & demiſsè de me ſenſerim. Et Apoſtolus Paulus: *Ego ſum*, inquit, *minimus Apoſtolorum.* Vbi noto, non ſe minimum vt cumque dicere & cognoſcere, ſed factâ cum humillimis Apoſtolis comparatione. Omitto alia ſexcenta. Iac. c. 1. 2. Cor. c. 10. Pſalm. 130. Pau. 1. ad Cor. c. 15.

8 Alterum eiuſdem Patris argumentum non maiorem vim habet. Equidem non video cur magis Virginem deceat ſuam humilitatem, abiectamque perſonam, ac prorſus tanto Dei beneficio indignam ſe fateri, vt vult Pater Maldonatus, quàm ſuæ humilitatis virtutem: quia ſi illam abſque vllo elationis vitio dicere decuit: *Ecce enim ex hoc Beatam me dicent omnes generationes*: Similitèr & ſine ſanctæ humilitatis diſpendio, talem à Deo virtutem fuiſſe reſpectam, minimè dixiſſe dedecet. Maximè quando exultatione ſpiritus ſui in Deo, illum magnificat, & ſibi magna feciſſe prædicat: & tandem, quando non ſuo, ſed divino afflata ſpiritu, & in alta cœleſtium myſteriorum contemplatione abſorpta, magis erant Dei, quàm ſua, quæ eructabat verba. Vnde optimè Hugo Victorinus dixit: Omne quod dictum eſt, ab illâ ſummæ veritatis intimâ luce, cui mens Virginis excellenter inhæſerat, emanavit: nec aliud quidquam dicere potuit, quæ meditando locuta non eſt.] Præterea, dignum ſanè eſt, ſicut Origenes dixit, vt Deus virtutes reſpiciat: ac ſi dixerit, cur relictâ virtutum pulchritudine, perſonæ indignitatem, vilem abiectamque conditionem reſpiciat, quæ ſecundum ſe inſpecta, nec amabilis, nec vllo digna præmio eſt, ſed tantum vt materia virtutis humilitatis: vt ſunt labores & pœnalitates, materia patientiæ. Et quidem, cum Deum reſpicere, perinde ſit, vt diximus, ac approbare, quis credat, dicente Bernardo, Semper ſolet eſſe gratiæ divinæ familiaris virtus humilitatis: illum approbaſſe, ſibive in humilitate, id eſt, in Virginis vili & abiectâ conditione, complacuiſſe. Profectò Deus non approbat abiectionem & tormenta quæ martyr patitur, ſed patientiam, & fortitudinem, & humilitatem, quâ ſe propter Deum tyranno ſubijcit, & carnifici: itaque virtutes approbat, & exaltat, & illarum reſpectu magni ſervos ſuos facit: quos quando coram ſe propriam exiguitatem & miſeriam repræſentare videt, non ob hanc honorat, ſed ob humilitatis virtutem, quâ, & ſi virtute decôros ac amabiles, vſque ad nihilum ſui ſe deijciunt. Hunc ergo Dei morem benè Beata Virgo proſpectum habuit: vnde in hoc ipſa ſuo mirabili Cantico dicit: *Depoſuit potentes de ſede, & exaltavit humiles*; & ideo, cum ſe ipſam, quæ plena erat glorioſis meritis & virtutibus: quæ mille gratijs

Victor. hom. fer. 6. quat. tẽp. in adven.

erat

Digitized by Google

erat ſupernis ornata, humilitatis virtute parvipenderet, ad eius humilitatem reſpexiſſe Deum confeſſa eſt, vt illam altè, & ſuper omnes creaturas, ad ſupremam æterni verbi Matris dignitatem tolleret. In quo ſenſu, *Deus humilia reſpicit in cælo, & in terra*, vt cantat David, iuxta Genebrardi expoſitionem. Nam in cœlo, inquit, humiles Angelos reſpexit in bono confirmans, quo deinceps nullum à gloriâ, & perpetuo beatorum ſtatu, caſum timerent; ſpiritus vero ſuperbos è cœlo in vltimam miſeriam deturbavit. Tùm in terrâ, ex infimo loco, ex abiectiſsimâ fortunâ & conditione Danielem, Ioſephum, & Davidem ſublimavit.] Quod de afflictione illatâ, & humiliatione violentâ, intelligo. Pſalm. 112.

9 Ad vltimum, quod obijcit, quis non videat, illam antitheſim, ſi admittatur, ſatis ad ſui rationem habere, ſi ſe Virgo Beata, non ab abiectâ viliquе conditione, ſed ab oppoſitâ ſuperbiæ virtute, humilem vocet: quia humilitatis virtus hominem Deo ſubijcit, vt magno & præcellenti Domino, reſpectu cuius homo ſe videt nihil eſſe, & proprium deffectum, ac miſeram ſui conditionem cognoſcit? Quin etiam in hoc ſenſu perfectiùs, vt iudico, antitheſis ſervatur reſpectu Sanctiſsimæ Virginis, quæ ad humilitatis virtutem Dominum ſignificat reſpicientem, quâ in omnibus operibus ſuis ſe illi ſubiecerat, & præcipuè quando ad altam Dei Matris dignitatem exaltata dixit: *Ecce ancilla Domini*; quibus in verbis virtutem humilitatis exercuit, & ſignificavit: vt nemo eſt Patrum, & Interpretum qui neget, imo ſummis laudibus celebrant, & modò ad illam alludere, dicens: *Reſpexit humilitatem ancillæ ſuæ*, ex ipſorum interpretatione manifeſtè percipitur; & quia reſpexit humilitatem de præterito dixit, non de præſenti: quaſi digito deſignaret humilitatem de quâ loquebatur, addens quoque opportuniſsimè, *ancillæ ſuæ*, quando illam Eliſabeth eſſe Matrem Dei cognoverat, & palàm prædicabat: vnde non tantum, vt vult Caietanus, humilitatem Virgo Beata opere exercuit, ſed etiam de illa ſe loqui, voce ſignificavit. In quo etiam nobiſcum Brugenſis aliquomodo convenit: Dicit enim, Facile quidem conceſſerim quod Virgo aliquid etiam modeſti animi voce humilitatis intellexerit, nimirùm quod ita fuerit conditione humilis, vt etiam intra menſu- Caiet. hìc.

ram

ram ſuæ conditionis ſe continuerit, non alta quærens, aut ſapiens, nec id expectans, vt fieret Chriſti Mater, ſed humilibus contenta, vt ait Græcus Author in Catena.

10 Ad calcem tandem adverto, me cautè, pro primâ ſententia Lutherum, Calvinum, & eorum diſcipulos & Novatores, egregios quidem omnes (ſi Deo placet) laudatores Virginis, referre omiſiſſe: quia hi, vt pote divini verbi corruptores, non ſincêro inquirendæ veritatis animo, quo Catholici interpretes aguntur, ſed impudentiſsimè, pro vt lubet, Beatam Virginem vilitatem ſuæ perſonæ ſignificaſſe contendunt. Legite pium iuxtaque doctum Patrem Caniſium, qui verba & procaciſsimam horum mentem aperit, & eruditè refellit; me quidem referre pudet, quod illos, nec fingere, nec ſcriptis evulgare pudet. Itaque cum Caniſio concludo: Modeſtiſsima Virgo, quæ Superiores laudes, tùm à Gabriêle, tùm à cognatâ, ſibi delatas agnoſcere non ſuſtinuit, nunc, ſui velut immemor, ſe ipſam efferre ac prædicare palàm videatur. Etenim humilitatem ſublimem vere virtutem iam ſibi ipſa tribuit, ac per eam ſummo Deo ſe placuiſſe teſtatur: tantumque gloriæ & beatitudinis præterea ſibi audet polliceri, vt ab omnibus vbique familijs & populis nomen ſuum venerandum, & prædicandum eſſe, vaticinetur.

Caniſ. lib. 4. de B. Virgin. c.7.

Cap. IV. *Virginem Deum concepiſſe, ſit ne magis tribuendum eius humilitati, quam Virginitati? Sententia Patrum pro humilitate ſtat. Virginis humilitas ſcala, & feneſtra dicitur: quod interdum ad mores aptè exponitur.*

1 ORNAVIT Deus Virginem cœleſti omnium virtutum ac donorum pulchritudine, quia ſic decebat, vt digna filij ſui eſſet Mater: & ideo illam miſſus de cœlo nuncius, ad ſupremam Dei Matris dignitatem iamiam evehendam, gratiâ plenam ſalutavit, & cum eâ eſſe Dominum miris modis beneficum prædixit. Inter tot tamen virtutes, à Patribus Virginitatem & humilitatem ad Dei concipiendi munus præcipuè advertimus commendari.

Et

Et adeo ſtrictè Virginitatem à Chriſoſtomo, vt Virgini dicenti, *Quomodo fiet iſtud, quoniam virum non cognoſco?* ipſe loco Angeli, vel eius mentem aperiens, reſpondeat: Sanè propter hoc fiet, quoniam virum non cognoſcis. Nam ſi cognoſceres virum, non fuiſſes habita digna, vt huic miniſterio ſervires.] Quin & ipſa Virgo, quid in prædictis verbis amplius fecit, quàm ſuam commendare Virginitatem? Etenim eâ ſalvâ & illæſâ, Deum concipere & parere optabat: vt viſum eſt poſtquam de miro modo, & ſerie concipiendi ab Angelo edocta fuit, ſiquidem tunc nihil morata, dixit: *Ecce ancilla Domini, fiat mihi ſecundum verbum tuum.* Præterea, quid in his facit ſui Cantici verbis: *Reſpexit humilitatem ancillæ ſuæ*, niſi humilitatem etiam commendare, & gratulanti Eliſabethæ, quæ iam Matrem Dei eſſe cognoverat, vnde ſibi tanta, & nemini ſperata fœlicitas, advenerit, advertere: quaſi ob humilitatem præſertim in Matrem eligere, & illi magna facere, Deus dignatus ſit. Chriſ. hom. 49. in Gen.

2 Vtraque itaque virtus inter alias Virginis eminet: tamen ex duabus nominatis, quæ congruentiùs Virginem Mariam ad Deum concipiendum diſpoſuit, ipſumque Dei filium ad incarnandum in eâ allexerit, non Virginitatem, ſed humilitatem fuiſſe, ſententia Patrum perſpicuè probat. In primis Bernardus ait: Pulchra permiſtio Virginitatis & humilitatis, nec mediocritèr placet Deo illa anima, in quâ humilitas commendat Virginitatem, & virginitas exornat humilitatem. Sed quantâ putas veneratione digna eſt, in qua humilitatem exaltat fœcunditas, & partus conſecrat Virginitatem?] In quibus verbis mellifluus Pater ſemper primas humilitati concedit, quia huic virginitatis commendationem attribuit, quaſi ſit illius epiſtola ad Dei favorem obtinendum commendatitia: quod magis honorificum eſt, quam humilitatem exornare, quod virginitas facit: nec ſolùm humilitatem, ſed omnes etiam virtutes exornat: Vnde ego in vita Divi Raymundi Nonnati ſic cecini: Dubium. Bern. hom. 1. ſup. Miſſ.

Quælibet ore nitet virtus generoſa venuſto,
Moribus & cælo ſervit, & aſtra petit,
Caſtus at ille pudor (meliùſve) illa integra virtus,
Nomen quæ fœlix integritatis habet: Lib. 1. lem. 14

Vir-

Virtutes ſplendore novo, quas afficit, ornat,
Virgineoque omnes ore nitere facit.

3 Inſuper, quia mirè à fœcunditate humilitatem exaltari, à partu vero virginitatem conſecrari, docet: etenim humilitatis præmium exaltatio eſt, iuxta illud: *Qui ſe humiliat, exaltabitur.* Vnde diſertè oſtendit Mariam congruentiùs in humilitatis præmium habuiſſe fœcunditatem, & Deum in carne concipere meruiſſe, quam in virginitatis præmium, cui ſatis dat pro præmio ab ineffabili partu conſecrari. Deinde paulò poſt ponderoſiori argumento, Sine humilitate autem, inquit, audeo dicere, nec Virginitas Mariæ placuiſſet. *Super quem,* inquit, *requieſcèt ſpiritus meus, niſi ſuper humilem, & quietum?* Super humilem dixit, non ſuper Virginem. Si igitur Maria humilis non eſſet, ſuper eam Spiritus Sanctus non requieviſſet. Si ſuper eam non requieviſſet, nec imprægnaſſet. Quomodo de ipſo ſine ipſo conciperet? Patet itaque quia vt de Spiritu Sancto conciperet, ſicut ipſa perhibet, *Reſpexit humilitatem ancillæ ſuæ Deus,* potius quàm virginitatem. Et ſi placuit ex Virginitate, tamen ex humilitate concepit. Vnde conſtat, quia etiam vt placeret virginitas, Humilitas proculdubio fecit.] Præterea ſuam mentem alio non levi argumento confirmat: Vt igitur quæ Sanctum Sanctorum conceptura erat, pariter & paritura, Sancta eſſet corpore, accepit donum virginitatis: vt eſſet & mente, accepit & humilitatis.] Tantum ergo Bernardus humilitatem virginitati ad Dei mirabile in carne concipiendi munus præfert: quantum mentis ſanctitas corporis ſanctitati ac mundiciei præſtat.

Luc. c. 18.

4 Accedit Auguſtinus: O vera humilitas, quæ Deum hominibus peperit, vitam mortalibus edidit, cœlos innovavit, mundum purificavit, paradiſum aperuit, hominum animas liberavit! Facta eſt Mariæ humilitas ſcala cœleſtis per quam Deus deſcendit ad terras.] Sanè hic Auguſtinus virginitatis non meminit, & tot mira humilitati defert: quia ad omnia illa congruentiùs promerenda idonior eſt virtus, & proximiùs coram Dei oculis diſpoſuit Virginem, quàm ipſa virginitas. Nec ſine ponderatione tranſeundum id quod dicit: Facta eſt Mariæ Humilitas ſcala cœleſtis: nam quomodo ſcala, cum humilitas ſit virtus nil altum ſapiens, ima & abiec-

D. Aug. ſerm. de aſſump. Dom. in cat. D. Thom.

Digitized by Google

ta tenens, ac ſublimia fugiens? Cuius rei exemplum ſatis aptum præbuit Divus Raymundus Nonnatus, cùm, è longo martyrio veniens, merito Barcinone, & Cardonæ plauſu ſuſciperetur. Legat qui voluerit eius vitam à me cantatam, de qua pauca & ſolum opportuna carmina tranſcribo. Vit. D. Raym. Nonn. libr. 2. lem. 14.

Pompa triumphalis duxere & carmina feſta
Illum Cardonæ ſplendida tecta Ducis.
At non ille humilis pompam, non carmina vellet,
Non nitidam agnati Principis ire domum.
Torquet honos, ægrèque ſuos audire triumphos
Fert humilis, ſeſe qui putat eſſe nihil.
Comis at eſt virtus: grates vrbanus & ille
Dat populo, iunctis ſanguine datque viris.
Poſt inopem cellam, implumem ales vt anxia nidum,
Quem diù deſervit: ſic celer ipſe petit.

Nec refert quod ſcala in imis, vnâ extremitate ſedet, nam aliâ celſa tangit, & eâ vtuntur homines, vt ad altiora evehantur: quæ etiam hominum fraudulentèr humilium ſymbolum eſſe poteſt: qui vt honores & dignitates ſcandant, non Deo, nec hominibus propter Deum, ſe humiliant. Ad rem Boſquerius refert de Legato quodam, qui cum adorare nollet, & alloqui regem tamen vellet, anulum è digito in terram ſtudio expunxit, vt eum colligens, regem quidem adoraſſe videretur, re verâ autem anulum collegiſſe.] Itaque verum quidem eſt mundanorum ſcalam huiuſmodi eſſe, nec è cœlo venire in terram veluti deiectam, aut (vt meliùs dicam) pendulam, quia illorum humilitas, cum ficta & ad dolum compoſita ſit, nihil veritatis, nihil cœli habet. Vera enim humilitas longe eſt ab hypocriſi, & tantam cum veritate cognationem habet, vt ab eâ disiungi non poſsit. Vnde Diva Thereſia, vt legitur in eius vitâ, dicere ſolebat, Dominum Ieſum humilitatis amore incredibili teneri. Cur autem tantus humilitatis cultor & amator exiſteret, hanc eſſe rationem aiebat, quòd amaret ipſe veritatem: humilitas autem aliud non ſit, quam veritas, dum ſcilicet agnoſcimus, quàm parum re verâ ſimus, & nil penitùs à nobis ipſis hebeamus.] Humilitas autem Beatæ Virginis benè ab Auguſtino ſcala cœleſtis dicitur, quia vera eſt, quia è cœlo ſuſpenſa & miſſa eſt, vt illa quam vidit Iacob perſpica- Boſquer. Franc. Rib. lib. 5. c. 16. Gen. 28.

ciſsimus ſomniator, eique hærentem ſupernè Dominum, & in eâ repreſentantem in humillimum Virginis gremium, vt opportunè homo fiat, ſe deſceníurum. Ineffabile enim Incarnationis myſterium ſcala illa adumbrabat, vt Auguſtinus in prædictis verbis inſinuat, & aliorum Patrum mens eſt. Vel alitèr Mariæ humilitas ſcala cœleſtis dicitur, quia erat humilitas honorata, quò Epitheto illam ſuprà exornavit Bernardus: vtpotè iam exaltata ab eo tempore, quo fœliciſsima Virgo meruit ab Angelo audire, *Ecce concipies & paries filium*; & ideo cœlo fuit innixa & applicata, vt Deus ad terras deſcenderet, currens per omnes virtutum gradus, vſque dum ad profundiſsimum virgineæ humilitatis gradum, ipſe quoque humilis factus homo, & exinaniens ſe, pervenit.

5 Tandem, vt efficaciſsimum argumentum, Patres ipſam Virginem virginitati humilitatem prætuliſſe, notarunt, vt in his verbis Ambroſius: Mitem humilemque paritura, humilitatem etiam debuit ipſa præferre:] Et Carthuſianus, & Simon Caſianus, quorum teſtimonia capite antecedenti dedi, quibus modo addo Rupertum, qui de Chriſto Domino loquens, ait: Scilicèt dicturus erat ipſe: Diſcite à me, quia mitis ſum & humilis corde: ſimilemque ſibi matrem præparavit, quæ veracitèr diceret, *Quia reſpexit humilitatem ancillæ ſuæ.*] Itaque humilitas, quæ dicitur ſpiritualis ædificij fundamentum, non ſolum virginitati, ſed etiam alijs eiuſdem ordinis virtutibus, vt docet Divus Thomas, præfertur: nam rebus in omnibus præbet hominem ſubditum & patulum ad influxum divinæ gratiæ ſuſcipiendum. Virgo igitur per humilitatem potiſsimùm, plus quàm per virginitatem, ad Deum ſuſcipiendum, atque intra ſua ſacrata viſcera corporandum, diſpoſita erat: in quibus ſanè puriſsimis viſceribus, reperto ſibi & præparato ſolidiſsimo profundiſsimæ humilitatis fundamento, domum, vbi conciperetur, ædificavit: ex quâ ſanè omninò illæſâ clauſâque, poſt novem menſes, de pulcherrimo gratoque ſibi thalamo, tanquam ſponſus egrederetur. Quid mirum, quod Virginis humilitatem Deus reſpexerit, vt eam ad thronum, & mirabilem Matris ſuæ gloriam exaltaret, volueritque idoneam ſibi conſtruere domum, in quâ novem menſes habitaret: cum in progenitore Virginis Davide,

Rup. in Math. c. 1.

D. Thom. 2. 2 queſ. 161. art. 5.

vt

vt Chriſti progenitor eſſet, cui ſtabilem quoque thronum & imperium promiſit, eundem morem, humilitatiſque virtutem intuitus ſit. Etenim Nathanis Prophetæ ore ſic ad illum Dominus: *Fidelis erit domus tua, & regnum tuum vſque in æternum ante faciem tuam, & thronus tuus erit firmus iugiter.* 2.Reg.c.7. Cui ingenti & glorioſo admodùm promiſſo, quid David, niſi ſe ſubijcere & humiliare? *Quis ego ſum*, inquit, *& quæ domus mea*? Non modo ſe, ſed etiam domum ſuam depreſsit: quem humilitatis ordinem diſertè & acutè Sopranis odoratus eſt. Sopran.ibi. Magnus vt ipſe ſit à minimo incipit. Quis ego ſum? Domus vt attollatur, ad ima fundamentum deprimit. Et quæ domus mea?] Addam ego nobis hìc documentum dari, vt non modò nos, ſed vt res quoque noſtræ, à Deo augmentum & celſitudinem aucupentur, in omnibus humilitatem ſequi, & ſtabile huius virtutis fundamentum adijcere nos debere;quo iacto,nos,& res noſtræ tutò creſcent & augebuntur.

6 Nec importunè hic notavero à Simone de Caſia, in capite antecedenti laudato, Virginis humilitatem titulo feneſtræ donari. Quoniam à contrariâ feneſtrâ eius, inquit, ſe prima mulier cum omni ſua prole de arce bonitatis deiecerat. En humilitas & ſuperbia duæ feneſtræ ſibi mutuò inimicæ, & quidem iure: per feneſtras enim lumen domibus, & nobis habitantibus intrat, eædemque oculis deſerviunt, vt prætereuntes, & quid in plateis fiat, inſpiciamus. Neceſſe eſt ergo per humilitatis feneſtram in intimum cordis noſtri penetrale cœli lumen intrare: è contra vero tenebras & mentis cæcitatem per ſuperbiæ feneſtram. Vtriuſque rei ſit vtraque Virgo (Maria & Eva) nobis exemplo. Quis fando explicet, quàm altum, quàm celsùm, quàm ſupernum, quàm denique divinum, per humilitatis feneſtram in Virginis Mariæ pectus ſe lumen infuderit? Illa receptæ lucis munere, qualis eſſet illa Angeli nova ſalutatio, tot de ſe humillimâ miris cumulata præconijs, cogitavit, meditata eſt, & ſecum prudentiſsimè conſuluit. Illa divini conceptus, virgineique partus modum eodem lumine interrogavit, quæſivit examinavitque. Quis vero quantas tenebras, quantamque ignorantiæ noctem in miſerrimum Evæ cor ſuperbiæ feneſtra eiacularit, explicet? Hæc Virgo infœlix, quam talis dementia cæpit, per denſiſsimas vmbras ſpiſſam-

que tetræ noctis caliginem, inane ſerpentis promiſſum vidit: tunc, cum dicitur vidiſſe, verè cæca: poſtea enim ſimul cum faſcinato viro, oculos aperuit, & ſe nudam vidit. O quali quantoque gratiæ cæleſtis decôre,& ornamento! O irriſio! O pudor! Quando non ſpoliari, ſed facillimo negotio, eſu nempe pomi, ſplendidum Deitatis ſolium occupare ſperabat! Hæc denique miſera Virgo nihil de ſubdolo ſerpentis promiſſo cogitavit, nihil callidiſsimo nugatori obiecit, ſed viſu malè ad pomum traducto, cuius pulchritudinem, quæ vſui ad edendum non eſt; ſed aſpectui delectabile, admirata: quaſi vna illorum, cuius Deus venter eſt, mente prorsùs obcæcatâ, pomum arripuit, quo eſo, ſe in Deum evaſuram exiſtimaverat.

Gen.c.3.

7 Ex altero capite humilitatis feneſtra ſuperbiæ contraria feneſtræ apparet: ſe etenim quiſquis per humilitatem videt, contemptibilem & prope nihil ſe eſſe videt: nil ſibi arrogat aut de ſe præſumit, ſed quidquid eſt, quidquid in ſe boni habet, à Deo datore optimo accepiſſe cognoſcit, & gratus confitetur. At contrà, qui per elationis ſe feneſtram intuetur, alios deſpectui habet, quibus tùm naturæ bonis, tùm celeſtibus, arroganter præcellere præſumit; ſeque elevat, & quaſi à Deo non acceperit, gloriatur. Itaque de aliorum deſpectu nobis Sacra Scriptura clarum ob oculos ponit exemplum. *Cumque intraſſet*, inquit, *arca Domini in Civitatem David, Michol filia Saul proſpiciens per feneſtram vidit Regem David ſubſilientem atque ſaltantem coram Domino,& deſpexit eum in corde ſuo.* Per feneſtram vidit: qualem, niſi ſuæ ſuperbiæ? Id iam adverterat Sopranis: Vnde id, inquit, niſi ex ſuperbo faſtidio, quo à Saule digna patre filia non degenerabat.] Humilitatem ergo mariti ſui, qua ſe Domino ſubdebat, & coram illo humiliabat, vidit Michol: ſed quia illam vidit, per feneſtram ſuperbiæ proſpiciens, illam & Regem ſe humiliantem deſpexit. Nec ſanè reverita eſt, plena typho mulier, cui ſuus maritus ſe humiliabat: non enim feneſtra illa ad Deum, quamvis tunc in arca præſentem, illius oculos direxit: obliquo quippe intuitu quæ ſuæ gloriæ ſunt, non quæ Dei, videre facit. Quid ex hâc feneſtrâ reſpicientes ſperemus. Quid ab eâ mali non timeamus? Chriſoſtomus quidem aliquas res eſſe occul-

1.Reg.c.6.

Sopr.ibi.

Chriſ. Epiſt. ad Epheſ.c.5. ſerm.19.

tas,

tas, quas minimè ratio humana aſſequitur, advertit, & inter illas, hanc quoque ponit. Cum tantam celſitudinem, inquit, â tellure in cœlum vſque videntes, nihil mali patiamur: in turri tamen aliqua ſublimi conſtituti, mox atque terram deſupèr, vel modicè deflexi intueri voluerimus, vertîgo quædam nos & caligo prehendit. Cui veluti ænigmati, re ad ſpiritum deductâ, dicerem ego, vt illius nodum Gordium aliquomodo ſolvere auderem, in turri altâ & eminenti, ſuperbiæ feneſtram apto tropo & ſymbolo ſignificari: in terrâ vero deiectâ & humili, ex quâ reſpicimus, humilitatis feneſtram: quâ propter ex hâc nos in cœlum vſque videntes, nil mali experimur, nullam capitis vertiginem patimur, nulla oculos noſtros calîgo prehendit; ſed tantum, adeoque immenſum intervallum, ſudum purumque, cum cœleſti ſimul globo, nunc ſole, nunc lunâ, nunc ſtellis, micanti, blandè admodùm, delectabiliter, & abſque vllâ, vel capitis, vel oculôrum offenſione, quoties volumus, perluſtramus: aptus enim & ſecurus videndi & conſiderandi quæ ſupra nos ſunt, locus eſt humilitas. Cæterum ex ſupereminenti turri deflectere oculos, & quæ ſubter illam ſunt, & humilia videre, moleſtum eſt ſuperbiæ, ipſaque ad ima oculorum deflexio, vertîgo capitis eſt illi: quoniam quantùm oculorum ſubmiſsione ab elatione ſua cadit, tantùm pœnæ & caliginis patitur.

8 Denique humilitas virtus eſt gravis & ponderoſa, quæ ſuos quidem amicos deprimit: illos ſi in ſtatêra perpendatis, videbitis ſpontè eos ad ima trahere; ſecus ſuperbia ventoſum tumidumque vitium, ſectatores ſuos elevat; & palearum inſtar per aera aſcendere compellit, quos ſubinde nihil in ſtatêra ponderis habere experiemini, vnde de illis merito dicitur: *Superbia illorum aſcendit ſemper.* Talis eſt ſuperbus, vt deſcribitur ab Apoſtolo, *Inflatus ſenſu carnis ſuæ, & non tenens caput.* Vbi Divus Thomas: Rectè autem ſuperbia inflationi comparatur. Nam id quod inflatur, non habet ſolidam magnitudinem, ſed apparentem: ita ſuperbi videntur quidem ſibi eſſe magni, cum tamen verâ magnitudine careant, quæ non poteſt eſſe abſque ordine divino.] Talis fuit inflatio & tumor illius omnium ſuperbiſsimi Angeli: quid ille inflatione plenus niſi continuos prorſuſque ſibi impermeabiles aſcenſus ructavit?

Pſalm. 73.
1. Cor. c. 13.

Iſai. c. 14. vit? *In cœlum*, dixit; *conſcendam*, *ſuper aſtra Dei exaltabo ſolium*, *ſedebo in monte teſtamenti*, *in lateribus Aquilonis. Aſcendam ſuper altitudinem nubium.* Aſcende miſer, ne ceſſa, vt altius inde præcipitère. Soluis cæterùm iam dignum tuæ ſupbiæ ſupplicium. Ad infernum detraheris in profundum laci.

Lucifer en cecidit ſublimi excuſſus Olympo,
Corruit inde ingens ex Aquilone malum.
Sed quando non eſt experta ſuperbia caſum?
Quæ vel erunt meritis digna flagella ſuis?
Lucifer his quatitur: Sanctorum Regia gaudet:
Cælicus inflatos non amat ille chorus.
Voce tubæ Michael *reſonans* vexillifer *alta,*
Se peperiſſe canit laurea ſerta ſibi.
Luciferum vicit, *quem dira in tartara adegit,*
Diſcat vt in Stygijs infimus eſſe locis.

Sic ego de meo Archangelo Michaële, cuius nomine, quamquàm indignus, in Baptiſmate (cœlo vtinam!) renatus fui, olim iuvenis numerico anagrammate in eius laudem ludebam: in quo adverto, quod *Vexillifer Michael* his numeris 156. computatur; cui pari ſummâ reſpondet hæc laus; *Luciferum vicit*.

9. Quid ſperet, qui apertâ elationis feneſtrâ ſe introſpicit, niſi ſimilem huius Angeli caſum? Quid niſi Phariſæi aſpernantis publicanum, reprobationem? Quid niſi Evæ nuditatem? Quid niſi Baltaſaris inanitatem, qui *appenſus eſt in ſtatera, & inventus eſt minùs habens*? *Qui enim ſe exaltat*, Deo iudice & vindice, *humiliabitur*; *qui vero ſe humiliat, exaltabitur*. Hinc Virgo Maria ſuper omnes creaturas meruit exaltari, quia ſuper omnes ſe humiliare novit. Quod Rupertus, factâ Ieſſeæ virgæ (quo tropo nata ſignatur Virgo) cum altiſsimis cedris comparatione, optimè oſtendit. Quando enim nata es, inquit, de domo David, tunc egreſſa es de radice Ieſſe: quando inquam nata es, quæ tanto humilior es hominibus huius ſæculi, quanto virgâ quâvis minor, gracilior es grandibus cedris, & quercubus magnis, de quibus Propheta dicturus, Et egredietur virga, præmiſerat: Et excelſiòr ſtatûra ſuccidetur.] Vocatur quoque ab eodem Abbate humilium Regina: In quo no-

Dan. c. 5. Luc. 18. Rup. Cant. 1.

nomine ſuperioritas in humilitate & thronus declaratur, non quidem ſuper altas cedros, & celſa montium cacumina ſublatus, ſed ſubter humilium pedes demiſſus, quibus in humilitate prælata eſt Virgo: quippe ſic qui fuerit humilior inter humiles, ſolium ſibi ſternit. Denique quam profunda fuerit Virginis Beatæ humilitas, & ſupra omnium humilium humilitatem, aliunde niſi ex eius altiſsimâ Matris Dei dignitate, æquè colligi non poteſt. Si enim, vt docet Auguſtinus, Menſura humilitatis cuique ex menſurâ ipſius magnitudinis data eſt:] Magnitudo quidem, ad quam exaltata eſt Virgo, qualis eſt eſſe Dei Matrem, menſura eſt prope ſine menſura, vt profectò vix illius humilitas menſurabilis appareat. Auguſ. lib. de S. Virg c. 31.

EPITHETON IX. EX D. LVC. CAP. XI.

BEATVS VENTER QVI TE PORTAVIT, & vbera quæ ſuxiſti.

Cap. I. *Multa hic notantur, perſona ſcilicet laudans, occaſio Virginis laudandæ, venter & vbera quæ Beata prædicantur, & quare venter & vbera? Hinc fœminæ, quæ filios ſuos non lactant, carpuntur. An, mulier Incarnationis myſterium cognoverit, examinatur. Qualis ſit ventris, & virginalium vberum beatitudo: ac tandem an hinc Virgo Maria ab originalis peccati labe immunis oſtendatur?*

1. POSTQUAM Eliſabeth Virginem Mariam prædicavit Beatam, & poſtquam ipſa Virgo, propter divinum conceptum, quem genuit, & ingentia gratiæ dona & beneficia, quibus illam Deus cumulatiſſimè locupletaverat, ſe Beatam fore prædicandam aſſeruit: mihi non incongruè annectere his viſum eſt ſimile Epitheton, quo quædam mulier de turba, Marcella nomine, vt communitèr fertur, vel Stella, vt Alberto Magno placet, & Marthæ ancilla (de quibus ſub dubio relictis, nihil diſputo) Chriſti

Do-

Domini Matrem grandi voce laudavit: Extulit itaque vocem, & dixit: *Beatus venter qui te portavit, & vbera quæ ſuxiſti.*

2 Hæc equidem mulier, quæ in Evangelio ſine nomine eſt, & quædam dicitur, vt nullius forſan nobilitatis fuiſſe manifeſtetur, non parùm ſe, præconio in Virginis laudem edito, nobilitavit: namque divino afflata ſpiritu, dulciſsimum compoſuit & intonuit carmen, quo tota fidelium delectatur Eccleſia, & caſtiſsimum Deiparæ ventrem cum ſuaviſsimis ſimul vberibus celebrat. Nec oportuit, exiſtimo, vt Deus modò mulierem ſuæ Matris laudatricem aliquâ nobilitate conſpicuam elegerit: iam enim antea nobilem & ex clarâ Levitarum progenie Eliſabetham elegerat: quo pacto nobis innueretur, à ſummis & infimis, à nobilibus & plebeijs, ab omnibus denique ordinibus, nullo excepto, paruo & magno, Virginem ſummis laudibus ornandam eſſe, iuxta profeticum illius effatum: *Ecce enim ex hoc Beatam me dicent omnes generationes.* Verum eſt tamen quod à præclaris perſonis laus profecta, excellentior eſt ac probatior: nam, quamuis Deus, inquit Bernardus, minime acceptor perſonarum eſt: neſcio tamen quo pacto virtus in nobili plus placet. An fortè quia plus claret?] Non diſsimilitèr ego de verâ quidem & meritâ laude ſentio. Itaque Eliſabethæ ore, propter laudantis nobilitatem, quodammodo nitidior & clarior laus exorta eſt, cum dixit: *Beata quæ credidiſti.* Verùm non propterea ab ignobilibus ſincêra laudatio profecta deſpicitur. Cantatur ſanè, & ſemper cantabitur. *Beatus venter qui te portavit, & vbera quæ ſuxiſti*; quidquid hæretici in mulierem & in nos deſæviant, & obſtrepant deliri.

D.Bern.Epiſ. 113.

3 Et commodùm profectò mulier hæc, aliòqui imbellis, & ſexu fragilis, à doctrinâ Chriſti, & à viſo expulſi Dœmonis miraculo, pluſquam virilem concepit animum, minimèque importunam laudandi occâſionem arripuit. Ait enim Evangeliſta: *Factum eſt, cum hæc diceret: extollens vocem quædam mulier de turba, dixit illi: Beatus venter qui te portavit, & vbera quæ ſuxiſti.* De turbâ quidem dictum puto, non quo mulieris ignobilitas denotetur, ſed quo, locus in quo erat, & inter quos erat, & à quo tandem vocem extulit, oſten-

Digitized by Google

tenditur : videlicet, turbâ permiſtâ, inter Chriſti adverſarios, Scribas, & Phariſeos : qui, quamuis & ipſi confuſæ adeſſent turbæ, de generis claritate multum tamen præſumebant, vt quondàm ſibi ipſis blandientes, dixerunt : *Semen Abrahæ ſumus, & nemini ſervivimus vnquam* ; nec poterat inſuper fieri, vt in numeroſâ turbâ, præſertim Chriſto Domino prædicante, non eſſent multi nobiles, & genere clari. Itaque de turbâ, ſeu è medio turbæ, ſpretis Phariſeis, & Scribis, Chriſto Domino adverſantibus, & quidquid ab eis mali ſibi poterat evenîrè, nihil timens, fidei ac devotionis ſervôre mulier accenſa concionantem Dominum, & Matrem eius proclamare auſa eſt. Nec cum cæterâ turbâ Chriſti doctrinam & miraculum admirari, ſatis fuit illi, ſed elatâ voce coràm omnibus in laudem, & confeſsionem erupit : parùm enim elinguis admiratio prodeſt, cuius ſilentium ad ignorantiam reducitur. Verè de hâc Evangelicâ fœminâ non poteſt dici, quod de ſe Profeta Iſaias queritur : *Væ mihi, quia tacui, quia vir pollutus labijs ego ſum, & in mediò populi polluta labia habentis, ego habito* : id eſt, iuſta eruditi Patris Gaſparis Sanctij paraphraſim, Væ mihi, quia cum loqui debuiſſem, & Regis impij Oziæ exprobâſſe ſacrilegam audaciam, tamen conſtricta metu lingua, ſicut & multitudinis reliquæ, quam à libertate ſermonis aut metus, aut avaritia retardat, in Dei causâ ſilvit.] Non, inquam, poteſt dici, nam, cum debuit, locuta eſt, & liberâ metu linguâ, quo fortè, vel alio ſervili affectu, illam turba impeditam & pollutam habuit, compoſito in laudem Chriſti elogio, Phariſaicos divinæ doctrinæ & miraculi calumniatores exprobravit, refellit, exploſit. Quin etiam prudentiſsima fuit, non vltra crepidam, vt in proverbio eſt, ſed pro ſuo captu fœmineoque accommodatam ingenio laudem édidit : ſic quoque Deo intus inſpirante, qui ad ſui laudem rudes, idiotas, parvulos, ac infantes, quantum natura iſtorum patitur, inſtruit, dicente Regio Vate : *Ex ore infantium & lactentium perfeciſti laudem propter inimicos tuos, vt deſtruas inimicum & vltorem* : id eſt, vt exponit Genebrardus : vt perdas, & vlciſcâre hoſtes tuos, & qui tuæ gloriæ præconos inſectantur.] Cuiuſmodi erant Scribæ & Phariſæi : quod quidem modò per rudem huius mulieris linguam effecit.

Ioan. c. 8.
Iſai. c. 6.
Sanct. ibi.
Pſalm. 8.

Digitized by Google

4 Tamen elegantèr & ornatè illa Matrem & Filium laudavit, nam ſynecdoche vſa eſt, à partibus ad totum in laudatione progrediens, videlicèt ab vtero & vberibus, membris ad conceptionem & filij alimoniam ſuopte genio dicatis, integram perfectamque matrem conſtituentibus. Vnde Divus Bonaventura rogat, Cur Marcella iunxerit ventrem & vbera? Vt oſtenderetur, inquit, Virgo Maria fuiſſe Mater Chriſti vera & perfecta, quia non ſolùm genuit, ſed educavit, & ſicut verè educavit, ita verè genuit.] Audiant delicatulæ fœminæ, & optimam omnium Matrem, Virginem Mariam, ſi veræ & perfectæ matres filiorum ſuorum eſſe & dici amant, imitentur: animadvertantque non ſolùm eſſe genitrices, ſed etiam nutrices, vt duo plena lacte vbera ſibi data manifeſtiſſime teſtantur. Vel non me, ſed vt eas magis pudeat, Ethnicum Philoſophum Favorinum audiant, qui, vt memorat Aulus Gellius, matri nobilis puerperæ perſuadet, ſinat illam ſuo lacte puerum alere. Sic ergo illius eloquens ratiotinatio habet. Oro te, mulier, ſine eam totam integram eſſe matrem filij ſui. Quid eſt enim hoc contra naturam imperfectum atque demidiatum matris genus, peperiſſe, ac ſtatim ab ſeſe abièciſſe? Alviſſe in vtero ſanguine ſuo neſcio quid quod non videret: non alere nunc ſuo lacte quod videat, iam viventem, iam hominem, iam matris officia implorantem? An tu quoque putas naturam fœminis mammarum vbera quaſi quoſdam nævulos venuſtiores, non liberûm alendorum, ſed ornandi pectoris causâ dediſſe? Sic enim, quod à vobis ſcilicet abeſt, pleræque iſtæ prodigioſæ mulieres fontem illum ſanctiſsimum corporis, generis humani educatorem areſacere & extinguere cum periculo quoque averſi corruptique lactis laborant, tanquam pulchritudinis ſibi inſignià devenuſtet. Sed nihil intereſt (hoc enim dicitur) dum alatur & vivat, cuius id lacte fiat. Cur igitur iſte, qui hoc dicit, ſi in capeſſendis naturæ ſenſibus, tàm abſurduit, non id quoque nihil intereſſe putat, cuius in corpore, cuiuſque ex ſanguine concretus homo, & coalitus ſit? Quamobrèm non fruſtra creditum eſt ſicuti valeat ad fingendas corporis atque animi ſimilitudines vis & natura ſeminis, non ſecus ad eandem rem lactis quoque ingenia & proprietates valere. Neque in hominibus id ſolum, ſed

D.Bonav. hic. Dubium.

Gelliu. noct. Attic. lib. 12. c. 1.

Digitized by Google

ſed in pecudibus quoque animadverſum : nam ſi ovium lacte hædi, aut caprarum agni alantur ; conſtat fermè in his lanam duriorem, in illis capillum gigni teneriorem. Quæ igitur ratio eſt, nobilitatem iſtam nati modò hominis, corpuſque & animum bene ingeniatis primordijs inchoatum, inſitivo degenerique alimento lactis alieni corrumpere.] Sufficiant hæc quæ ex illo diſertè & longiùs ſermocinante decerpſi, vt mulieres poſt perpeſſo pariendi labore, parvulos ſuos non alieno lacte nutriant, qui ſanè multò minor labor eſt : qui & matrum ſaluti, & filiorum ingenitæ morum nobilitati expedit. Quin etiam, inſitivo degenerique alimento, non ſuos, ſed alterius matris filios eſſe factos, non abs re credi poteſt. Docet enim Iuriſconſultus Paulus, quod ſi arborem Titius traduxerit ab horto Caij in ſuum, arborem illam deſinere eſſe Caij: eo quod credibile eſt, inquit, alio terræ alimento aliam factam ; vnde Titij eſſe concluditur de cuius glebâ & horto alitur.] Cur ergo idem de infantibus ad alienum pectus traductis ac veluti inſitis, præſumi non poteſt? Avertant itaque hanc iuris præſumptionem, velintque deinceps matres eſſe integræ, nec dimidium materni nominis, perversè prodigæ, nutricibus, alioqui ſervis, ignobilibus, viliſsimæque indolis, dum fœtus vteri ſui alendos tradunt, tribuant.

5 Porrò morem huiuſmodi, veluti ſpurium, matribus indignum, à priſcis fœminis, iiſque præcipuè Iſraelitici populi ſanctiſsimis paritèrque nobiliſsimis, non acceperunt. Sara, eaque nonagenaria, lactavit filium, quem peperit, vt Scriptura Sancta refert. Fortiſsima quoque Machabæorum mater iuniorem inter alios fratres filium, ſic ad ſubeundam ob patrias leges mortem, adhortata eſt : *Fili mi, miſerere mei, quæ te in vtero novem menſibus portavi, & lac triennio dedi & alui.* Denique exemplo Saræ, inquit, loco citato, Divus Ambroſius : Provocantur fœminæ meminiſſe dignitatis ſuæ & lactare filios ſuos : hæc enim matrum gratia, hic honos, quo ſe proprijs commendent viris.] Denique eos plus amare filios ſolent (addidero ego cum Favorino) & à filijs plus matres amari, quos ipſæ matres vberibus ſuis lactaverint. Quod etiam poteſt rectè colligi, quia, vt ſcribit Lactantius : Ad nutrimenta naſcentis fontibus lactis fæcundum pectus exuberat.

Gen. c. 21.

Mach. 2. c. 7.

D. Ambr. lib. 1. de Abr. c. 7.

Lact. de Opif. Dei. c. 12.

Digitized by Google

rat. Nec enim decebat aliud, quàm vt ſapiens animal à corde alimoniam duceret:] Et inde (liceat mihi addere) matris lactantis amorem: cor enim officina amoris eſt. Præterea, ſecundum Chriſoſtomi ſententiam, Saræ propter hoc, & lactis fontes conceſsi ſunt, vt partum magis credibilem faciant: & ne quis ſuppoſititium eſſe puerum mentiretur: fontes enim lactis omnibus prædicabant, præter humanam expectationem hæc eveniſſe.] Heu quot ſemimatres, aut diminutæ matres, bonis, turpitèr ſe privant, nempe dignitate ſuâ, matrum gratiâ, honore & commendatione apud viros ſuos, pietate & amore erga filios, & filiorum erga ipſas: demumque manifeſto à lactis fontibus teſtimonio, filios eſſe ſuos quos lactant, minime vero ſuppoſititios, ſublatâ inde ſuſpicandi aut mentiendi cauſâ!

Chriſ. lib. 1. de Abr. c. 7.

6 Nimium in his immoratus ſum, ſed non extra chorum ſaltavi. Quid aliud ſuo præconio fecit Marcella, quàm Virginem Mariam à dignitate, à gratiâ, ab honore Matris tanti filij commendare? Quìd, quàm à pietate & amore erga filium, & filij erga illam? Quìd, quàm à ſuaviſsimis lactis vberibus natum eſſe ſuum illum quem lactavit, teſtimonium proferre. Preterea, cum Chriſtum Dominum cœleſti ſapientiâ præditum, altè de regno Dei & virtutibus diſſerentem, potenti dæmonem dominio propulſantem, formâ vultuque decôrum, ac vndequaque perfectum vidiſſet: ad oſtendendum Matris quoque dulciſsimos planèque cum omni perfectione ſanctiſsimos mores, non levi coniecturâ in laudatione addidit, *Et vbera quæ ſuxiſti*; quaſi hoc inſtructa argumento. In lacte, vt nemo negat, filij matrum mores hauriunt, & exugunt; Huius quidem quem video & audio, perfectiſsimi ſunt, & in eo pluſquam humana indoles & ſapientia, & virtus elucent: Illius ergo Mater dubio procul eſt perfectiſsima, & omni gratiâ ornatiſsima fœmina. Hinc autem colligendum nobis eſt mulierem ſuo encomio, Matrem in Filio, & Filium in Matre laudaviſſe: Matrem quidem in Filio, quia propter illum virgineo conceptum vtero, & lacte alitum, Beatum illius vterum, & vbera nuncupavit: Filium vero in Matre, quia ex lacte quod ille ſuxit, ſimiles Matris mores ſanctiſſimos in eo eſſe cum omni perfectione & ſapientiâ iunctos argumentata eſt.

Quem

Digitized by Google

7 Quem autem magis laudarit, Filium an Matrem? dubitari poteſt. Cardinalis Toletus magis laudaviſſe filium quàm Matrem aſſerere videtur, tùm, quia non Chriſtum ipſum mulier beatificat, dicendo: Beatus eſt tu, ſed matrem: ſic Chriſtum magis laudabat, quem talem ac tantum prædicabat, vt matrem efficeret Beatam. Tùm, quia Chriſtum ab ipſo conceptionis puncto ſanctum eſſe pronunciavit, dicens: *Beatus venter qui te portavit*, aſſeverans eſſe Beatum, ab eo quem portavit: ſi enim concepiſſet peccatorem, minimè Beatus, ſed infœlix miſerque venter diceretur. Tùm denique, in nativitate ſimiliter ſanctum commendavit, eodem Epitheto quo ventrem, laudans vbera, quia lacte ſuo, non peccatori, ſed Sancto alimoniam præbuerunt.] Vera ſanè eſt huiuſmodi reſolutio illiuſque rationes, ſiquidem propter quod vnumquodque tale, & illud magis, iuxta Ariſtotelis paræmiam, magis enim laudatur Chriſtus, à quo omnis laus in Matrem refluit, cuius tamen ſingularis laus eſt talem tantumque Filium meruiſſe, qui ventrem & vbera illius ſtatim ac conceptus natuſque eſt, beatificavit laudabiliaque effecit. Quod factum eſt admirabili Patris omnipotentis providentiâ, quâ, vt rectè Carthuſianus meditatus eſt, ſic prorſus Omnipotens ſapientiſsimuſque Pater, nil indecòrum in amantiſsimâ ſuâ filiâ relinquere volens, id quoque quod per naturam humilius extitit, per gratiam ſublimius fecit: & quod in ſe conſideratum videbatur inhoneſtius, divinitùs effecit glorioſius. Iam ergo nullus in te, ò inclyta, aut ſexum, aut vterum, aut vbera, immundiſsimâ mente contemnat, dum fœminei ſexus organum incomparabili flagrantiſsimâque caſtitate conſtipatum eſt, eò gratioſiùs cœlitùs perornatum, quò amplius eguiſſe cernitur.] Quis elegantem devotumque huius Patris diſcurſum omitteret? Alludit enim ad illud Pauli: *Quæ putamus ignobiliora membra eſſe corporis, & quæ inhonora ſunt noſtra, abundantiorem honeſtatem habent*; quod dicit Apoſtolus, quia ea maiori ſtudio veſtimus, atque ornare curamus. En vobis quo inſpiramine & ratione Chriſti Matrem, ab his partibus, nempe ventre & vberibus, mulier Beatam prædicavit: etenim eas quidem magnopere tanto filio decòras, & omni laude digniſsimas vidit, atque ſpecialiſsimâ Dei curâ amplius cæteris orna-

Marginal notes: Dubium. — Tol. in Comment. — Cart. de dign. Mart. 16. — 1. Cor. c. 12.

ornatas cognovit. Nam quis vnquam impolluto flore virgineo, aut non demeſſo, conceptus natuſque eſt? Quis vnquam vbere de cœlo pleno, aut lacte virgineo, niſi Chriſtus Dominus paſtus eſt?

8 Cæterùm, quia modò de mulieris cognitione, quâ in præſentem, non ſine Spiritus Sancti afflatu, laudem prorrupit, egimus: Operæ pretium eſt inquirere, Vtrum Incarnationis M[illegible]um cognoverit? A quo dubio, ſi venerabili Bedæ cre[illegible]us, clariſsimè ille nos expedit: ſunt equidem eius verba ab omnibus lecta, & à nullo, quem viderim, impugnata: tùm, & quod caput eſt, ab Eccleſiâ communitèr admiſſa & recitata, in quibus Myſterium cognoviſſe aſſerit. Magnæ, inquit, devotionis & fidei hæc mulier oſtenditur, quæ Scribis & Phariſæis Dominum tentantibus, ſimul & blaſphemantibus, tantâ eius Incarnationem præ omnibus ſinceritate cognoſcit, tantâ fiduciâ confitetur, vt & præſentium procerum calumniam, & futurorum confundat hæreticorum perfidiam.] Tamen hæc ſententia, dum à Doctoribus & Interpretibus non impugnatur, vel tacitè recipi videtur, vel tacitè reprobari: ſunt etenim multi, qui nullâ illius factâ mentione, contra ſentiant. In medium aliquos profero, & in primis Brugenſem, qui cognoviſſe Marcellam Chriſtum Virgine natum, apertè negat: ſed ſibi talem filium habere optaſſe, ob idque matrem, non patrem laudaſſe.] Caietanum dicentem: Aptiſsimè mulier laudat ventrem & vbera, quæ muliebria ſunt? quaſi illa nihil his altiùs intellexerit. Maldonatum, qui ait: Non nego maius aliquid de Chriſti Matre hanc mulierem cognoviſſe, & ſi id plerique negant: ſed illud certum omnem eius fœlicitatem ad ventrem vberaque retuliſſe, quaſi tàm fœlix, tàm Sancta etiam, ſi vis, futura non fuiſſet, niſi peperiſſet Chriſtum.] Prætereo hæreticos, quorum rabiem, furioſamque in Evangelicam mulierem impietatem Pater Caniſius contundit. Nihil ſane illi impij, & bonæ laudis oſores de piâ muliere ſentiunt, niſi carnalem affectum habuiſſe, neque mentem extra carnem egeſiſſe. Præterea de illius fide dubitant, aſſerentes, regnum Dei eiuſque iuſtitiam in carne poſuiſſe, optaſſeque tanti Prophetæ Matrem eſſe: quamobrem à Chriſto fuiſſe refutatam, vaniſsimè & ex proprio cerebro comminiſcun-

Dubium.

Bed. hic lib. 4. c. 49.

Brug. hic.

Caiet. hic.

Mald. hic.

Caniſ. de Virg Deip. lib. 4. c. 25.

cuntur. O boni, quando Deus velit, alienæ mentis interpretes! O Dialectici argutiſsimi? Nonne ita arguitis? Ventrem & vbera laudavit mulier; quæ ſunt corporis membra: ergo carnalem habuit affectum: ergo neque extra carnem mentem extulit: ergo de regno Dei & eius beatitudine carnalitèr ſenſit. O divinatores Pythonici ventroſique, potius quàm Logici! Neſcitis, quæ ſit materia laudis: & qui ſit laudis ſcopus & finis, ignoratis: vbi, quando, inter quos, præſentes laudis circunſtantias, maligna cæcitate omittitis. Venter & vbera, quæ pijſsima mulier laudavit, materia fuère laudis: finis quidem laudis, & quò mulieris laudantis collimabat intentio, Chriſtus fuit & eius Mater, atque approbatio & doctrinæ Chriſti confeſsio, demumque Scribarum & Phariſæorum, tàm doctrinam, quàm excluſi Dœmonis miraculum invidè calumniantium, clariſsima confutatio, vt ex ipſis loci & temporis circunſtantijs maniſeſtiſsimè appàret. Nec ſanè diſsimilis eſt altera illatio & conſecutio veſtra, quâ, quia ventrem & vbera commendavit, de mulieris fide dubitatis: optaſſeque talem, qualem prædicabat, habere filium fingitis. Quis talia inferat? Profectò illa mulier Catholicæ Eccleſiæ typus fuit. Num Catholicæ Eccleſiæ, Sanctiſsimorum Patrum, omniumque fidelium ſuſpicioſa & carnea fides eſt, vt de mulieris fide exiſtimatis? Laudant enim omnes Orthodoxi, Beataque Virginis Mariæ ventrem & vbera prædicant. Atqui talis omnium veſtrûm impudentia eſt, vt nec de Catholicâ Eccleſiâ forſan ſic ſentire ac blaterare vereamini. Sed ne, & illud quoque, quod ioco & contemptu dignum eſt, ſeriò tractare videamur: quid? Quando Æneas Phœniſſam de illo ſatis benemeritam laudavit: abs dubio, vobis iudicibus, Phœniſſæ pater eſſe optavit; Ille equidem à parentibus, quæ illam genuerunt, & à ſæculo in quo nata eſt, præconium compoſuit: tale enim eſt,

Quæ te tam læta tulerunt Virg. Ænei. lib. 1.
Sæcula? qui tanti talem genuere parentes?

9 His igitur prælusis, quod ad dubij reſolutionem attinet, venerabilis Bedæ ſententia improbari non poteſt, & illam Ianſenius amplectitur: Porrò hac commendatione (ait) mulier iſta, & veram Chriſti humanitatem ac Incarnationem confeſſa eſt, & aliquid etiam homine maius in ipſo admirandum Ianſ. in conc. Evang. c. 50.

eſſe,

Barrad.

eſſe, ob quod Beata ſit dicenda eius Mater.] Pater Barradas veroſimilem eſſe dicit. Deinde Eccleſia eâ vtens, non parum probabilitatis ei arrogat. Quin etiam ſi nobis, in hac re, coniecturis vti licet, cum mulier, vt omnium eſt conſenſus, illuſtrata Spiritu Sancto fuerit, cumque eius quoque inſpiratione Chriſti verbis crediderit, ac ferventiſsimâ devotione contra cœleſtis doctrinæ & miraculi adverſarios, vocem & laudem extulerit: ſane credibile admodùm eſt, magiſque divinæ inſpirationi conſonum, quæ illam tantâ devotione ac fide munivit, de myſterio Incarnationis ſimul inſtruxiſſe, vt Virginem eſſe Matrem cognoviſſet, cuius ventrem & vbera Beata prædicabat. Nec obfuerit quidem, in quo plures impingere videntur, quòd ventrem & vbera, quæ muliebria ſunt, duntaxat laudarit, nam ita ad Matris laudem, & mulieris laudantis ingenium, congruentiſsimè oportebat eo tempore, in quo Mater ſuaviſsimis moribus enitebat in filio: nec minus filius exuctis Matris moribus pijſsimis coruſcabat in Matre. Quandoquidem ad myſtérium miræ Incarnationis mulieri revelandum, ab illaque cognoſcendum, quod Virginis matris myſterium eſt, & filij, non viri, ſed Spiritus Sancti opera concepti: quid aptiùs, & mulieris captui acommodatiùs, quàm ei divinum Spiritum illud elogium inſpiraſſe: *Beatus venter qui te portavit, & vbera quæ ſuxiſti?* Quare ſi interrogemus, Cur illa viri in hac non meminerit laude? Optime omnium Cardinalis Toletus reſpondet: Non commendavit mulier virum ſed Matrem: inſinuabat enim Spiritus Sanctus per illam, Chriſtum per carnem, ratione cuius portabatur in ventre, & lactabat vbera, non habuiſſe patrem, ſed Matrem ſolam.] Si ergo id Spiritus Sanctus inſinuabat per illam, etiam ipſi mulieri inſinuaſſe, æquum erit credere. Hinc Brugenſis, Cornelij & aliorum interpretatio meritò reijcitur. Ille, vt ſupra annotatum eſt, ideo laudaſſe Mátrem, non patrem commentatur, quia ſibi mulier talem filium haberè optavit. Numquid, rogo, ſi ſimul patrem laudaſſet, ob id habere talem filium non optaſſet, aüt optare non poſſet? Ridiculus ſanè ſit, qui ita ſentiat. Itaque mulierem Spiritu Sancto inſpiratam, non ſine myſterij ſenſu & cognitione, ventrem & vbera laudaſſe, exemplo turbarum & puerorum canentium: *Hoſſannâ filio*

Dubium.

Tol. in Comment.

Math. c. 21.

Da-

Digitized by Google

David: Benedictus, qui venit in nomine Domine: Hoſanna in altiſsimis, poſſumus confirmare. Quippe de illis dicit Pater Maldonatus: Ego non dubito, quin turba non cœco & inconſiderato impetu conſuetudinis: Sed aut prudenti conſilio, aut, quod ſimilius eſt vero, divino quodam inſtinctu id fecerit, vt omnes intelligerent, quod David de futuro Meſsia prædixerat, impletum in Chriſto. Certum huius rei argumentum eſt, quod etiam infantes iiſdem verbis dicantur acclamaſſe, quod neque conſuetudine, neque humano conſilio, ſed ſolo divino afflatu facere potuerunt.] Similiter ego de muliere ſentio: multoties enim Chriſtum Dominum, aut turbis concionantem, aut coram eis miracula facientem, ex Evangelio ſcimus fuiſſe laudatum, numquam tamen huius mulieris laude; quæ, re vera, rem inauditam, & inſuetam (qualis eſt, Beatum ventrem & beata vbera Matris Chriſti acclamare) de medio turbæ, contra Scribas & Phariſæos, auſa eſt. Mald. hic.

10 Demum Venerabilis Bedæ, ſententia ex Alberto Magno magis fulciri poteſt, dum hic, & ſuper præſentis mulieris encomio, diſertè examinat, quæ ſit ventris beatitudo, & vnde proveniat quod iure Matri Dei attribuatur. Conſideremus ergo, inquit, quæ beatitudo ſit ventris quæ hic prædicatur. Conſtat autem quod actus primus fœminei ventris fœcunditas eſt. Qui actus ſecundum naturam primò inſtitutam concupiſcentiæ & corruptionis non eſt, quia concupiſcentia & corruptio per peccatum intraverunt. Sed beatitudo ventris in virtute divinâ eſt in ventris actu perfectiſsimo; vt nihil miſeriæ patiens, naturalem etiam fœcunditatem tranſcendens, ex Deo accipiat fœcunditatem, vt & florem vernantem habeat: virginitatem & fæcunditatem, divinæ fæcunditati ſimilem habeat in gaudio matris, & ſic nec primam ſimilem viſa ſit, nec habere ſequentem.] Ex his ego ſic infero: Si talis beatitudo ventris Mariæ eſt, quæ hic ab Evangelicâ fœminâ prædicatur, cognoviſſe videtur Incarnationis myſterium; nam totam ventris beatitudinem in actu primo perfectiſsimo, in virginitate & fæcunditate à Deo acceptis, quæ quidem in actu primo ante partum conſiderantur, Albertus Magnus conſtituit: & ideo mulier niſi divinitùs inſtructa, illiuſmodi tam excelſam ventris beatitudinem non poterat aſſequi, & ratione

X illius

illius Beatum prædicare. Vnde conſequentèr non præcipuè à partu, ſed prius à conceptu, quem Virgo Mater in vtero portavit, illius fœlicitatem meditata eſt: alioqùi, à toto illius actus perfectiſsimi tempore, nempe a beatiſsimi ponderis portatione incæpto, & decem propè menſibus conſumato, virgineus venter Beati laude carêret. Itaque devota mulier duos actus, ſeu portandi & ſugendi actiones, diſtinxit: vnam, quâ filium à Matre conceptum, verbo portandi explicat: alteram, quâ filij iam editi, candidiſsimâ vberum alimoniâ, ſeſe ſuaviſsimè mulcentis, partum demonſtrat. Quâ quidem diſtinctione, non modo ventrem divinè fæcundiſsimum, ſed etiam partum & vbera beatificavit: nam in filio vbera ſugente, partus exprimitur. Quo fit, non temerè, aut muliebri affectu, ſed cœlitùs edoctam, ventrem Beatum, ſimulque vbera proclamaſſe Beata. Si tamen obijciatur, eodem modo mulierem fuiſſe locutam, ac Caypham, qui licet Spiritus Sancti inſtan-

Ioan.c.11. tiâ dixerit: *Expedit vobis, vt vnus moriatur homo pro populo, & non tota gens pereat*; myſterium vero in illis contentum verbis, non intellexit. Reſpondendum cenſeo, homini improbo, & impio, iuſtè id eſſe negatum; at mulieri piæ & fideli laudis inſpiratæ ſenſum myſteriumque congruè intelligere conceſſum.

Dubium. 11 Nunc vero ex diſtinctis à muliere portandi & ſugendi actibus, quæri poteſt: Cur vnus Matri, alter autem filio tribuitur? Etenim matris eſt filium in ventre portare, qui propterea, dum eſt in ventre, ventris pondus dicitur: filij vero eſt, vbera ſugere matris; vnde bene mulier dicere potuit, *Beata vbera quæ te lactaverunt*; vt hoc quoque lactandi opus Matris eſſe actio ſignificaretur. Ita quidem eſt, attamen minus puto diceret lactandi verbo, & actione Matris ſignificatâ, quàm filij ſugentis actione dixit: quoniam in hâc, Matris lactantis filium actionem implicuit, & ſimùl expreſsit quàm dulcitèr, quàm ſuavitèr, quàmque peramantèr Chriſtus Dominus, cum erat Deus parvulus, cœleſtes Matris ſuæ Virginis Mariæ, vberum delicias tenello hauriebat ore, ſeque lacteo proluebat nectare; quodque interdum Matris vbera beatificabat: vnde non ab actione lactantis, ſatis illa prudentèr, ſed ab actione ſugentis, vbera eſſe Beata profeſſa eſt.

Ex

Digitized by Google

12 Ex quibus etiam beatiſsimis Matris & Filij actionibus, à muliere digniſsimè laudatis, præſentes olim Chriſti calumniatores confuſione ac pudore ſuffuſos fuiſſe: necnon futurorum perfidiam hæreticorum, qui iam prætcrierunt, & quorumcumque modò illos ſectantium, hiſque obſtinatè ſuccedentium, calcatam ac contritam iri, ſcribit Beda. Quippe Beatus Mariæ venter, quem portavit, & quem Beata vbera lactaverunt, verum eſſe illius filium, ab eaque vere carnem ſumpſiſſe, vnde verè quoque eſſe Theotocon & dici debere, contra Apollinariſtas, & Marcioniſtas; qui perfidè negabant, manifeſtè ſatis comprobant convincúntque.

13 Præterea ex Beato Virginis ventre, qui Chriſtum portavit, Matrem eius abſque primigeniâ culpæ maculâ conceptam fuiſſe, ſi rurſus verba Alberti Magni nuper laudata explanemus, non levitèr oſtendere poſſumus. Sic igitur ex illius doctrinâ, & eiſdem ferè verbis argumentum conficio: Fæcunditas fœminei ventris in actu primo ſecundùm naturam primò inſtitutam, corruptionis & concupiſcentiæ eſt expers, quia concupiſcentia & corruptio per peccatum originale intraverunt, iuxta illud, *In dolore paries filios*: Atqui fæcunditas ventris Mariæ in actu primo perfectiſsimo, eſt ex virtute divinâ, ſecundum naturam primò inſtitutam, nihil miſeriæ & corruptionis patiens, vi cuius fœlix venter Beatuſque prædicatur: ergo ex eius Beatiſsimo fæcundiſsimoque divinitus ventre, quod ſine labe originali concepta fuerit, optime infertur. Deinde, Beati ventris fæcunditas, non ſolùm tranſcendit naturalem fæcunditatem, quia illam habet Maria à Deo cum virginitate coniunctam, divinæque fæcunditati ſimilem, ſed etiam quia illam habet ſecundum naturam primò inſtitutam, ideſt miſeriæ & corruptionis expertem ex dono gratiæ, vt vndique nec primam ſimilem viſa ſit, nec habere ſequentem: ergo ex ventris beatitudine ab originali culpa immunis eſſe probatur. Nec taceam, quod ad hanc immunitatem ſtabiliendam, noſter Saavedra, doctus ac pius illius Defenſor, ſanctitatem corporalem, ex ventre & vberibus Beatis, iuxta mulieris elogium, adductis Thaumaturgi, & Alberti Magni teſtimonijs, in Virgine probat. O mirum revèra elogium, quod ſi verbis quidem paruum, laudibus tamen Deigenitricis Ma-

Gen.c.3.

Saav.de Concept. diſp. 3. ſect. 1. & 3. Thaum hom. 2. de Annun. A.b.Mag.hic.

riæ magnum exuberanſque eſt! Tu quoque ò fortunata mulier! Tibi enim paucorum verborum compendio Spiritus Sanctus puriſsimam ſponſam ſuam multis modis laudare conceſsit: per teque, velut illius inſtrumentum, ſimulque Orthodoxæ Eccleſiæ typum, digniſsimam Chriſti Domini Matrem, aptiſsimis tantæ dignitati laudibus, nos extollere docuit. Quid ſi ipſe Mariæ divinus Sponſus ventris & vberum, non ſemel in Canticis laudator fuit eximius? Quo ſecuto, & imitato, vt debemus, nemo nos deſpiciat, nec iure hæreticorum livor exprobret, cum dicimus: *Beatus venter qui te portavit, & vbera quæ ſuxiſti.*

Cap. II. *Chriſtus Dominus latentèr, eodem præconio quo mulier, Matrem ſuam laudat: apertè vero ſpirituali omnibus communi. Cur ita fecerit, ratio redditur. Expoſitio Patris Carthagenæ ſingularis non placet. Vnde ſimus vere beati, ad mores agitur.*

1 QUIA Chriſtus Dominus mulieri dicenti: *Beatus venter qui te portavit, & vbera quæ ſuxiſti*, reſpondit, *Quinimo beati qui audiunt verbum Dei, & cuſtodiunt illud*; Calvinus cæterique Novatores hæretici, quaſi ipſis, ex hâc reſponſione, elogij carpendi & reprobandi occaſio nata foret, turpitèr, ne grammaticè quidem verbis Chriſti Domini intellectis, datâ operâ in bonam fœminam, & præconium Virginis Spiritu Sancto elicitum, atque in Catholicos illo vtentes, invehuntur. Quamobrem illo adverbio, *Quinimo*, benè, & vt debet illigi, ſumpto: ſacrilega inſanorum capitum maledicentia peſſum it, & à pueris latinitatis tyronibus vapulanda venit. Itaque, *Quinimo*, non vt vult cum ſuis Calvinus, propriæ ſignificationis malè inſcius, negativam ſignificationem habet, quaſi eo Chriſtus Dominus Matrem ſuam Beatam eſſe neget, aut non verè, & rectè prædicari: ſoloſque eos aſſerat beatos, *qui audiunt verbum Dei, & cuſtodiunt illud.* Non ita quidem eſt, quin potius laudanti mulieri aſſentitur, & laudem approbat, & ideo

adij-

Digitized by Google

adijcit, potiori beatitudine, vt potè ſpirituali, audientes, & verbum Dei opere implentes, eſſe beatos. Hoc enim, *Quinimo* ſignificat, huiuſmodique vim habet, id eſt, imo potiùs: vel (vt apud bonos Authores paſsim eſt in vſu; atque ex voce Græcâ Sectariorum aliqui verterunt) idem valet ac, quòd magis eſt, ſicut Caniſius notavit. Can. de Virg. Deip. lib. 4. c. 25.

2 Præterea Pater Maldonatus exemplis optimè Hæreſiarcam refellit: cui etiam gratuitò donat, quod Chriſtus diſertis verbis dixerit: Non eſt Beatus venter qui me portavit, & vbera quæ ſuxi: ſed beati ſunt qui audiunt verbum Dei, & cuſtodiunt illud; nam neque tunc poterat hæreticus colligere, mulièris ſententiam Chriſtum negaſſe. Etenim ſicut ex eo quod dicit, *Miſericordiam volo, non ſacrificium*, colligi non poteſt, Deum ſacrificium nolle, ſed minus, quàm miſericordiam velle. Et ex eo quod dicit: *Non eſtis vos qui loquimini, ſed Spiritus Patris veſtri, qui loqnitur in vobis*, non ſequitur, non fuiſſe Apoſtolos qui loquerentur, ſed Spiritum potiùs Sanctum fuiſſe, qui in ipſis loquebatur: quoniam eiuſmodi locutionibus, id quod abſolutè negari videtur, non abſolute, ſed alterius comparatione negatur.] Similiter in præſentia, Mariæ Virginis venter non negatur Beatus, ſed minus eſſe Beatus dicitur, collatus cum beatis Dei verbum cuſtodientibus. Mald. hìc. Math. c. 9. Math. c. 10.

3 Cum igitur Chriſtus Dominus mulieris ſententiam approbarit, cur dicens: *Quinimo beati qui audiunt verbum Dei, & cuſtodiunt illud*, quaſi occultè & latentèr approbavit? Cui dubio ſolvendo optimam mihi rationem Brugenſis ſuggerere videtur. Ait enim: Reſponſurus mulieri Ieſus, non reprobat, aut corrigit elogium tanquam falſum, aut reprehenſioni obnoxium, ne veritati adverſaretur: ſed nec probat diſertis verbis, ne ſe, Matremque ſuam laudare videatur: ſed vt qui diſsimulat illud, & audire ac tractare nolit, tacet de eo: ingerit vero, & opponit illi aliud elogium tanquam certius, potius, & pluris faciendum.] Meritò, inquit, ne ſe, Matremque ſuam laudare videatur, quia, vt capite antecedenti oſtenſum reliquimus, illum magis, quàm Matrem ſuam, mulier laudavit, ad quem profectò eo encomio totam laudem reduxit, & ex cuius vberrimo beatitudinis fonte Matri ſuæ Dubium.

ſæ-

Digitized by Google

Cart. Luc. c. 11. art. 30. fælicitatem hauſit. Nam, iuxta Carthuſiani explanationem, perinde fuit ac ſi dixerit: Tanta eſt dignitas, ſanctitas, & perfectio tua, ò Chriſte, vt te ſatis commendare non valeam: ſed meritò etiam beatifico eam, quæ te meruit generare, cuius membra beatifica proteſtor ex tuo contactu, atque obſequio tibi impenſo.] Latentèr ergo, & eodem encomio, quo mulier, Chriſtus, adiecto meliore, Matrem laudavit: & providentiſsimè quidem, quia ſic mulièrem laudantem, ſeque ipſum à calumnijs & detractionibus Phariſæorum defendit, qui inſolentiùs, ſi manifeſtè approbaſſet, novo colore, in eum inſurgerent, quaſi non ſervatâ modeſtiâ, ſe quoque laudaſſet. Quo circa Hæretici, & Novatores, cum Chriſtus mulièris elogium ipſis reprobaſſe videatur, illam & Catholicos maledictis onerant eo Virginem laudantes: alioqùi ne Chriſto quidem parſuri. Deinde, quia Chriſtus eâ induſtriâ, expreſsâ nempe ſpirituali beatitudine omnibus verbum Dei audientibus, & illud facientibus communi, duo fecit: vnum, altiùs & liberiùs verbum Dei, quod prædicabat, & potentiam, quam expulſo Dœmone oſtendebat, commendare: planè ſuggerens turbis ſine carnis & ſanguinis admiſtione ſe veram beatitudinem docere: nihilque carnis cognationem ad eam conſequendam prodeſſe: ipſas verò turbas illam certiſsimè conſecuturas, ſi Dei verbum audiant, & operibus impleant.

4 Quod itidem fecit, quando ſibi nunciantibus, *Ecce Mater tua & fratres tui, foris ſtant, quærentes te*: reſpondit Math. c. 12. in diſcipulos extensâ manu: *Quicumque enim fecerit voluntatem Patris mei, qui in cœlis eſt, ille meus frater, & ſoror, & mater eſt.* Equidem his verbis Mariam eſſe Matrem ſuam minime negavit, ſed altiorem & beatiorem, quam carnis, eſſe ſpiritus propinquitatem, quâ etiam Matrem ſuam eſſe ſibi ſtrictiſsimè coniunctam, & fæliciùs ac diviniùs omnibus Patris ſui voluntatem facientibus, eſſe Matrem ſpiritualem, apertiſſime docuit. Quamobrem adverti velim, poſt fratres, & ſorores, matrem ſpiritualem locaſſe, quia cum matre filij, & cum filijs mater, ſtrictiori cognationis vinculo, quàm fratres inter ſe, nectuntur: ſubindeque ſublimior perfectiorque cognatio ſpiritualis ſignificatur, quaſi naturali proceſſu, à minus perfecto ad magis perfectum, à linea & gradu minoris perfectionis

Digitized by Google

tionis ad vltimum perfectionis gradum aſcendamus, in quo Virgo per charitatem cum Deo filio ſuo erat. Vnde, vt mihi videor, non malè coniectari poteſt, ex eo quòd Chriſtus Dominus, laudatâ Matre ſuâ à carnis propinquitate, non ſemel reſilierit, & genus ſpirituale commendarit, ſe ægrè ferre Matrem ſuam, non, vt pare erat, à ſublimiori propinquitate, quam cum eo habebat, commendari.

5 Alterum tandem quod fecit, meliori encomio Matrem ſuam extollere, nempe in verbi Dei auditione, & fideliſsimâ impletione, Beatiſsimam eſſe innuens: quia in hâc generali ſententiâ, *Beati qui audiunt, & cuſtodiunt*, quæ eſt præſentis temporis, illam iam eſſe Beatam aſſeruit: etenim auditio verbi Dei eſt quædam conceptio ſpiritualis conceptioni & portationi in vtero reſpondens: ſimiliterque impletio verbi quædam eſt lactatio ſpiritualis, vberum ſuctioni æquivalens, vt Albertus Magnus diſertè æquiparavit. Atque ita Chriſtus Dominus auditionem & impletionem Divini verbi in Matre ſuâ ad portatum ſui in vtero, & ad ſe lactandum, præceſiſſe oſtendit: quaſi mulieri inſinuarit: His anteactis & perfectiſsimè præſtitis, non tantùm me portando, & lactando, eſt, vt dicis, Beata, ſed etiam Beatior, & diſsimili beatitudine illius, quam ex meâ geſtatione & lactatione illi tribuis. Vnde Rupertus inquit: Hoc fecit quæ te, Chriſte, portavit: credidit enim verbo Dei, credidit Angelo evangelizanti omnipotentiam Dei, deditque credulitatis ſuæ feſtinum reſponſum: *Fiat*, inquiens, *mihi ſecundum verbum tuum.*] Et rurſus: At tamen perſeveranter, & irrefragabiliter dicimus, *Beatus venter qui te portavit, & vbera quæ ſuxiſti*: & bene dicimus ſcientes, quia hoſpitium ventris ſui, quod creatori ſuo præbuit, & alimoniam lactis ſui, quod ori eius miniſtravit, fide pretioſâ, & humilitate gratioſâ communivit, atque perornavit, complevit, & cuſtodivit, nullam habens vnquam ignorationem ſui.] Omitto Auguſtini, Bedæ, Chriſoſtomi, & aliorum Patrum teſtimonia, quæ paſsim referuntur; at ex Interpretibus, Caietani verbis concludam: Verbis Chriſti magis Virgo laudata fuit, in genere quidem, quàm verbis mulieris in ſpecie. Laudavit enim Chriſtus ex parte animæ, & liberi arbitrij gratiâ affecti: mulier vero ex parte corporis corporalia officia.

Ruper. in vol. quat. Evang. lib. 1. c. 4.
Lib. 1. in can. c. 1.
Caiet. hic.

Hæc

6 Hæc igitur cum ita ſint, & ab omnibus pro explicatu verborum Chriſti Domini mulieris elogio reſpondentis, acCarthag. lib 5 hom. 18. de dign. Matr. cepta: neceſſe eſſe duxi ſingularem Patris Carthagenæ expoſitionem, ad trutinam vocare. Itaque ille Scholaſticum agens, ait: Secundò poſſunt eadem Chriſti verba explicari, vt conſideretur Virgo tanquam Mater Chriſti, vt homo eſt, præſcindendo ab eo dignitatem perſonæ increatæ, ſecundùm quam conſiderationem, certum eſt non habere Virginem dignitatem aliquam, quæ cum dignitate filiorum Dei valeat comparari, quia illo modo non conſideratur vt Mater Dei: mulier enim, quæ Virginis vterum Beatum dixerat, nihil certè de Chriſti divinitate cogitabat: vnde antitheſis illa, *Beati qui audiunt verbum Dei, & cuſtodiunt illud*, contrapoſitio fuit preciſsè ad maternitatem Chriſti, vt homo erat. Hæc eſt eius expoſitio, quæ, ni fallor, cum Patrum, & Interpretum dictis, & conſequentèr cum verbis Chriſti Domini non poteſt componi. Tum quia verba Chriſti non poſſe ſub illâ præciſione capi, Patrum, & Interpretum expoſitio ſatis ſupèrque oſtendit: & quidem illa præciſio ad mentem verborum Chriſti eſt otioſa, & omninò ſuperflua, quia ſine illâ, & Chriſto Domino conſiderato, vt perſonâ divina eſt, & Virgine conſideratâ, vt talis perſonæ Mater eſt, ex Chriſti verbis ſignificatur potior beatitudò, ex impletione & auditione verbi Dei, his qui illud ſervant, venire, quàm eius Matri ex generatione, & lactatione Chriſti, etiam vt Deus eſt: vt latè à nobis hìc expoſitum & explicatum eſt.

7 Tum præterea, quia ſupponit Chriſtum Dominum cum illâ præciſione mulieri reſpondiſſe, quod divinatio quædam mihi videtur: & ſanè, quamuis talis præciſio fieri poſsit, non licet tamen expoſitori eſſe tan ingenioſo, vt non ſe ſenſui verborum conformet, & per abſtractionem (vt Dialectici loquuntur) eorum interpres ſit. Vnde fortaſsè quidam dixit: Improbè facit qui in alieno libro ingenioſus eſt.] Itaque non Mart, Epigr. lib. 1. Epiſt. ad lect. benè Chriſti ſententiam: *Quinimo beati qui audiunt verbum Dei, & cuſtodiunt illud*, antitheſin vocat, quaſi ſententiæ mulieris contradicat, cum potius illam approbet, & confirmet, ſupperaddens beatitudinem potiorem, quâ Mater ſua erat beatior, & omnes verbi Dei factores poſſent eſſe beati.

Ne-

Digitized by Google

Neque ſavet illa conſideratio Virginis (etiam ſi admittatur) tanquam Matris Chriſti, vt homo eſt, præſcindendo ab eo dignitatem perſonæ: quia non propterea adverbium *Quinimo* ſignificationem negativam habet: ſemper enim Virgo, adhuc vt Mater Chriſti, vt homo eſt, erat Beata, quippe etiam vt homo eſt, erat Sanctus, ſapiens, miraculoſus, atque ita in cœleſti doctrinâ, & demonis expulſione, viſus eſt mulieri; quamuis, vt vult Carthagena, nihil de illius divinitate cogitaret: vnde rectè à tali filio, tamque præclaro, Matrem digniſsimè prædicavit Beatam. Neque Chriſtus eſſe Beatam, etiam factâ præciſione, ſi reſpondiſſet, poterat negare. Annon matrum eſt fœlicitas, habere ſapientes, virtuteque omni ornatiſsimos filios, dicente Scriptura: *Filius ſapiens, lætificat patrem.* Tandem quod magis admiror in hac Authoris conſideratione, & præciſione, certum eſſe ſecundum illam, vt ipſe ait, non habere Virginem dignitatem aliquam, quæ cum dignitate filiorum Dei valeat comparari, quia illo modo non conſideratur, vt Mater Dei.] Quid inde? Numquid vt eſſet ſancta, & dignitatem filiorum Dei haberet, Matris Dei dignitate egebat? Nonne illa, antequam ad ſublimem Matris Dei dignitatem eſſet evecta, erat Virgo caſtitate admirabilis, virtutibus plenè decora, ſanctitatis ac humilitatis exemplum? Nonne illam ſalutavit Angelus gratiâ plenam, & inter mulieres benedictam? Numquid non invênit gratiam apud Deum, vt in ipſius, præ aliјs mulieribus, quamquam ſanctiſsimis, Matrem digniſsimam eligeretur: atque etiam, vt merito, ſaltim de congruo (ſicut Theologi loquuntur, & omnes aſſerunt) Mater Dei eſſe meruerit? Vndè rectè Albertus Magnus ait: Ex beatitudine conceptionis ſpiritualis cauſata eſt per modum congrui beatitudo maternitatis ſpecialis.] Et Divus Thomas: Dicendum, quod Beata Virgo dicitur meruiſſe portare Dominum omnium, non quia meruit ipſum incarnari: ſed quia meruit ex gratiâ ſibi datâ illum puritatis, & ſanctitatis gradum, vt congruè poſſet eſſe Mater Dei.] Profectò non video quid his ſit reſpondendum, niſi Author dicat, ſe etiam ſumere Virginem omni ſanctitate præciſam, ſive in puris naturalibus relictam. Attamen expoſitio verborum Chriſti non eſt ad has anguſtias redigenda.

Prov. c. 10.

D. Thom. 3. part. quæſt. 2. art. 11. ad 3.

Digitized by Google

8 Sententia igitur Chriſti, nec meliùs, nec veriùs, quam à Patribus exponitur, exponi poteſt: in qua nihil illa particula *Quinimo* adverſantis habet, ſed potiùs mulieris ſententiam approbatam includit, latentèrque encomio adauctam excellentiore, quo Chriſtus Matrem ſuam nos digniùs laudare, necnon quâ ex parte nos laudabiles rectè, verèque beati ſimus, docet. Nam quid generis claritas prodeſt, ſi virtutum nobilitas nobis deſit? Quid parentum ſplendor, & dignitas, & potentia, ſi omnia hæc vitiorum tenebris, & nigerrimis moribus obſcurentur in filijs? Quid corporis pulchritudo, vires, ſalus, deliciæque, ſi vitiorum ſunt fomentum, ſi vitæ ſpirituali non ſerviunt, ſi tandem damnando cum corpore & animâ, vt fumus dilabuntur? Quid tandem divitiæ, aurea laquearia, & vberes fundi, ſi hæc habentibus, obſervatio mandatorum Dei, quæ perpetuos cœlo redditus fructificat, deficiat? Sanè ex his omnibus laudem aucupari, & nos beatos exiſtimare, vanum eſt: nec ignoravit ille Auguſtus veræ Religionis Apoſtata, qui apud Amianum dicebat: Turpe eſſe ſapienti, cum animum habeat, captare laudes ex corpore.] Et nos ſolidiùs cum Sancto Rege quotidiè dicimus: *Beati immaculati in via: qui ambulant in lege Domini. Beati qui ſcrutantur teſtimonia eius: in toto corde exquirunt eum.* Et cum Eccleſiaſtico: *Beatus vir qui inventus eſt ſine macula, & qui poſt aurum non abijt, nec ſperavit in pecuniæ theſauris. Quis eſt hic, & laudabimus eum? Fecit enim mirabilia in vita ſua.* Nimirùm vnde beatos eſſe dicit, inde laudabiles facit: ſed cum quædam animi admiratione, quàm paucos egregioſque eſſe ſubiungit: eos, qui fugâ contemptuque divitiarum ſe commendabiles efficiunt, ſiquidem in contemnendis pecuniæ theſauris, mundi honoribus ac commodis, miraculorum patratores in vitâ ſuâ fuiſſe fatetur. Quaſi perinde reputet divitias ſpreviſſe, nec abiſſe poſt aurum, nec ab eo veluti ferrum à magnete trahi, ac miracula feciſſe. Vel ita ſentit, quia, vt rectiùs iudico, divitiarum contemptoribus, & cæcantem auri ſplendorem fugientibus, omnia Dei ordinatione præter rerum ordinem ſubduntur, & inſerviunt: quò pacto Divus Franciſcus, meus Parens Divus Petrus Nolaſcus, eiuſque filius Raymundus Nonnatus, & innumeri ſancti, in quibus recenſendis me deficiet dies, factores fuerunt miraculorum.

Amian. lib 25

Pſalm. 118.

Eccl. c. 21.

Con-

Digitized by Google

9 Conſequenter nec naturalia animi dona, ſtudiove acquiſita, quamquam meliora ſunt corporalibus, & fortunæ bonis, tanti ſunt facienda, vt ex illis fugacem laudem quæramus, & fælices nos eſſe putemus. Dicit enim Paulus: *Scientia inflat: Charitas ædificat.* Poterit ne, quod nos inflatione ſuâ difrumpit, beatos facere? Hoc enim à Charitate tantùm habemus, quàm ideo Apoſtolus ſcientiæ oppoſuit, quia huius inflationem ſanat, & procul tumorem abigit, reſtauratque quidquid illius faſtus mentis noſtræ deſtruxit. At nos homines, turgidæ bullæ ſimiles, ſupernatamus & extollimur ſuper aquas, quæ nos obruunt: oleo charitatis huiuſmodi munus ſupernatandi ſurripientes, aut male æmulari volentes; ſiquidem, vt docemur in Cantici, verè cecini: 1. Cor. c. 8.

Ridet aquas oleum, victorque ſupernatat vndas: Cant. 8.
Hinc flammæ ſponſi lampades ignis erant. Diag. D. Petr. Nolaſc. lib. 3. lem. 1.

Itaque ab ingenio, ſcientia, humanarumque artium cognitione, quàm a Charitate & Domini timore, in quo eſt vera ſapientia & fælicitas, malumus laudari: Res mira! Non ſemel Evangeliſta Ioannes ſe gloriantèr nominat: *Diſcipulum quem diligebat Ieſus*: & quidem ex hâc repetitâ deſcriptione, quis non crederet illum magis, quàm alios diſcipulos à Chriſto amari? tamen non ita eſſe aliqui opinantur, quorum opinionem Divus Thomas his verbis refert: Alij vero dicunt, quod Chriſtus plus dilexit Petrum quantum ad excellentius donum Charitatis: Ioannem vero plus quantum ad donum intellectus. Vnde ſimpliciter Petrus fuit melior, & magis dilectus, ſed Ioannes ſecundum quid.] En vobis quomodo Ioannes, non vtique propter ſe, qui humilis erat, ſed propter humanam conditionem declarandam, à minori dono, à dono intellectus, quod cum Charitatis dono comparatum, vix eſt donum, & ſecundum quid à Divo Thoma dicitur, quia ſine illo, non autem ſine Charitate, benè beatèque vivere poſſumus, ſe commendat, eſſeque diſcipulum quem diligebat Ieſus, valdè gloriatur. Idque nomen diſcipuli ſatis oſtendit: non enim dicit diligentem quem diligebat Ieſus, ſed diſcipulum, quia ob intellectus præſtantiam, ingenijque acumen ſolent diſcipuli à ſuis magiſtris ardentiùs diligi, ſub illoque nomine ad illos referuntur. Melior ergo & beatior Ioanne Petrus, qui & ſi in D. Thom. 1. part. quæſ. 20 art. 4.

Thaboris gloria, *neſciens quid diceret*, locutus eſt: nec aliam tunc, niſi ignorantis laudem habuit; tamen alibi à Chriſto Domino tèr rogatus an ſe pluſquam alij Apoſtoli amaret? Reſpondit prudentèr: *Tu ſcis Domine quia ego amo te*: id eſt, me amare te, etiam plus his, iudicio tuo relinquo: arbiter eſto tu amoris mei erga te, & amplioris dilectionis cognitor. Continuo vero (notatu quidem dignum!) ad trinam interro-
Ioan.c.21. gationem contriſtatus eſt Petrus. Rem profectò novam! Num in monte, parui intellectus, & ignorantis inſimulatus, alicuius mæſtitiæ ſignum dedit? Nullum quidem, cum tamen illiuſmodi tractari, non parum homines offendat & torqueat. Vnde quidam hùc reſpiciens, vere dixit:

Mart. lib. 8. Epigr.21. *Qui velit ingenio cedere, rarus erit.*

Cur ergo modo angitur, & mæſtitiâ afficitur, quando de amore, non de perſpicaci intellectu, non de ingenio acuto, non tandem de acquiſitâ rerum cognitione, quæſtio eſt? Quia videlicet Petrus erat, id eſt Petra, quo elogio illum Chriſ-
Math.c.16. tum Dominus exornavit, cum illi dixit: *Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam*, ſolidior ſanè homo, non vt cæteri, de illis donis muneribuſque, ſeu bonis ſecundum quid, ſe gloriantes: ſed meliorum chariſmatum æmulator, potiora eligens, inter quæ ſupereminet Charitas. Quamobrem, vbi vidit in dubium verti, an Chriſtum amaret, & plus cætèris, illum amaret? ſe in re ſibi gravi perculſum ſentiens, non potuit, non fortitèr contriſtari.

10 Itaque nihil refert quod doctus & magno ingenio ſis, ſi dono Charitatis, & timoris Domini careas: in his excellere cura, & donec horum ſis dives, nihil te habere puta. Quidam legis doctor duas quæſtiones propoſuit Chriſto Domino,
Luc.c.10. vnam: *Magiſter, quid faciendo vitam æternam poſsidebo?* alteram, *Quis eſt meus proximus?* Quid ille intenderit in hâc ſecundâ quæſtione, non tacuit Evangeliſta. *Ille autem volens*, inquit, *iuſtificare ſe ipſum, dixit ad Ieſum, Quis eſt proximus meus?* Forte aliquis ad hoc, quæſtionem addere, rem prorſus impertinentem iudicet: ſed non certe eſt, ſi rem benè perpendimus. Etenim ille, dicente Domino, *In lege quid ſcriptum eſt? quomodo legis?* primæ quæſtioni facere ſatis viſus eſt, vnde & ab eo meruit audire, *Rectè reſpondiſti*, quia doctum & legis

Digitized by Google

peritum ſe oſtenderat. Tamen id ſibi parum erat minoriſque pretij: reſtabat enim ſe oſtendere iuſtum, & ideo ſecundam quæſtionem adhibuit, ex cuius ſolutione iuſtus haberetur & approbaretur a Domino, quod valde optabat. Breviter ad hanc mentem Caietanus. Declaraverat ſiquidem ſe doctum, laudante Ieſu eius reſponſionem, ſecundum legem: ſupererat vt declararet etiam ſe iuſtum.] Itaque etiam ſi Chriſtus Dominus te doctoris laureâ, & ſapientis nomine dignum iudicet, non in hoc munere quieſcas, aut de illo, quaſi de re magnâ tibi graturleris: ſupereſt enim vt à tanto iudice de iuſtitiâ commenderis, & dicat, quod de Nathanahele dixit, te eſſe verum Iſraelitam, in quo non eſt dolus. Manifeſta te coram illo veris virtutibus iuſtum; alioqùi time, ne de te illam ſententiam proferat, quam illis protulit: *Væ vobis legis peritis, qui tuliſtis clavem ſcientiæ: ipſi non introiſtis, & eos, qui intrabant, prohibuiſtis.* Caiet. ibi. Ioan. c. 1. Luc. c. 11.

11 Præſtantior igitur rectæ laudationis, & bènè beatèque vivendi ratio in fide, in Dei amore, in ſervandis eius præceptis extat: nihil horum disiungendum, nam Fides recta, & quæ convenit ad ſalutem, ſine operibus ſanctis nequit conſiſtere, ſicut nec Charitas in viatoribus ſine Fide vivâ. Hinc malè Calvinus, & peſsimi Sectarij nobiſcum Catholicis (vt apud Caniſium locis ſupra citatis legitur) de elogij mulieris vſurpatione expoſtulant, quòd ad laudem Virginis ſeiunctìm, omiſsâque correptione, illo vtamur: dicunt enim in verbis Chriſti Domini, *Quinimo beati qui audiunt verbum Dei, & cuſtodiunt illud*, eſſe verborum mulièris correptionem. At illi ſplendidè mentiuntur, vt ſatis à nobis oſtenſum eſt, & modo addo: Numquid Dei filius corriperet, quod ipſe fecit? Etenim ipſe caro factus vterum Virginis Matris ſuæ, & vbera mortali editus luci ſugens, mirum in modum conſecravit. Quis niſi impius ſit, vti illi ſunt, qui talem vterum, talia vbera laudanda beatificandaque neget? Quod autem hæc laus, *Beatus venter qui te portavit, & vbera quæ ſuxiſti*, ſeparata à ſententiâ Chriſti Domini, *Quinimo, &c.* Sumatur, eâque omiſsâ, in laudandâ Virgine fideles vtantur, dum nobis hæretici vitio vertunt: ſane ipſi Phariſaicos calumniatores ſe eſſe oſtendunt, quippe non alitèr Virginis laudibus oblatrant, ac illi

illi Chriſti Domini verbis, & miris operibus obſtrepebant Neque enim illud Virginis elogium, ita ſeiunctim ſumimus, vt non præ oculis potiorem beatitudinem habeamus, quâ Chriſtus, vt oſtenſum eſt, Matrem ſuam laudavit. Atqui laudatori, vnum quidem glorioſum factum, aut virtutem, alijs non memoratis, canere & celebrare licet, & paſsim vſu venit. Ideo fideles, admirabili Incarnationis myſterio attenti, quod in intaminato Virginis vtero celebratum eſt, eo ſolo interdum commendato, cantant: *Beatus venter qui te portavit, & vbera quæ ſuxiſti.*

12 Ex his vtique videre poſſunt hæretici, nihil eſſe hic reprehenſibile, ſed merito reprehenſionem in eos reflecti. Cæcias ventus, cui Plutarchus inimicos, & detractores comparat, ad ſe trahit nubes, quas perflat: ſimiles ergo huic vento hæretici probra & maledicta, quæ iniquiſsimo animo in alios conijciunt, in ſe ipſos, nolint velint, regerunt. Scilicet illi meritò caſtigandi carpendique ſunt, qui loca Scripturæ Sacræ obſcura, non ex alijs clarioribus interpretantur; nam vt Divus Auguſtinus monet: Vbi apertiùs aliquid ponitur, ibi diſcendum eſt, quomodo in locis intelligatur obſcuris.] Itaque, provt illis lubet, nullâ rectè interpretandi regulâ obſervatâ, nec locis Scripturæ cum alijs eiuſdem collatis, non ſecus ac ſomniorum interpretes (comparatione & verbis Divi Baſilij vtor) ad id reſpicientes quod ſibi propoſuerunt, eorum quæ ſecundum quietem viſa ſunt, interpretationes afferre ſolent.] Hinc, exempli causâ, quando Sacra Scriptura de Fide loquitur, ea loca, in quibus nihil de operibus ad noſtram iuſtificationem neceſſarijs agitur, non collata cum alijs, quæ opera luculentèr expoſcunt, inconſiderantèr arripiunt, ad ſuam inſaniam, & hæreſim trahunt, neglectoque aliorum locorum lumine, quaſi palmâ iam adeptâ, cæci ſibi plaudunt. Si vero in aliquem locum, vt in præſentem, *Beati qui audiunt verbum Dei, & cuſtodiunt illud*, incidant: in quo Chriſtus Dominus fidem & opera, vt ſimus beati, ſeu in hac vitâ iuſtificemur, dubio procul expoſcit, mirum eſt quantum deſipiant, & in lucem meridianam cæſpitent. Mitto eorum referre deliria, quæ apud Caniſium legi poſſunt. Sed vt ipſi magis invidiâ rumpantur ac diſcrucientur: ſemper nos cum Evangelicâ mu-

Plut. de inim. emol.

D. Aug. lib. 3. de doct. Chr.

D. Baſil. Exham. conc. 9.

Caniſ. de B. V. lib. 4. c. 25.

mulière, in Virginis Matris eiuſque divini filij laudem cantemus: *Beatus venter qui te portavit, & vbera quæ ſuxiſti.*

EPITHETON X. EX D. MATH. CAP. I.

CVM ESSET DESPONSATA MATER IESV Maria Ioſeph.

Cap. I. *An Virgo Beata in Ioſephi domum iam ducta, & celebratis nuptijs, Chriſtum conceperit? Sententijs Patrum memoratis, probabilior eligitur, & defenditur. Aliqua dubia ſoluuntur. Virginem ſine Ioſepho comite ad viſitandam Eliſabetham iter peregiſſe, nec illi ſuum de Spiritu Sancto conceptum revelaſſe, magis mihi probatur. Cauſam dimittendæ Virginis fuiſſe Sponſo ſuo adulterij ſuſpicionem, conformiùs Evangelio eſt.*

1. SUPRA De hoc egimus Epitheto, modo de eodem iterum non incongruus redit ſermo, quia alitèr ibi, & alitèr hìc apponitur: ibi enim affixum eſt Virgini, dicente Divò Luca: *Miſſus eſt Angelus Gabriel ad Virginem deſponſatam*; hìc autem Matri datum eſt, Divo Mathæo dicente: *Cum eſſet deſponſata Mater Ieſu.* Et quidem tunc non erat Mater, ſed modo jam Mater eſt, in vtero habens de Spiritu Sancto. Cur ergo quæ Mater erat, deſponſata etiam dicitur? Videlicet, vt ex ipſo Epitheto, quia ipſa ſimul Virgo, & Mater erat, intelligeremus: Virgo vtique deſponſata ante conceptum: & Mater quoque deſponſata, id eſt, Virgo poſt conceptum. Profectò Epitheton deſponſata, iuxta Chriſoſtomum & alios, idem ſonat quod viro incognita. Vnde, quod Abulenſis notavit, Lucam expreſiſſe Virginem deſponſatam, ſecus Mathæum qui non niſi dicendo, inventam eſſe in vtero habentem de Spiritu Sancto, Virginem expreſsit; parum refert: non enim hoc dixit, quia illud Dubium. Abul. hìc.

Epitheton non ſatis Virginem explicaret : ſed propter Ioſephum , cui Virginis Matris myſterium nondum revelatum erat.

Dubium. 2 Sanè res operoſior maioriſque dubij (propter diſſentientes Patrum ſententias.) An Virgo deſponſata in Ioſephi domum traducta , & iam celebratis nuptijs , Chriſtum conceperit ? Itaque prima ſententia eſt illorum , qui aſſerunt Virginem deſponſatam in domo Ioſephi habitare , & nondum celebratis nuptijs concepiſſe : & fundantur in more antiquo , & Iudaico , iuxta quem , non celebratis nuptijs , ſponſæ ſponſis domi cuſtodiendæ tradebantur. Sic Divus Chriſoſtomus, qui hæc verba Mathæi , *Antequam convenirent* , in hunc modum exponit : Non dixit Evangeliſta , priuſquam in ſponſi domum adduceretur : intus enim iam erat. Hunc quippe morem plerumque tenebat antiquitas , vt ſponſæ in domibus ſponſorum haberentur.] Chriſoſtomum , ſecutus eſt Divus Thomas , qui ait : Quamuis eſſet domi habita propter primam deſponſationis fidem , nondum tamen intervenerat ſolemnis celebratio nuptiarum.] Similiter Divus Bernardus ſcribit : Mos ſiquidem Iudæorum erat , vt à die deſponſationis ſuæ , vſque ad tempus nuptiarum , ſponſæ ſponſis traderentur cuſtodiendæ, quatenus earum ipſi , eò ſibi pudicitiam curioſiùs ſervarent, quò ſibi ipſi fideliores exiſterent.] Sic quoque Anſelmus hic, & Euthimius , & Caniſius. Favet inſuper huic ſententiæ Divus Auguſtinus , aſſerens nuptias differri ſolitas , ſponſâ iam domum ducta : quod probat vxoris Abrahæ exemplo , quam Pharao domi habebat , ſed inviolatam , quia mos erat , non niſi poſt annum accedere ad promiſſam thalami conſortem. Quem eundem morem Hieronymus , & Lyra confirmant. At vero , vt minimùm , duos menſes à die deſponſationis , vſque ad matrimonij diem currere ſolitos , Albertus Magnus docet. Antiqui igitur moris rationem Divus Auguſtinus reddere videtur , dum ait : Inſtitutum eſt , vt iam pactæ ſponſæ non traderentur ſtatim , ne vilem habeat maritus datam , quam non ſuſpiravit ſponſus dilatam.

Chriſ.hom.4. in Math.

D. Thom. 3. part. quæſ.29 art.2.

D.Bern.hom. 2.ſup.Miſſ.

Cani.deDeip. Virg. libr. 2. c.11.

D. Auguſt. in quæſt. ſupr. Gen.

D. Hieron. in tradit.Hebr.

Lyr. in Gen. c.12.

Aug. confeſ. lib.8.c.3.

3 Secunda ſententia Virginem deſponſatam , neque in Ioſephi domum traductam , neque Chriſtum Dominum celebratis nuptijs concepiſſe , opinatur. Sic Origenes , Hilarius, Ba-

Baſilius, Epiphanius, Abulenſis, Arias Montanus, & alij. Horum Authorum fundamentum ex verbi Græci proprietate deſumitur, quod deſponderi ſignificat, non nubere. Virgo ergo, cum eſſet deſponſata, vt dicitur in Evangelio, nupta non erat, & conſequentèr nec domum Ioſephi ducta. Tum ex eo quod Angelus Ioſepho dixit: *Noli timere accipere Mariam coniugem tuam*: id eſt, noli timere in domum tuam traducere, vt ipſi interpretantur. Idem arguit Arias Montanus ex his verbis, *Antequam convenirent*; Quia more Iſraelitico, inquit, convenire dicuntur ſponſi, cum vxor domum ducitur.] Similiter Abulenſis ex alijs verbis: dicit enim, non erant nuptiæ celebratæ, nec Virgo traducta in domum Ioſeph, cum dicatur, quod *nolebat eam traducere*.] Caietanus etiam verba Angeli, *Noli timere accipere Mariam coniugem tuam*, de acceptione, quâ poſt nuptiarum ſolemnitatem coniuges aſsiduo convictu, & in eâdem domo habitant, interpretatur. Similiter Evangeliſtæ verba, *Cum nollet eam traducere*, de traductione, ſive in exemplum infamiæ, ſive in domum, ſive vtroque modo, quód putat verius, exponit. Tandem Simon Caſsianus, & Baronius huic ſententiæ adhærent.

Abul. in Math. quæſt. 33.

Caiet. hic, & in 3. part. D. Thom. nup. cit.

Caſsian. lib. 2 c. 16. & 18.

Baron. tom. 1 Annal. in appar.

4 Tertia ſententia Virginem deſponſatam domum à Ioſepho ductam, & iam celebratis nuptijs Chriſtum concepiſſe tenet. Ita Ambroſius, Theophilatus, Auctor operis imperfecti, & moderni Interpretes, Maldonatus, Cornelius, Barradas, ferèque omnes Theologi. Itaque hæc ſententia mihi amplectenda, & defenſanda ſuſcipitur, quia firmioribus fulcris niti videtur. Et quidem in Evangelio, Ioſeph Virginis vocatur vir, non autem Sponſus: & Virgo hic coniux vocatur: *Noli timere accipere Mariam coniugem tuam*: & infra, *Cum deſponſata ſibi vxore prægnante*: quæ nomina à nuptijs celebratis trahuntur, vt ex ipſo vſu notum eſt. Præterea ratio ſuadet: Nam videns Ioſeph Virginem vterum ferre, *voluit occultè dimittere eam*: rogo, poterat ne dimittere, quam apud ſe in vxorém traditam non habebat? Ergo domi habebat, iam ſibi connubio iunctam. Deinde, ſi Virgo non eſſet Ioſepho domi habita, illius famæ, & honeſtati non eſſet benè conſultum: de viro enim ſuo non concepiſſe, quilibet liberè poſſet ſuſpicari; & ſanè vt omnes ſentiunt, vt hæc ſuſpicio om-

ninò amandaretur, de coniugatâ Virgine Chriſtus Dominus naſci voluit: ergo cum Virgo Chriſtum concepit, iam celebratis nuptijs, & domi habita, coniux erat Ioſephi. Accedit ad hæc, quod Virgo acceptâ Angeli ſalutatione, protinùs abijt in montana cum feſtinatione Eliſabetham ſalutatum: atque ita valde veroſimile eſt nuptias eſſe celebratas, quia ad Virginem deſponſatam Ioſeph ſalutatio facta eſt. Nec obeſt, quod deſponſata dicitur: etenim Evangeliſtarum mos eſt, illam deſponſatam coniugem, & vxorem vocare, ob eam rationem quam huius initio Capitis ex Chriſoſtomo attulimus. Tum, quia aliquod tempus à deſponſatione vſque ad Angeli ſalutationem interceſsit: eoque temporis intervallo credibile maximè eſt nuptias ritu illius gentis fuiſſe celebratas: quandoquidèm nec ad aliud tempus fuiſſe dilatas ex Evangelio colligi poteſt: quinimò non fuiſſe dilatas ex tribus menſibus tranſactis aptè colligi poteſt, quia à viſitatâ Eliſabethâ, poſt illud tempus Virgine redeunte, apparuit Ioſepho ignotum ſibi vteri pondus, quâ de causâ Virginem gravidam voluit occultè dimittere, & feciſſet, ni Angelus illi fluctuanti in ſomnis opportunè occurreret, dicens: *Noli timere accipere Mariam coniugem tuam, quod enim in ea natum eſt de Spiritu Sancto eſt.* Virgo ergo iam tunc temporis Ioſephi erat coniux, alioqui Angelus non addidiſſet coniugem tuam accipere, id eſt acceptam habere, nec domo tuâ dimittere.

5 Nunc, ſi quomodo poſſumus, contrarijs huic ſententijs reſpondendum eſt. Itaque conſuetudo illa gentium in cuſtodiendis ſponſis vſque ad tempus nuptiarum, quam negat Caietanus, quia ex Scripturâ Sacrâ probari non poteſt, etiam ſi ob tantorum Patrum circunſpectam authoritatem concedatur: tamen non inde continùo conſtat, Virginem à Ioſepho domi habitam, non celebratis nuptijs, Chriſtum concepiſſe: cum enim ignoremus, quantum temporis præceſerit, inter deſponſationem & Angeli ſalutationem, in eo temporis ſpatio potuit Virgo domi cuſtodienda Ioſepho tradi, celebrarique nuptiæ, hiſque ſolemnitèr peractis, ab Angelo ſalutari: in re quidem dubiâ, cur non ſic eveniſſe exiſtimandum eſt, præſertim cum conceptus Virginis, eiuſque honor meliùs ac tutiùs ſub hoc ordine defendatur. Quod autem deſponſata dicitur,

Vbi nup.

mi-

Digitized by Google

minimè infert non fuiſſe nuptam, & Ioſepho traditam, cum Chriſtum concepit, vt altera ſententia vult in propietate verbi Græci nitens: tùm, quia deſponſata etiam dicitur, quando dubio procul domi erat habita, vt cónſtat ex profeſſione, quam cum Sancto marito ſuo Ioſepho fecit, dicente Luca, Quod *aſcendit Ioſeph, vt profiteretur cum Maria deſponſata ſibi vxore prægnante.* Tùm, quia vt notavit Pater Maldonatus, non ſemper proprietas verbi illius Græci obſervatur. Tùm denique, quia vxorem ducere, modus eſt loquendi, qui à traductâ vxore in domum viri, origenem trahit. Expoſitionem verò horum verborum, *Noli timere accipere Mariam,* ſatis conſtat ex noſtro argumento eſſe non poſſe, Noli timere in domum tuam traducere: quia quam cogitabat occultè dimittere, domi habebat, & in coniugem acceptam, vt arguit & exponit Divus Ambroſius. Vel ſenſus eſt, Noli timere, quam mente iam dimiſiſti, domi retinere, ſicut Chriſoſtomus, & Theophilatus recte interpretantur. Argumentum quoque Ariæ Montani ſolutum eſt, nam *Antequam convenirent*, de traductione in domum nequit intelligi: imo iam Virginem fuiſſe traductam, inde Chriſoſtomus collegit. Præterea, Convenire hìc, vt ſequentia Evangeliſtæ verba apertè oſtendunt, eo honeſtiſsimo verbo coniugum copulam denotari, nemini non eſt manifeſtum: vnde & impiè Helvidius, quaſi conſequens fuiſſet neceſſarium, intulit: ergo poſtea convenerunt. Et quidem huiuſmodi verbum in ſenſu maritalis copulæ Divus Hilarius accepit, dum ſic explanat, Antequam tranſiret in coniugis nomen; quod dixerim, quia aliqui non in hoc ſenſu locutum ſentiunt.

Luc. c. 2. D. Ambr. lib. 2. in Luc.

6 Tandem Abulenſis, & Caietani fundamentum nullius eſſe roboris videtur. Etenim communis expoſitio eſt, quam ſic Divus Thomas approbat: Quod dicitur, *Et nollet eam traducere*, meliùs intelligitur, id eſt, Nollet eam diffamare in publicum, quam quod intelligatur de traductione in domum.] Et ex Auguſtino, Arias Montanus ſcribit: Nolebat Ioſeph Virginem ſibi deſponſatam, conſanguineam, honeſtis parentibus, & ſui amantibus ortam, in exemplum ſtatuere ignominiæ familiaris: quippe res occulta adhuc erat.] Præterquam hæc expoſitio eſt conformis verbo Græco, quo etiam Divus

D. Thom. loc. cit. Ex Aug. epiſt. 54.

 Pau-

Digitized by Google

D. Paul. ad Hebr. c. 6. Paulus, ad idem ſignificandum vſus eſt: *Iterum crucifigentes filium Dei, & publicæ ignominiæ exponentes*; vt habet verbum exemplare, quod Vulgata vertit, *oſtentui habentes*. Denuò Caietanus obijcit: Virgo Maria poſtquam manſit cum Eliſabethâ quaſi menſibus tribus, reverſa eſt in domum ſuam; ergo non in domum Ioſeph, in quam, ſi iam fuiſſet traducta, profectò reverteretur. Cui obiectioni, ſi aliundè non ſumat vires, facile reſpondetur, domum ſuam dici Ioſephi domum, iure matrimonij cum illo contracti: præcipuè aſſerente Caietano, Virginem eſſe deſponſatam Ioſeph, non ſponſalibus de futuro, ſed per verba de præſenti: eſſeque adeo illius legitimam coniugem, & cum eo converſari, vt licitè, abſque vlla nota potuiſſent, ſi voluiſſent, conſummaſſe matrimonium, quia alitèr non fuiſſet bene conſultum famæ Beatæ Virginis.] Quæ ratio optima eſt, & fortiùs convincit in domum Ioſeph iam fuiſſe traductam, ad illamque poſt illos tres menſes reverſiſſe: nam vt arguit Angelicus Magiſter: Sicut in eâ, quæ in domo viri concipit, intelligitur conceptio maritalis: ſic in eâ, quæ extra domum concipit, eſt ſuſpecta coniunctio. Et ita non fuiſſet ſufficientèr proviſum famæ Beatæ Virginis, per hoc quod fuit deſponſata, niſi etiam fuiſſet domi habita:] ergo, multo minus iam coniugata.

Luc. 1.

Caiet. in Math. c. 1.

D. Thom. loc. cit. ad 3.

7 Inſtat rurſus Caietanus: Famæ & Virginis pudori ſatis eſſe proviſum, quia rationabilitèr apparet Ioſephum cum illâ domum Eliſabeth adijſſe, & tres ferè menſes ibi habitaſſe. Nam ſi, edicto a Cæſare Auguſto publicato, deſponſatam vxorem comitatus eſt: eadem prorſus ratione, quando abijt in montana, illam debuit comitari. Et ideo, poſt illud tempus, illis redeuntibus, Virgo ex Ioſepho gravida putabatur: ipſe autem cum ſciret conceptum non eſſe ſuum, voluit occultè dimittere eam.] Hæc tamen Caietani ratio, licèt ſufficientèr famæ Virginis provideat, conceſsâ Ioſephi cum Virgine profectione, de quâ nobis poſtea diſputandum eſt, contra ſe habet manifeſtum inconveniens, nempe Ioſephum ex ore Eliſabethæ dicentis: *Vnde hoc mihi, vt veniat Mater Domini mei ad me?* Virginis Matris myſterium cognoviſſe. Vel, ſi caſu aliquo, cùm exclamavit Eliſabeth, Ioſeph non erat præſens, poſtea à familiâ, tanto miraculo admiratâ, audiviſſe, &

didi-

Digitized by Google

didiciſſe, & trium menſium illum non potuiſſe latère convictu, peſpicuum eſt. Itaque cum ex Evangelio conſtet, vnde & quomòdo ſponſa ſua conceperit, ignoraſſe; non rectè arguit Caietanus ex illâ profectione ad cenſum ſolvendum, ad hanc viſendæ Eliſabethæ causâ ſumptam. Etenim ad tributi ſolutionem viri, & mulieres recenſebantur: vt autem Virgo viſitaret Eliſabeth, conſorte viro, nullove certè comite indigebat, ſicut poſtea clariùs explicabimus. Redarguit vero Pater Suarez, Caietanum: Certè ſi nondùm cohabitabant, non eſt admòdum veriſimile Ioſephum iuiſſe cum Mariâ, & habitaſſe cum illâ in domo Zachariæ: cur enim in alienâ domo ſimul habitarent, qui non habitabant in propriâ? Sed hæc debilis quidem eſt obiectio: nam vix dubitari poteſt, quòd in domo cognatæ vrbanâ, opulentâ, & omni pietate inſtructâ, eodem hoſpitio cum Virgine ſponsâ ſponſus quoque admittendus foret. Imo Virgo non honorificè exciperetur, vt ab Eliſabeth excepta eſt, ſi ſimul cum comite viro in eâdem domo non recepta fuiſſet. Adde ad hoſpitis honorem ſervorum comitatum intra eandem domum cum illo excipi, & habitare conſuetum eſſe: multo ergo magis inſeparabile viri, & vxoris conſortium. Suar. loc. cit. 3. part.

8 Dixi paulò ante Caietani argumento, ſi aliunde non ſumeret vires, facilè reſponderi poſſe: poteſt namque illas, non in favorem illius, ſed adverſum noſtram reſumere ſententiam. Quia ſi quando Virgo Beata domum Eliſabeth profecta eſt, in domo Ioſephi habitabat, ſicut aſſerimus: ipſa, vt erat humilis, & obedientiſsima, à coniuge ſuo facultatem proficiſcendi peteret, & Chriſoſtomus, apud Carthuſianum, & Ianſenius petijſſe aſſerunt: vnde prudenti coniecturâ apparet Mariam ſuæ feſtinæ profectionis cauſam Ioſepho manifeſtaturam, & manifeſtaſſe opinatur Gerſon: deinde, Ioſephum illam incomitatam ire non relicturum, ſed ſe fidum charæ vxoris lateri ſocium additurum. Sanè horum quodlibet fateamur, cum Evangelio non conſentit: etenim Virgo fingendi neſcia, & veri amantiſsima, quid pro itineris causâ, niſi quidquid ſibi ab Angelo cœlitùs erat revelatum, proferret? Et quid Ioſephus Virgini aſsiſtens ab Eliſabethâ audiret, niſi, *Vnde hoc mihi, vt veniat Mater Domini mei ad me?* quod iam

à con-

à coniuge ſuâ cauſam profectionis patefaciente didicerat. Cum ergo ex Evangelio manifeſtè pateat, quod tota dimittendæ vxoris, & pavidæ Ioſephi ſuſpicionis cauſa fuerit, ſponſam in vtero habentem inveniſſe, rem ſibi omnino improviſam: conſequens fit, quod in Ioſephi domo, cum profecta eſt, non habitabat, proindeque, nec quod ad illam reverſa eſt.

9 Profectò huic argumento reſpondere poſſemus, Ioſephum in domum Eliſabeth, cum coniuge ſuâ Virgine Mariâ iuiſſe, vt tenet Divus Bonaventura, Viguerius, Suarez, Hieronymus Natalis, & alij: & myſterij, quod in eâ Spiritus Sanctus operatus erat, ab ore ſponſæ, vel ab ore Eliſabeth, conſcium fuiſſe: negare tamen hinc inferri aliquid Evangelio oppoſitum, quia dimittendæ Virginis cauſa, vt intendit argumentum, non fuit Ioſepho adulterij ſuſpicio, ſed magna potiùs veneratio, iuxta opinionem Origenis, Baſilij, Theophilati, Gerſonis, Viguerij, & aliorum, quam etiam probabilem putat Bernardus, deſumptis ab Origine his exemplis, tum Petri, qui admirans Chriſti potentiam, & maieſtatem, dixit: *Exi à me Domine, quia homo peccator ſum*: tum Centurionis dicentis: *Domine, non ſum dignus, vt intres ſub tectum meum*: atque ita ſimiliter Ioſephus reverenti ſtupôre in ſponsâ ſuâ aliquid præſentiebat cœleſte, & quaſi miraculum ſubodoratus, quod gerebat in ventre, non opus hominis, ſed divinum eſſe præſumebat. Ad huiuſmodique ſenſum, non violentèr, ſed dulcitèr, à virtute mirâque caſtiſsimæ Virginis ſanctitate, quam bene perſpectam, ſatiſque expertam habebat, trahebatur; vnde illius, quam non more humano fœcundam iudicabat, indignum convictu ſociali ſe reputans, & ne alijs cordis quoque ſui ſecretum aperire cogeretur, eam occultè voluit dimittere. Qua propter (Simon Caſsianus de Virginis Mariæ, lib.2. cap.16.) ait: Sancta enim puritas agitabat eum, non aliqua ſiniſtra ſuſpicio de Mariâ. Supra intellectum ſuum attollebantur geſta, quæ in Virgine videbatur advertere.

D. Bonav. in medit.c.5. Vig.in Theol. inſt.c.20.§.9. Suar.in 3.par. quæſ.29.diſp. 7.ſect.2. Hier.Natal.in die Viſit. Orig.hom. in diver. Baſil.de hum. Chriſ.gen. Theoph.Math c.1. Gerſ. de inſt. feſt.D.Ioſeph. tom.4. D.Bern.hom. 2.ſup.Miſſ. Luc.c.5. Math.c.8.

10 Nec pro hâc Patrum ſententiâ fundamenta deſunt: Nam vt Hieronymus, & Bernardus arguere videntur: Ioſeph de caſtitate Mariæ certus fuit: ſi enim eam adulteram fuiſſe cognoviſſet, & non traduxiſſet, fuiſſet iniuſtus, quia ſecundum

dum legem, non ſolum ſceleris actor, ſed etiam conſcius, obnoxius eſt peccato, ſi taceat. Dum ergo Evangeliſta affirmat Ioſephum eſſe iuſtum, atque ob id Mariam non traduxiſſe, innuit quod de caſtimonia ſponſæ ſuæ non dubitavit. Præterea, ſi Chriſtus Dominus, noluit Iudæos de ſuæ Matris pudicitiâ ſiniſtrum quid ſuſpicari, eam Ioſepho deſponſando: probabile eſt quod non permiſerit iuſtum Ioſephum de tantâ Virgine opinari adulterium: ergo non aliâ de causâ voluit dimittere, niſi quia Virginis contubernio ſe reputabat indignum. Arguit etiam Simon Caſsianus, Ioſephum nil indignum de Virgine ſponsâ iudicaſſe, quia malè ſuſpicantibus in ſacrâ paginâ, Deus ſua myſteria non revelat, vt Ioſepho revelavit.

11 Contra tamen arguit Pater Barradas: Si propterea relinquere vxorem Ioſephus volebat, quòd divinitùs concepiſſet, non dixiſſet Angelus: *Noli timere accipere Mariam coniugem tuam: quod enim in ea natum eſt, de Spiritu Sancto eſt*: reſpondere enim poſſet Ioſeph, ideo ego illam dimittere volo, quia ex Spiritu Sancto concepit: non enim cum eâ habitare audeo, quæ tantæ ſanctitatis, & dignitatis eſt. Deinde, Evangeliſta affirmat Ioſephum, quia vir iuſtus erat, noluiſſe eam traducere, id eſt infamiæ notâ afficere: ſed voluiſſe duntaxàt dimittere: ergo ſuſpicatus eſt conceptum illum, non laude, ſed ignominiâ dignum eſſe. Præterea hæc opinio, dum humilitatem Ioſepho tribuit, prudentiam tollit. Si enim Ioſephus ex Spiritu Sancto concepiſſe noſſet, imprudentiæ fuiſſet maximæ illam dimittere. Quo enim velo myſterium tunc tegeretur.] Tamen ad primum reſponderi poteſt. Quod Angelus à Ioſepho humilitatis ſuæ timorem excuſſit, dicens: *Noli timere accipere Mariam coniugem tuam*: ſicut excuſſit à Virgine, quando illam ſalutavit. Ad ſecundum facilius reſpondetur, traducere ibi, iuxta plurium expoſitionem, eſſe ad ſe, vt cum illâ in eâdem domo habitaret, adducere. Vel noluiſſe traducere, quia aliquid mirum, & inſolitum ex ſanctitate ſuæ ſponſæ coniectabat, vt nuper dictum eſt. Ad tertium, quod ſe indignum tanto myſterio reputare, humilitatis eſt, non imprudentiæ: eſſet vero, ſi poſt admonitionem Angeli in humilitate perſeveraſſet, volens dimittere, quam propter myſterium apud ſe retinere debebat. Talis ſane fuit Ioannis Baptiſ-

Bar. lib. 8. c. 5

tæ humilitas, nolentis tingere Chriſtum in Iordane, ſed ab eo tingi: talis quoque fuit humilitas Petri in lotione pedum; at vterque de myſterio à Chriſto inſtructus, repugnare deſtitit.

Num. 8. huius cap.

12 Nunc ad argumentum quod contra nos erat, quia præter pium illud tantorum Patrum effugium, aliud Evangelio conformiùs habemus, reſpondeo, quod Beata Virgo, quæ in Ioſephi conſortis ſui domo habitabat, quamuis proficiſcendi domum Eliſabeth, ſi non abſens erat, ab illo facultatem petierit: ſatis vidit, vt prudens, ac oculatiſsima erat, non ſibi opus eſſe aliam prætexere cauſam, quam Eliſabetham cognatam ſuam viſitare, nullâ de ſterilis vetulæ, nec de ſuo divino conceptu factâ mentione. Sin erat abſens, vt creditur, quia tunc temporis, quod paſchale fuit, ſolymitanum, vt erat mos, adierat templum: perſpicuum eſt Beatam Virginem, non comite ſponſo, domum Eliſabeth petijſſe. Verum quomodolibet obtigerit, ſive quia domo aberat, ſive quia domeſticis præpeditus occupationibus, ſive ob alias tandem cauſas, Evangelium quidem incomitatam iter peregiſſe Virginem, nobis perſuadere videtur, ſiquidem in eo Ioſeph miſterij ignarus oſtenditur; & cum illa, quam ſuſpicabatur adulteram, quia iuſtus erat, habitare timuiſſe, ne & ipſe ſuſpecti criminis reus fieret. Nec Evangeliſta Ioſephum feſtinantis Virginis comitem tacuiſſet, ſicut non tacuit, quando ad deſcriptionem à Cæſare Auguſto decretam, Bethleem Civitatem David profectus eſt. Oportebat enim, etiam ipſi Ioſepho, ſponſæ ſuæ Virginis cœlitùs fœcundæ myſterium ad tempus celari, & ad clariorem Matris ſuæ gloriam, quod ille dubius violatæ fidei à ſponſâ ſuâ in ſuſpicionem, Deo ſic permittente, incidiſſet: alioqui maturiùs miſiſſet Angelum, qui myſterium illi revelaret: ſed neque Virgo Beata maritum varijs cogitationibus, ob fœtum, quem in illâ videbat, exortis, hùc atque illùc fluctuare ſineret. Quo in caſu exiſtimo Ioſephum, propter comprobatam ſuæ ſponſæ ſanctitatem, illi de ſuâ puritate teſtificanti, ſive vnde concepiſſet aperienti, facilè fidem daturum.

D. Hier. Math. c. 1.

13 A quo cogitatu non longè abeſt Divus Hieronymus, cum dicit: Teſtimonium eſſe Mariæ, quod Ioſeph ſciens illius

caſ-

caſtitatem, & admirans quod evenerat, celat ſilentio, cuius myſterium neſciebat:] ergo ab ea edoctus, & crederet, & celaret. Cui etiam Chriſoſtomus clariſsimè ſuffragatur: O inæſtimabilis, inquit, laus Mariæ! Magis credebat Ioſeph caſtitati eius, quàm ventri eius, & magis gratiæ, quàm naturæ. Conceptionem manifeſtè videbat, & fornicationem ſuſpicari non poterat: poſsibilius credebat mulierem ſine viro poſſe concipere, quàm Mariam poſſe peccare.] Qui ergo de ſuâ ſponsâ, tàm altè dignèque ſentiebat, quomòdo ei dicenti, ſe de Spiritu Sancto concepiſſe, non crederet? Si dicatur, Chriſoſtomum modò opinari, Ioſephum Mariam fuiſſe adulteram putaſſe, modò de illâ non potuiſſe fornicationem ſuſpicari; Carthuſianus reſpondet, quod primum referendum eſt ad tempus quo vidit illam prole fœcundam: ſecundum verò referendum ad tempus excuſationis receptæ, & ſanctitatis penſatæ. Itaque Divi Chriſoſtomi varia ſententia nobis, qui loquimur caſu in quo Beata Virgo, quomodo concepiſſet, non revelaſſet, non officit, ſed potius favet. Addit ipſe Carthuſianus: Dubium enim non eſt quod interior gratia, ſanctitas, caſtitaſque Mariæ mirabilitèr ac potentèr refulſit, non ſolum in eius vultu, ſed in toto corporis geſtu, & apparatu: in tantum quod qui eius converſationem advertit, fornicationem aut crimen aliquod de ipſa ſuſpicari non potuit.] Rectè quidem, & adeo eſt verum, vt eloquentiæ Princeps dixerit: Nonne, vt ignis in aquam coniectus, continuò reſtinguitur, & refrigeratur: ſic refervens falſum crimen in puriſsimam, & caſtiſsimam vitam collatum, ſtatim concidit, & extinguitur?]

Chriſ.hom.1. in c.1.Math.

Carth. Math. cap.1.

Cicer. orat.3 pro Q.Roſ.

14 Hactenus probabilitèr piam Patrum ſententiam defenſavimus: tamen conſonantior Evangelio, iamque ferè communis ſententia eſt, Ioſephum vbi gravidam vidit Virginem, ſtupri ſuſpicione permotum, voluiſſe illam occultè dimittere: vnde Angelus, vt Baptiſta Mantuanus elegantèr canit, ſic eum admonuit:

Bapt.Mantua. parth.1.lib.2.

Sancte ſenex, quæ tanta tuam veſania mentem
Impulit, vt tantum credas in Virgine crimen?
Pone leves animos, claudique ſub illius aluo
Diſce Deum: ſicut virides produxit Aronis
Virga carens humore comas, floremque coruſcum:

Sic ignara viri divinum regia Virgo
Semen, & æthereos accepit viſcere partus.
Cœleſte eſt quod cernis opus, tuque ipſe miniſter,
Et cuſtos vtrique datus, Nato atque Parenti.
Sic maternus honor, ſanctæque illæſa manebit
Fama pudicitiæ: neu quis temerarius auſit
In caput illius quicquam crudele minari.
Adde quod à Stygijs neſciri manibus iſtos
Vult Deus ingreſſus: occulto tartara Marte
Venit, & ardentem debellaturus Avernum.
His igitur curis liber ne deſpice ſanctum
Virginis os, & dulce decus, moreſque venuſtos.

Aug. ſerm. 16. de ver. Dom. Ex Patribus pro hâc ſententiâ do clariſsimum Divi Auguſtini teſtimonium: Attende, ait, quemadmodum vir iuſtus, tanto flagitio, quod de vxore fuerat ſuſpicatus, tanta benignitate pepercit, antequàm ſciret, vnde illa conceperat, quia gravidam ſenſerat, & ſe ad illam non acceſiſſe noverat: reſtabat itaque certa adulterij ſuſpicio. Mariti dolor non vindictam quæſivit: voluit prodeſſe peccanti, non punire peccantem.] Chriſoſ. hom. de Suſan. Do etiam aliud Chriſoſtomi: Aliunde eſſe credebat, quod de ſe non eſſe ſciebat, & alium de adulterio ſuſpicabatur. Quare dignus fuit ab Angelo corrigi, quia nonnulla erat malevola ſuſpicio. Qui benevolè ſuſpicatur, vinci cupit. Tunc enim benè lætatur, quando falſum inventum fuerit, quod male ſuſpicabatur. Talis erat Ioſeph circa coniugem ſuam, cui corpore non erat miſtus, ſed tamen fide iam fuerat copulatus.] Nec ſi dicatur, Ioſephum ſic prius de Virgine ſuſpicatum fuiſſe, poſt vero receptâ excuſatione (vt nuper variam Chriſoſtomi, ſententiam Carthuſianus interpretatus eſt) ſanctiſsime de Baſil. loc. cit. num. 9. illâ ſenſiſſe: quod etiam Baſilius videtur confirmare, qui ait: vtrumque Ioſeph reperit, & conceptionem, & cauſam ex Spiritu Sancto. Quamobrem hoc ignorans ab initio, talis nominari maritus metuens, voluit etiam occultè dimittere, verens patefacere quæ circa eam acta fuerant.] Non, inquam, ſi dicatur, ſatis Evangelio per illam temporum diſtinctionem fit, quia cùm Ioſeph in eodem dimittendæ vxoris cogitatu, & ſiniſtrâ ſuſpicione perſeveraſſet vſque ad Angeli in ſomnis apparitionem, de Spiritu Sancto Virginem concepiſſe docentis, à

ſuſ-

Digitized by Google

ſuſpicione quam initio conceperit, nunquam receſſit, in ea ne quidem breviſsimo tempore ſtetit, pro vt ex admonitione Angeli colligitur: quæ commodum facta eſt, eo de dimittendâ vxore ob adulterium ſuſpectum cogitante. Etenim curæ providentiſsimo Deo fuit, hominem iuſtum, & peccare timentem, acri dolore ex ſuſpicione exorto, intus in cordis penetralibus, multo ſe torquêri tempore non permittere: ſimulque fœdam de ſuâ intemeratâ Matre ſuſpicionem ab eo pellere, & penitùs abolêre.

15 Hinc etiam concluditur, Virginem non manifeſtaſſe (vt opinatur Gerſon) ſponſo ſuo Ioſepho vteri ſui pondus eſſe divinum, & cœlitùs infuſum: quia iuxta Evangelium, timor ille Ioſephi Sanctus, erat timor cohabitandi cum adulterâ, quam talem ignarus myſterij putabat: vnde ne Deum offenderet, & ſe criminis conſcium, eodem irretîret, illius contubernium fugiebat, atque eâ dimiſsâ, vitare cogitabat. Verùm mihi perſuadeo, quod ſi Beata Virgo ſe concepiſſe de Spiritu Sancto Ioſepho revelaſſet, ipſe incunctantèr illi credidiſſet, vt nuper ratione, & Patrum authoritate inferebam. Non equidem ignoro eſſe plurimos, qui ſecùs ſentiunt: quorum fundamentum eſt, quod Ioſephus Virgini de ſe, ſuâque conſcientiâ, in re omninò novâ, arduâ, atque ineffabili, teſtificanti, minimè credidiſſet. Si ergo credidiſſet, vt mea fert opinio, à nobis petent, cur Virgo ſponſo ſuo myſterium non revelavit: præſertim, cum non poſſet non animadvertere, quot ſuâ inopinâ fœcunditate cogitationis fluctus illius animum forent occupaturi? Quibus modò meliùs, quàm ſuo fundamento, reſpondêre non poſſum. Erat enim humillima Virgo, & ſibi de ſe teſtificanti, & in re tantâ, non levitèr præſumebat, ſponſum ſuum fidem non præſtiturum. Cæterùm, vt videor mihi videre, verior cauſa eſt, quam ſupra ex Divo Bernardo adduximus: quia ſcilicet, ſuſpicante ſiniſtrè Ioſepho, impolluta magis ſponſæ ſuæ claruit virginitas, necnon reddita firmior de eâ noſtra fides. Namque, vt inquit, mellifluus Pater. Valde prudentèr, & piè factum eſt per contrarium, vt vndè metuebatur ſuſpicio, firma ſit certitudo.] Addenda tamen eſt altior cauſa; & quâ dubitanti, Quomodo Virgo aluo tumenti, & prodenti fœtum, coràm ſponſo ſuo apparêre auſa eſt?

D. Bern. nup. cit.

Dubium

Bapt. Mantua. parth. 1. lib. 2.

ſit ſatis. Quam ſanè cauſam eleganti carmine celebrat Baptiſta Mantuanus.

Hæc erat alma Parens, veríque inſigne Tonantis
Hoſpitium, Regis superûm immortale ſacellum.
Et quoniam Divum tenuit conſortia ſemper,
Pluſquam hominum: ſuperis fidens neglexit inane
Iudicium nugaſque hominum. Miracula ventris
Eſſe Dei ſi norat opus, cur debuit vllis
Occultare dolis? Ipſo quas auſpice cœlo
Debuit inſidias hominum, quæ bella vereri?
Quas trepidare manus? Igitur ſecura tumentem
Ipſa ſub ora viri ſine fraudibus attulit aluum.

Itaque immaculatæ Virginis innocentia, quæ Deum ſemper ſui habet defenſorem, in causâ fuit illi ſilendi, & coràm ſponſo, quamuis ventre gravido, mente tamen impavidâ, apparendi. Non eſt timor, vbi non eſt culpa. Ipſa probitas fiduciam præbet, & indomabiles germinat auſus. Quod optimè idem elegantiſsimus Poeta docet.

Vbi ſup.

Sicut enim trepidare facit mens conſcia culpæ,
Sic animi ſimplex probitas, & cognita virtus
Efficit impavidum pectus. Fugit impius vltrò,
Iudiciumque pavet: frontem pius audet apertam
Tollere: non regis vultum, non iudicis ora,
Non rigidos lictorum enſes formidat.

Imo ſic audere Virginem, vterum gerentem, ad ora domumque ſponſi venire, nullis technis aſtuve præventam, ſicut mechæ ſolent, vt ſuos viros fallant: ſed mirabili caſtiſsimi animi ſimplicitate, omnium oculis ineffabile quod gerebat pondus, obijcientem, nobis argumento eſt ipſius pluſquam angelicæ puritatis.

16 Poſſem modo agere de vero inter Mariam, & Ioſephum matrimonio, ſi multum ad meum inſtitutum pertinêre viderem, aut non fuiſſet ſatis ſuperque à Theologis cum Divo Thoma diſcuſſum comprobatumque verum fuiſſe. Itaque, vt omnes docent, ad eius eſſentiam ſolùm fidelis animorum conſenſus, quo coniuges ſe ſibi mutùo debent, ex igitur: huiuſmòdi enim ſtat inſolubilis coniugij ſocietas ac coniunctio, taliſque fuit inter Mariam, & Ioſephum. Quod au-

autem ipſis in carnalem copulam conſenſus corporumque permixtio defuerint: nihil veritati legitimi matrimonij derogat, quippe opus hoc ad illius actum, & perfectionem accidentalem, non ad ſpeciem, & formam, à quâ eſſentia ſumitur, pertinet. Vnde Divus Auguſtinus ait: ſervatâ pari conſenſu continentiâ, poſſe permanère vocarique coniugium, non permiſſo corporis ſexu, ſed cuſtodiſto mentis affectu.] Quo tamen concubitu in his ſanctis coniugibus, Mariâ, & Ioſeph, deficiente, vt ipſe docet, omne nuptiarum bonum impletum eſt in illis, quia habuerunt prolem, fidem, & ſacramentum, videlicet puerum Ieſum, caſtiſsimum thorum, nullumque divortium.

D. Aug. lib. 2. de conſ. Evangel. c. 1.
Lib. de Nup. & concup. c. 11.

17 Locutiones vero ſanctorum Patrum, quibus coniugium videntur ſpecie tenùs negare, facilè verèque exponuntur. Divus Bernardus: Cum eſſet, inquit, Virgo electa, Virgo conceptura, Virgo paritura, mirùm cur deſponſata fuerit non nuptura.] Sanè quid ipſe intelligat, cum dicit, non nuptura, ſatis oſtendit, totiès repetens, Virgo electa, Virgo conceptura, Virgo paritura, hoc eſt, abſque vllo maritali complexu, qui coniugium legitimum non excludit, vt dictum eſt. Pariter in his verbis: Nec vir ergo Matris, nec filij pater extitit, quamuis certâ, & neceſſariâ diſpenſatione, vtrumque & appellatus ſit, & putatus:] id eſt, nec vir, nec pater per virilem ad Matrem acceſſum. In eodem ſenſu loquitur Divus Hieronymus, contra Elvidium, quando ait: Ioſeph cuſtos potiùs fuit, quam maritus.] Et Divus Cyprianus, qui ait: vicem patris, & coniugis tenuerat.] Et Divus Gregorius Magnus ſcribens: Dominus Mariam ſponſum habere voluit, qui tamen ad eius nuptias non pervenit.] Et Divus Auguſtinus: Concepit Virgo antequam ſponſum haberet, parit antequam nubat.] Et Divus Epiphanius: Sponſa, non nupta.] Itaque hi, & ſi qui ſunt alij, matrimonium, nuptias, & nomina ex his deducta, quatenus vxorium concubitum, & conſummatum matrimonium ſonant, inficiantur.

D. Bern. hom. 2. ſup. Miſſ. c.
Ibi.
Cyprian. de Paſſ. Dom.
D. Gregor. hom. 26.
D. Aug. ſerm. 13. de Nativ. Dom.
D. Epiphan. hær. 78.

18 Sed proh Deus, quam diſpar eſt hæreticorum ſenſus! Verè animales homines non percipiunt ea, quæ ſunt ſpiritus Dei. Nimirùm poſt tot ſanctiſsimas convenientiſsimaſque cauſas, à ſanctis Patribus repertas, quibus Virginem deſpon-

1. Cor. c. 2.

dêri,

dêri, & ſartâ tectâque virginitate Ioſepho nubere decuit: illi, vt de ſe ipſis cogitant, & de ſuis mulierculis, vel denique de Iudæis olim virginibus, quibus probro erat virginitas, & infæcunditas, non minus demiſsè ac vilitèr de Virgine Mariâ exiſtimant. Heu miſeri, qui nihil altum, nihil Dei Matre dignum, vt par erat, valetis cogitare! Numquid illa non fuit eximia, egregia, ſelectiſsimaque à Deo Virgo? Quæ meruit ab Angelo ſalutari: *Ave gratia plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus?* Quæ cum deſponſata eſſet, & virum haberet, virum neſciebat? Quæ adeo erat puriſsima, & venerearum rerum ignara, vt dicente Angelo: *Ecce concipies, & paries filium*, non illi in mentem venerit, ex viro ſuo licitè concipere poſſe, ſed potiùs dubitarit: *Quòmodo fiet iſtud?* Quæ tandem, donec audivit Spiritu Sancto obumbrante ſe fore concepturam, non acquievit, ſed tunc dixit: *Ecce ancilla Domini fiat mihi ſecundum verbum tuum?* Scilicet ille mundiſsimus, caſtiſsimus iuxtaque immaculatiſsimus Virginis ſpiritus, ne cogitatu quidem, quæ carnis erant, admittebat: de Spiritu vero Sancto (liceat mihi ſic dicere) quaſi fœcundari congeniabat. Abite ergo hinc procul, fœdiſsimæ Harpyiæ, hinc procul à Virgine abite. Virgo hæc nata eſt Deo: Pater illam elegit in filiam, Filius in Matrem, Spiritus Sanctus in ſponſam: ſub vnâ trium divinarum perſonarum providentiâ protectioneque ſemper fuit cœlitùs gubernata, ordinata, cuſtodita, antequam deſponſata eſſet, cum deſponſata eſt, & poſt longum deſponſationis tempus, vſque ad fœliciſsimum in cœlum, è mundo tranſitum. Cur veſtris fumoſis lucubrationibus pulchram vndique Virginem obſcurare audetis? Cur ſegregem Virginem inter leviculas comptarum delicatè, vt viris placeant, turbas puellarum annumerare & miſcêre? Sed hæc ſanè eſt impudentia veſtra: nihili dignas Virgine Sanctorum Patrum ſententias æſtimatis: nihil Virginis Dei Matris honorem procuratis: nihil ſingularem, erga Virginem Matremque ſuam, Dei providentiam veremini.

19 Quod enim Virgo ſponſalia, & nuptias admiſerit, in quo obcæcati impingitis, id quidem ſanctè fecit, & abſque vlla pudicitiæ iacturâ: etenim conſiliante, & providenre Deo, caſto coniuncta viro fuit, qui prius cœlitùs admonitus, ad

Vir-

Virginis coniugium ipſe quoque caſtus exaltatus eſt, vt dulciſsima Baptiſtæ Mantuani cythara reſonat. Parth. 1. lib. 2.

Dumque ita fervet opus, ſponſi Deus ora ſopore
Preſsit, & irati ſub imagine nuncius oris
Viſus adeſſe ſeni, vultu qui ſancta ſevero
Hæc mandata dedit: Teneros tibi iungimus annos,
Non ſeram ut fruſtra in venerem tua languida virtus
Ardeat: amplexus, gremiumque in Virginis huius
Ire cave, iuſſumque Dei ne ſperne monentis.
Paruit, & memori ſervavit ſomnia mente,
Atque cupidineos ſenſit non amplius ignes.

Vel priùs etiam ab ipsâ Virgine ſponsâ perſuaſus, de illibato ſemper ſervando pudore inter eos convenit. Super quam rem legite Patrem Caniſium, qui eruditè lateque hæreticos refellit: & modò hæc Divi Epiphanij verba. Ex ipſis enim nominibus, epithetis, etiam virtutis ſigna elucent: dignitates enim appellationum acceperunt iuſti, vnicuique decentèr, & pro vt integrum fuit: Abrahamo quidem impoſitum eſt epitheton, amicus Dei, & non diſſolvetur; Iacob vero, vt Iſrael vocaretur, & non alterabitur; & Apoſtolis, Boanerges, id eſt, filij tonitrui, & non relinquetur; & Sanctæ Mariæ, Vox Virgo, & non mutabitur: impolluta enim permanſit ſancta.] Can. de Virg. Deip. lib. 2. c. 11. Epiphan. hær. 78.

Cap. II. *Mutua ſanctiſsimorum ſponſorum ex ipſa re laudatio. Ioſephus Zelotypiæ morbo non fuit affectus. Intolerabilis ferè huius morbi acerbitas ponderatur. Silentium Virginis Beatæ in celando ſuæ fœcunditatis myſterio, omninò admirabile.*

1 LAUDANDI Ioſephi opportuna ſe nobis offert occaſio ab ſponsâ ſibi cœlitùs coniunctâ, ſterilis Virgæ floreſcentis miraculo, ſicut eſt multorum Patrum ſententia, & elegantèr lateque Baptiſta Mantuanus modulatur. Sed non aliundè quàm ab Evangelio laudationem tanti ſponſi ornatiſsimique cunctis virtutibus viri, quarum omnimodâ copiâ iuſtus in eo prædicatur; ſumendam Mant. Parth. 1. lib. 2.

du-

ducimus. *Cum eſſet deſponſata*, inquit Mathæus, *Mater Ieſu Maria Ioſeph*: Certè nil ad laudem illius exaggeratiùs potuit dici, nec quo magis ſanctitas, caſtimonia, & heroica merita, quibus fulgebat, comprobarentur. Non erat Ioſeph cenſu dives, ſed virtutibus: pauper erat faber: at quidem faber ſuis meritis cœleſtis fortunæ, ob quæ ſibi data eſt Virgo in ſponſam. Quid Deus (qui nuptijs, hiſque pauperibus, vbi ſobrijs defecit vinum invitatis: & quas miræ converſionis aquæ in vinum ornavit ſanctificavitque, intereſſe dignatus eſt) niſi probos ſanctoſque mores in Matris ſuæ ſponſo reſpiceret? Sanè Dominus, quid præcipuè nuptias celebrantes attendere deberent, ſic inſtruebat: ne bonæ dotis cœleſtiumque arrharum obliti homines, divitiarum iugo, lucroſove coniugio, colla ſubdant. At miſeri, adhùc tanto exemplo, parùm hoc curant, vel nimis negligunt, vt iurè in eos illud Iuvenalis vſurpem: Iuven. ſat. 3.

Protinus ad cenſum: de moribus vltima fiet
Quæſtio: quot paſcit ſervos, quot poſsidet agri
Iugera: quàm multa magnaque paropſide cœnat.

2 Modo notetis velim, vt laus Ioſephi, & quanta fuerint eius merita, à Virgine ſibi in matrimonium locatâ, magis pateſiat: quod in Evangelio dicitur, *Cum eſſet deſponſata Mater Ieſu Maria Ioſeph*; quibus in verbis aliquid novi adverto, nam iuxta morem contrahentium in ſponſalibus, & nuptiali contractu, promiſsio fit perſonis, viciſsimque ab his petitur, An Ioſeph velit Mariam? An Maria velit Ioſephum? Ergo dicendum fuit: Cum eſſet deſponſata Maria Ioſeph, non autem Mater Ieſu: Mater enim Ieſu cum dicitur, Virginis dignitas prædicatur, Maria vero nomen eſt Virginis, clarumque ſuæ notamen perſonæ. Rogo, quarè Evangeliſta priùs dignitatis nomen quam perſonæ deſponſatæ poſuit? Numquid in illâ, quæ erat pulchra vt Luna, electa vt Sol, non omnis corporis pulchritudo eminebat? Numquid animi ſui decor, & præſtantia non effulſit: dicente Angelo: *Ave gratia plena, dominus tecum, benedicta tu in mulieribus.* Poſtremò, ſi Mariæ genus requiramus, nonne avos atavoſque, cùm Reges, tùm Sacerdotes, ab Abraham, vſque ad David, de cuius domo erat, glorioſè numerabat? Sufficiant profectò tot tantique tituli, quan-

Digitized by Google

quando nec ampliores Ioſeph in ornatiſsimâ ſuâ ſponsâ, quamuis in ſolio Davidis Patris ſui regio ſederet, qui modo dentatæ ſerræ, & ligno humilis incumbit, optaſſet. Sed enim Evangeliſta, in quo nihil fruſtrà, tot præclaris ſtemmatibus præſtantem infinitè omnibus Virginis dignitatem addit; priùſque, & antè ſplendidum illius nomen, dignitatem Matris Ieſu veri Dei collocat, quà nulla maior eſſe poteſt, & quæ infinita eſt ex bono infinito, quod eſt Deus, ſicut docet Divus Thomas; quia cum Virgo eſſet deſponſata Ioſeph, vt quantus eſſet meritis, & ſanctitatis gloriâ ille videretur, non perſonam Virginis, licèt naturæ, & cœli muneribus cumulatiſsimam, ſed altiſsimam Matris Ieſu priùs dignitatem poſuit: arguit enim huiuſmodi divina ſponſæ dignitas maiorem in ſponſo meritorum excellentiam. Sanè quod eſſet deſponſata Maria Ioſeph, magnum quiddam erat Ioſepho, & quod cœleſtem valde virum prædicabat: tamen, quantùm nomini, & perſonæ Virginis, Matris Ieſu ſupereminet dignitas: tantùm propter hunc excelſum ſponſæ ſuæ titulum, Ioſephus irradiat glorioſior ſponſus.

D. Thom. 1. part. quæſt. 25. art. 6.

3 Altera tandem laus ampliſsima addenda eſt. Etenim iuxta Rupertum, tribus Chriſti promiſsio facta eſt, videlicet, Abraham, David, & Ioſeph: ſed magno cum diſcrimine; quia illis tanquam homo promittitur Chriſtus, Ioſepho vero tanquam Deus. Quod luculentèr ſic probat: Quippè Ioſepho dicitur: *Pariet autem filium, & vocabis nomen eius Ieſum: ipſe enim ſaluum faciet populum ſuum.* Nam quia ſalvare à peccatis, Dei eſt, neque hoc niſi ſolus Deus poteſt, dum dicit: *Ipſe enim ſaluum faciet populum ſuum à peccatis eorum,* idem atque æquippollens eſt, ac ſi dixiſſet: Ipſe enim Deus eſt, & idcirco vocabis eum Ieſum, id eſt, Salvatorem.] Ergo à Virgine parîturâ, à mirabili ſponsâ ſuâ Salvatorem editurâ, venit Ioſepho hæc ſingularis laus, quod non ſicut cæteris tanquam homo promittitur Chriſtus, ſed tanquam Deus.

Ruper. in vol. quar. Evang. lib. 1.

4 Si vtique pænè ineffabili laude dignus propter Virginem ſponſam Ioſephus appâret æquum erit etiam Virgini proptèr ſponſum aliquid laudis, & gloriæ accedere: nec enim ſtat, ſi coniuges ſanguine, & donis cœleſtibus præclari ſint, vnum ab altero mutuos non accipere honores. Quid ergo

Virgo à Ioſepho honoris accepit. Non parum quidem, ſi cauſas deſponſationis meditemini. Nunc illam, qua famæ ac publicæ honeſtati Virginis conſultum eſt, conſideremus: veniebat enim inde, quod illud magnum Dei incarnati myſterium in caſtiſsimo Virginis vtero celabatur, & de Ioſepho Virgo concepiſſe putabatur. Sed ex hoc quidem, præter honorem coniugis fideliſsimæ, quæ ex viro ſuo concepit, nullum alium Virgini adveniſſe perſpicuum eſt: nam quæ Virgo erat, Virgo non putabatur, interdùmque, apud ſic ſuſpicantes, Virginitatis gloriâ privabatur. Non inficior, nec alitèr, tunc temporis, apud Iudæos incredulos, rem tantam Deus occultare decreverat. Nam vt bene Divus Bernardus ait: Quando veritati crederent tacenti in vtero, quam poſtea contempſerunt clamantem in templo? Quid facerent nondum apparenti, cui poſtmodùm impias manus iniecerunt, etiam miraculis coruſcanti?] Verum modò cum fidelibus res eſt, quibus concepti Dei hominis in inviolato Virginis vtero ex Spiritu Sancto, fides lucet: vnde nedùm ſine virginitatis iacturâ ſponſum habuiſſe, ſed etiam pudicitiæ candorem auctum fuiſſe credimus. Itaque Virgo quæ ſemper fuit puriſsima, à Spiritu Sancto, vt Deum conciperet, purior facta eſt: lilia lilijs, & Mariæ candori candorem addidit: in tantum corporis affectiones excoxit, vt nec Sol, nec Angeli, limpidiùs virgineo corpore niterent. Quod fecit quidem, iuxta Patrum & Theologorum doctrinam, vel alligato ſomite, vel omnino in Virgine extincto. Sed numquid Spiritus Sanctus Ioſepho indiguit, vt puriorem redderet Virginem? Dicam, quod cogito: Sanè Angelus Mariæ dixit: *Ecce concipies, & paries filium.* Cui Virgo ait: *Quomodo fiet iſtud quoniam virum non cognoſco?* Quæſtioni huic incunctantèr Angelus reſpondit: *Spiritus Sanctus ſuperveniet in te, & virtus Altiſsimi obumbrabit tibi.* Quæ verba Venerabilis Beda ſic exponit: Concupiſcentiæ æſtus in te non erit, vbi vmbram faciet Spiritus Sanctus.] At mihi, quo pacto vmbram faciet Spiritus Sanctus, inquirendum eſt. Etenim Deus lux eſt: & à luce vmbrarum inimicâ, vmbrâ fieri non poteſt: hæc enim, vt dicit Divus Gregorius, & oculis experimur, à lumine formatur & corpore, & quidem luci oppoſito. Ita eſt, ſed commodùm, & ſatis Dei conſilio præ-

Bern. hom. 2. ſup. Miſſ.

Bed. in cat. D. Thom.

1. Ioan. c. 1.

Digitized by Google

viſum, Ioſephus, vt Virgo Maria Deum ex Spiritu Sancto concipiat, Virginis eſt coniux, & quaſi corpus luci obiectum, id eſt, inter Spiritum Sanctum, & Virginem: fecit ergo divina Spiritus Sancti lux vmbram, Ioſephi corpore interpoſito, eoque quodammodo indiguit, vt Virginis compeſceret æſtus, aut fomitem extingueret, tandemque ad ineffabile generandi Dei in carne myſterium, ſole puriorem candidioremque redderet. Mirum quidem! vno eodemque tempore Ioſeph (velut vmbra in horologio horam deſignat) ſic oculis ſuperficie tenùs ſponſam ſuam ex ſe concepiſſe, & Virginem non eſſe demonſtrabat: ſimul verò Spiritus Sanctus Ioſephi vmbrâ vtens, clarioribus virginitatis ſplendoribus illam ornabat. Sanè vmbrâ Petri Spiritus Sanctus ægrotis ſalutem præſtabat, & fœlix illa corporis vmbra infirmos ſanare videbatur. Idem quoque ſpiritus, non niſi interpoſitâ corporis Ioſephi vmbrâ, Virginem Deo fœcundat, purgat concupiſcentiæ æſtu, purioremque reddit: continuòque nobis Ioſephi vmbram nitidiſsimum Virginis ſpeculum ſuo interiectu non offuſcare indicat, ſed additâ puritate fulgentius efficere. Reliquum ergò eſt ad huiuſmodi Virginis honorem, & gloriam aliquid Ioſephum præſtitiſſe. Actor. 5.

5 Licèt capite antecedenti, vt conſonantiùs Evangelio, cum non paucis Patribus, Ioſephum obliquè de Virginis candore ſenſiſſe aſſervimus, eòque, non ſecus ac de adulterio ſuſpectam dimittere voluiſſe: modò tamen mihi, qui oratorem ago, cui ſecundum Quintilianum, nihil eſt neceſſe in cuiuſquam iurare leges; cum alijs non minus colendis, opinari licet, non eam, ſed aliam, & Virgine valdè dignam, fuiſſe dimittendi cauſam, nempe ob reverentiam, & quia ſe indignum, vt ibi dictum eſt, ſanctiſsimâ conſorte reputabat. Alioquì zelotypum fuiſſe Ioſephum, & zelotypiæ igne, qui ex amore accenditur, præcipuè inter coniuges, conſortis impatiens, laboraſſe, vix credam: non enim in eo huius inſani morbi effectus, qui celari non poſſunt, viſi ſunt. Quales ergo ſint, audi Chriſoſtomum. Morbus iſte non triſtitiam ſolùm, ſed iram intolerabilem ingenerare ſolet. Cedò enim, ſi quis promptior ſit ad eam ægritudinem, quòd alterum quoque vxore ſuâ potiri ſuſpicatur, etiam ſi falsâ aliquâ ſpecie eo morbo correptus ſit. Quid huiuſmodi homine miſerabilius eſſe poteſt? Quam tem- Lib. 12. inſt. orat. Chriſoſt. de Virginit.

peſtatem cum huiuſmodi ſuſpicione vel furôre comparantes, eius ignem perfectè conſequi poterimus ? Omnia doloribus, omnia ſeditionibus ac perturbationibus referta ſunt: angorum, moleſtiarum, lachrimarum plena ſunt omnia: etiam ſi domi ſe contineat, ſi in publicum prodeat, ſi peregrinetur, vbique malis tentatur.] Et Venuſinus Poeta morbum hunc eleganter deſcribit:

Horat. libr. 1. Carm. od. 13.

Cum tu Lydia Telephi
Cervicem roſeam, cerea Telephi
Laudas brachia; væ, meum
Feruens difficili bile tumet iecur.
Tunc nec mens mihi, nec color
Certa ſede manent, humor & in genas
Furtim labitur, arguens
Quam lentis penitùs macerer ignibus.
Vxor, ſeu tibi candidos
Turparunt humeros immodicæ mero
Rixæ, ſive puer furens
Impreſſit memorem dente labris notam.

6 Profectò zelus, de quo eſt ſermo, mentis & corporis oculos obtenebrat, eſt animi inquies, pectóris procella tumens, quæ illud turgidis fluctibus exæſtuare, & foras irrumpere cogit. Sanè ardentiſsima Æthna eſt in corde, flammas in patientis vultum iaciens, & ore evomens. Tempeſtas quoque, contrariorumque effectuum conflictus, quibus zelotypi, hùc illùc, quò ſe vertat neſciens, agitur ſpiritus. Denique infernus reverà eſt zelus, cui vtique illum meritò Spiritus Sanctus comparavit: *Dura*, inquit, *ſicut infernus æmulatio*; quia ſicut ibi *nullus eſt ordo, ſed ſempiternus horror inhabitat*: ita in eo, qui zelotypiam patitur, ſolicitudo, curæ, anxietas, affectuum inordinatio, formidabiliſque demum paſsionum vortex irrequietè commorantur. Et perſuadebimur, conflictatum perturbatumque his fuiſſe Ioſephum? At bene eſt, quod Evangelium apertè diſſuadet. Quid ait? *Hæc autem eo cogitante, apparuit Angelus in ſomnis Ioſeph*: ideſt, cum cogitabat occultè Virginem dimittere, dormiebat: cùm aliò ire, cùm exul, & profugus, Domum, terras mutare, animo verſabat, dormiebat: cùm pulcherrimo ſponſæ ſuæ ſole carêre tracta-

Cant. 8. Job. c. 10.

bat,

Digitized by Google

bat, dormiebat. Incredibile prorſus mihi videtur, ſi zelotypus eſſet. Quis cum procellâ? Quis cum ignivomâ Æthnâ? Quis cum crucianti inferno intra pectus dormiat? Prius credidero in Stygio lacu, inter dira tormenta, immaniumque pœnarum dolores, ſontes dormire poſſe. Itaque zelotypia inſenſa eſt ſomno: & qui eâ torquetur, inquietus, & inſomnis in lecto circumfertur. Delicatus quidem eſt ſomnus, & mollis: animum amat pace fruentem, in membris tranquillitatem requirit: quilibet, etiam levis dolor, illum terret, ab c[illegible]iſque fugat: & nemo profectò eſt, qui non experiatur, ſe inſomnes levioribus multò zelotypiâ curis noctes ducere. Non ita Ioſeph, ſed animo imperturbato, & mente admòdum tranquillâ dulcitèr dormiebat: divinæque admonitionis capax, cœleſte ſomnium vidit, percepitque clarè per ſpecies impreſſas Angeli locutionem: etenim humilitas, quâ Virginis Matris coniugio indignum ſe putabat, non perturbat, non animum inquietat, ſed potius illum ſomno, accipiendiſque divinis locutionibus idoneum placidiſsimè reddit. Quam verò, ex adverſo his, zeli morbus ægrotum afficiat, ſic Spiritus Sanctus indigitat: *Zelus & furor viri non parcet in die vindictæ, nec requieſcet cuiuſquam precibus, nec recipiet pro redemptione dona plurima.* Prov.c.6. En zelus & furor (ſi hìc duæ res ſunt) æquiparantur, eodemque ingenio, quique, vt vindictæ cedant, ne precibus quidem ac muneribus, exorabiles pinguntur; vnde ſaltèm Ioſephum, quamuis iuſtum, ſi eo furôre ſtimularetur, in die ſuſpecti adulterij, vt volunt, vindictæ nullo modo ſponſæ ſuæ parſurum timère poſſemus; quod è contrà, ipſe mitis & amans, nec adhuc cœlo admonitus, noluit traducere eam. Hinc Chriſoſtomus (hom.5.in cap.1.Mathæi) ait: Vidiſtis nempe, virum ſublimitèr philoſophantem, & tyrannicæ illius affectionis immunem. Noſtis enim profectò, noſtis quàm impotens res ſit zelotypia.

7 Talis ergo ægritudo longe ab eo fuit, nec in eo, præter timorem, aliam paſsionem Angelus cognovit, quo circà dixit: *Ioſeph fili David, noli timere accipere Mariam coniugem tuam*; qui timor quidem non ſervilis, non ex formidoloſâ de ſponsâ opinione ortus, iudicandus eſt: ſed potius ex humilitate purè omnino erga ſanctiſsimam coniugem reverentialis,

Digitized by Google

Nec obeſt illa ex Patre Barradas obiectio: quod ſi propterea relinquere Ioſephus vxorem volebat, quòd divinitùs concepiſſet, non dixiſſet Angelus, *Noli timere accipere Mariam coniugem tuam: quod enim in ea natum eſt de Spiritu Sancto eſt;* Nam ille reſpondere poſſet, hanc ego ob cauſam dimittere eam volo, non audens cum eà, quæ tantæ ſanctitatis, & dignitatis eſt habitare.] Sed quid, ſi quemadmodum clavus clavo pellitur: eôdem, quod Ioſephus timebat, ab eo excluſit timorem? Ideo ille opportunè mihi dixiſſe videtur: *Noli timere, quod enim in ea natum eſt, de Spiritu Sancto eſt;* Quaſi dixerit: ob id quidem tu times cum Mariâ coniuge tuâ habitare, iam deincèps noli timere, quia Spiritus Sanctus, cuius eſt ſponſæ tuæ fœtus, Charitas eſt, & Charitas foras mittit timorem. Vel oſtendens, inquit Chriſoſtomus nupèr citatus, quod propter quod ſolum ſponſam, & ſecum habere metuebat, & à ſe dimittere cogitabat, ob hoc ipſum magis illam accipere debeat, ſecumque retinere, ſi in cæptâ velit permanere iuſtitiâ.] Itaque non ſicut Hypocrates, & Galenus, qui ferè ſemper medicando morbo contrarijs vtuntur: ſic Deus noſtris morbis, & animæ affectibus medetur: ſed quod Ioſepho timori eſt, id ſibi vult timoris eſſe medicamento: quo ſe indignum iudicat, illud accipere mandat, vt meliùs ab indignitate convaleſcat. Habitet cum Virgine, eiuſque irradianti aſpectu fruatur, vt pulſo timore, diſcat luci inſolitæ aſſueſieri.

Epiſt. 1. Ioan. c. 4.

Math. c. 26.

8 *Pater ſi poſsibile eſt, tranſeat à me calix iſte*, orabat Chriſtus Dominus, nec ſemel, nec ſine maximo cordis ſui angôre: quantoque illi calix peccatorum mundi fœcibus plenus, nondum guſtatus, ſed altè meditatus, horrori fuerit, è corpore ſuo manans ſanguinei fluxus ſudoris, ſatis teſtatus eſt. At ei ſic precanti, & cum tantâ animi ſui triſtitiâ, ſolatium cœlitùs venit: *Apparuit quidem illi Angelus de cœlo confortans eum.* Verùm quo pacto Dominum ſuum iacentem, & afflictum erexerit ac roborarit, multis exponitur. Vnum ſanè pro comperto habetur, nihil intus egiſſe, aut virium aliquid animæ Chriſti addidiſſe, ſed inſtar hominis alium exteriùs verbis vel ſignis conſolantis, ſe habuiſſe. Vnde mihi Novarini opinionem modò ſequi placet, qui ait, in illâ Chriſti agoniâ calicis oſtenſione illum recreaſſe: quod fortaſsè ex antiquis picturis,

Luc. c. 22.

Digitized by Google

ris, in quibus Angelus calicem oſtendens appâret, ſic ſentire compulſus eſt. Sed quis non ſtatim iudicet huiuſmòdi oſtenſionem calicis incongruum eſſe ſolamen. Nonne ille eſt qui Chriſtum vehementer affligit? qui languêre facit? qui ſuo duntaxat aſpectu, nondùm in palaſtrâ, in conflictu nondum certantem, ſanguineo ſudôre per cuncta membra fluente, illum tingit, terramque rigat? nonne denique ille eſt, quem fugit, cuius amariſsimo hauſtu liberari rogat? Rogantem iam audiſtis: *Pater ſi poſsibile eſt, tranſeat à me calix iſte.* Atquì Angelus de cœlo eſt, cui ſatis eſſe videtur, calicem quo affligitur, Chriſto Domino oſtendere, vt illum conſoletur, atque ita, cum eo, qui ferè exanimem reddit, roborat: cum eo quem fugit, ad hauſtum propinat, & hortatur: cùm eo tandem, qui ſolâ ſui meditatione, ſanguine ſudare cogit, ſanguinem in venis detinet, vt ijs in Calvario ruptis, omnem vſque ad vltimam guttam in cruce pendens, fortiſsimus luctator effundat. Ad hunc ergo modum, cœleſtis etiam Angelus, ſolve metum, inquit, Ioſeph: *Noli timere accipere Mariam coniugem tuam: quod enim in ea natum eſt, de Spiritu Santo eſt*; cum Virgine hàbita, eodem contubernio vtere, illius gratiæ, & divinæ fœcunditatis ſplendoribus fruere: hoc vnum, ſed præſentiſsimum quidem tui timoris do tibi remedium. Sic eveniſſe, intrepida Ioſephi expergefactio, & prompta iuſſorum ab Angelo obedientia benè conmoſtrant: nam Evangeliſta inquit: *Exurgens autem Ioſeph à ſomno, fecit ſicut præcepit ei Angelus Domini, & accepit coniugem ſuam*; quam nimirùm humilis ac timidus, propter novam fœcunditatis gratiam, mente dimiſerat, ampliori deinceps charitate & obſequio proſecutus eſt.

9 Inter hæc tamen, ex quâcumque opinantium cauſâ eveniant, quis non Virginis ſilentium laudet & miretur? ſi enim Ioſeph illam videns gravidam, impurâ ſuſpicione angebatur, & ſciens fœtum non eſſe ſuum, pronior erat ad credendum thalamum furtivè fuiſſe violatum: quid Virgo intemerata in hâc viri ſui ſuſpicione fecit? Silvit, & cœlo damnandam & abigendam è Ioſephi pectore ſuſpicionem reliquit. Et meritò quidem, namque ſe viro fidelem præſtitiſſe, & divinitùs concepiſſe, clarius ſibi ſole erat: voluit tamen ſilendo, fidelem quoque, & potiore iure, ſe Deo exhibêre. Etenim, vt

ſcrip-

Digitized by Google

Tob.c.12. ſcriptum eſt; *Sacramentum Regis abſcondere, bonum eſt.* Quis hic Virginis tacitæ laudes avidè non arripiat, cui Deus ſecretum ſuum, quodque Diabolo celari voluit, celandum commiſit. O magnanima Virgo, ſilentij adhuc inter tuæ imminentia famæ pericula ſtrenuè capax, loquacitatis fœmineæ omnino expers! Noverat ille, qui te elegit Matrem, pectus pluſquàm virile rebus opportunè occultandis te gerere. Hinc tuus divinus ſponſus oculos tuos, & neſcio quid amplius laudat: *Oculi tui columbarum, abſque eo quod intrinſecùs latet.* (Cant.4.) Quid eſt quod intrinſecus latet? Extra taciturnitatem tuam, inquit Ambroſius, eo quod tota ſpiritualis, & ſimplex ſicut columba (in cuius ſpecie viſus eſt à Ioanne deſcendere Spiritus Sanctus) ſpiritualia videat, & noverit ea, quæ viderit, tacère miſteria.] (Ambr. de inſt. Virg. c. 1.) Optimè quidem: habes enim, ò Virgo, oculos, quibus videas, & in te divina percipias miſteria: tamen, quaſi non habeas os, dum ita convenit, in pectore ea religiosè condis.

10 Res oppidò ardua eſt commiſſum in pectore ſervare ſecretum. Hinc prudentèr Philippides, vt refert Plutarchus, Regi Lyſimmacho dicenti: Quid è meis rebus tibi impertiam? Quodvis, inquit, ò Rex, modò nequid arcanorum.] (Plut. de Curios. Bac. de augm. ſci. lib. 8.) Etenim, ſicut quidam rectè vidit, ipſa ſanè teſtatur experientia paucos admodùm reperiri, qui erga arcana ſua tam fidi ſint, animumque gerant adeo obfirmatum, quin interdùm ex iracundiâ, interdùm ex animi imbecillitate, qui ſe mole cogitationum onerari amplius non ſuſtineant, interdùm denique ex alio quopiam affectu intimas animi cogitationes revelent, & communicent.] Hùc ego Senecæ conſilium voco:

Alium ſilere quod voles, primùm ſile. (Sen. in Hypol.)

Cuius optima paraphraſis poteſt eſſe, quod Marcus Zuerus de eâdem re ſcribit: (Zuer. in emblem. polit. embl. 9.) Si arcanum eſt, cur alteri patefactum? An vt contineret? Similem tui arbitrâre, qui continère non potuiſti: & ſi non ſit, in te exemplum habet, quod ſequatur. Imo ſecretum non putabit, qui à te accepit. Neque enim tale videtur, quod quis præter te novit. Sic, vt dum alijs tradis, non commendes ſecretum, ſed propales.] Memoravimus ergo animi non ferentis ſecretum cauſas, quarum aliquæ Beatam Virginem ad illud divinum arcanum non ſervandum poſ-

Digitized by Google

ſent impellere: non quidem vlla iactantia de ineffabili Incarnationis myſterio intra ſui caſtiſsimi vteri ſacrarium mirabilitèr peracto, quia humilis admodùm erat: non animi imbecillitas, quia erat illa fortis Heroïna, cuius pretium procul, & de vltimis finibus: Sed ſanè intima erga amicum benevolentia, id eſt, ſponſum ſuum Ioſephum, quem cum ab eo inventa eſſet gravida, anxium & ſolicitum non poterat non conſiderare: tandem propria innocentia, fidelitas thori inviolata, honor, honeſtaſque, quæ omnia apud virum ſuum ſuſpecta reddebantur. Hæc tamen quæ gravia erant, & virum etiam conſtantem poſſent impellere, quaſi nihili fuerunt, vt fortiſsimæ Virginis animum, ne levitèr quidem ad prodendum Sacramentum moverent. Vnde Divus Bonaventura ait: Humilitèr tacebat, & occultabat donum Dei. Potiùs volebat reputari vilis, quàm ipſum Sacramentum Dei propalare, & de ſe aliquid loqui, quod ad iactantiam putaretur pertinêre.] Quod item Divus Bernardus ponderat, non paucas loquendi opportunitates Virgini oblatas ennumerans. Et quidem Maria, inquit, conſervabat omnia verba hæc conferens in corde ſuo, ſed in his omnibus, neque de ipſo Incarnationis myſterio quodcumque verbum feciſſe reperies.]

D. Bonav. in medit.c.6.

D.Bern.ſerm de B. Vir. ſup. ſig. mag.

11 Itaque de illo in Eliſabethæ domo dumtaxat locuta eſt: ſed tunc, non ſuo, ſed Spiritûs Sancti afflatu, dulciſsimè concinens, *Magnificat anima mea Dominum*: in quo ſuaviſsimo Cantico gratias egit, *quia fecit ſibi magna qui potens eſt, & Sanctum nomen eius*, & ab omnibus generationibus Beatam prædicari voluit: quam laudem prius ex ore cognatæ audivit exclamantis: *Vnde hoc mihi, vt veniat Mater Domini mei ad me?* Et, *Beata quæ credidiſti*. Hinc Virginis ſilentium magnopere mirari ac imitari debemus, ſiquidem illa videns Spiritum Sanctum ſui conceptus myſtetium Eliſabethæ revelaſſe, non tamen propterea illud Ioſepho revelare auſa eſt: quia prudentiſsimè videbat Deum ſecreti ſui eſſe Dominum, & cui vellet, & quando vellet, revelare poſſe: nec à Superiore aut Principe, in his quæ ſunt dominij, Subditos exemplum ſumere debere, ſed illorum placitum nutumque expectare. Atque ita fecit in maximo ſuæ honeſtatis, & famæ periculo Sanctiſsima Virgo, verè Mater Dei, Mater, inquam, illius

Dd filij

filij, qui falſis coràm Pilato impetitus criminationibus, nihil
Mar.c.15. reſpondit, quod admirationi fuit ipſi Pilato. *Mirabatur*, inquit Iſidorus Clarius, tam generoſum animum, qui in tanto diſcrimine, ne loqueretur quidem.] Non ergo quidquam Virgo ſuo ſponſo locuta eſt, ſed patientèr expectavit, quouſque Deus Angelum mitteret, qui Ioſepho nuntiaret, *Quod in ea natum eſt de Spiritu Sancto eſt.* Quanta hinc fuerit eius lætitia, & animi ſolamen, quis enarret? Etenim poſt angores & mentis ſolicitudines æquo animo & fiduciâ in Deo toleratas, ſuaviſsima gaudia ſuccedunt. Id ſatis probat, quòd etiam apud Romanos, Angeroniæ ſimulachrum ore obligato atque ſignato in ara Volupiæ propterea collocabatur, quòd qni ſuos dolores anxietateſque diſsimulant, perveniant patientiæ benefi-
Lud.Viv. lib. 4.deCiv.Dei. c.8. cio ad maximam voluptatem, vt ex Maſurio refert Ludovicus Vives.

12 Meritò igitur ſummo gaudio fruere Virgo, quæ profectò digna fuiſti, vt tibi ſilendum ſuæ Deus Incarnationis arcanum committeret: vnde neſcio quid ex antiquitate, quod tibi Virgini tacitæ non importunè accommodem, ſubodoror. Etenim, vt illius erat mos, finito convivio, vbi multa prodigè revelata: Omnia ſub roſâ, ideſt, ſilentio involuantur,
Rader. lib. 1. Epigram. 25. dicebatur. Cuius quidem cauſam Raderus, apud Martialem tangit, & in his habemus carminibus:

Eſt roſa flos Veneris, cuius quo furta laterent,
Harpocrati matris dona dicavit Amor.
Indè roſam menſis hoſpes ſuſpendit amicis,
Convivæ vt ſub ea dicta, tacenda ſciant.

Ecclic.c.24. Nonne Virgo Maria eſt roſa myſtica, cuius plantatio in Iericho? Ergo Deus noſtram ex intemeratâ Virgine carnem induens, veluti voluit eſſe ſub roſâ, id eſt, interdum in eá latère, & nulli mirabile arcanum manifeſtari. Fuit equidem Virgo Santiſsima flos Deo non minùs intacto pudore purpureus, quàm inviolatâ odorus fragrantiâ. Hanc pulcherrimam omnium roſam delegit taciturnitatis ſignum, ſilentij hortamentum: imo etiam ex illius labijs roſam ſuſpendit. Quid aliud
Cant.4. eſt: *Sicut vitta coccinea labia tua?* Vnde illa Sancti Silentij mo-
Ioan. Baptiſt. Ferr,orat.1. nitrix, rei magnæ ſecretique commiſsi, ſilentium ſervavit, nec labia explicuit. Bene quidam, ò labella, inquit, pudoris amo-

rii-

riſque vittæ ſuaviter tenaces! Seu vos pudor aſtringat, vt parcè verba laxetis: ſeu vos amor relaxet, vt incomprehenſibile verbum indiſſolubili nodo aſtringatis.] Dicam ego, vt indiſſolubili Monadem incorruptam, vnitatem ſcilicet ſimpliciſſimam, quæ Deus eſt, nodo cingatis: nam apud Bergomenſem invenio taciturnitatis hieroglyphicum Vnitatem dici, vti loquacitatis, Dualitatem. Tranſcribam libentèr eius verba, quia rem aptè explicat. Quemadmodum enim Vnitas in ſe ducta, minimè ſuos limites egreditur, ſed omnino vnum perſeverat manetque: vnde Monadis nomen inditum; Dualitas verò principium eſt diviſionis indefinitum, ſtatim enim à ſe deficit, duplicatione in multitudinem tendens: eodem fermè modo, ſermo ab vno primo nequaquam recedens, verè arcanus eſt ac dicitur. Quòd ſi alteri communicetur, iam famæ ordinem ſubit.] Itaque beatiſsima Virgo taciturnitatis hieroglyphicum in vtero gerebat, Monadem vtique incarnatam, quam vitta labiorum ſuorum coccineâ obſignabat: & adeò fidelitèr, vt ad Dualitatem, inter ſe nempe & virum ſuum, neutiquam defecerit. Sanctius ergo Harpocrate, & Sigalione digito ori appoſito, ipsâque Angeronia ore obligato, arcanarum rerum, ſive Principum, ſive amicorum, ſive domeſticorum, ſilentioſa Virgo ſilentij tenendi nos admonet. Crimen eſt loqui, quod debeas tacère: ſicut tacère, quod proximi & reipublicæ bono revelare tenearis. Piſces muta eſſe animalia dicuntur, & ideo apud Claudianum, loquacibus & arcanorum proditoribus inter eos vivere ſupplicium aſsignatur.

Bergomen. de vnit.

Claud. lib. 2. in Ruf.

Qui iuſto plus eſſe loquax, arcanaque ſuevit
Prodere, piſcoſas fertur victurus in vndas
Vt nimiam penſent æterna ſilentia vocem.

****

Digitized by Google

EPITHETON XI. EX D. MATH. CAP. I.

INVENTA EST IN VTERO HABENS DE Spiritu Sancto.

Cap. I. *A ſolo Ioſeph inventa eſt Virgo in vtero habens. Signa, iuxta aliquos, quibus in cognitionem venit, non probantur. An concepiſſe Virginem ex Spritu Sancto invenerit Ioſeph? dubitatur. Patrum circa hoc opinio.*

1 RE Vera Theſaurus erat, & divinus quidem, quem Virgo inviolata in vtero gerebat & abſcondebat fœliciſsimo: vndè benè, quemadmòdum dicitur theſaurus, qui humi latebat, non quærenti, nec de illo cogitanti, caſu inventus: ſic Virgo, in vtero habens pleniſsimum cœleſtium divitiarum Theſaurum, tamque inſperatum & naturæ negatum, quàm eſt Virginem poſſe concipere, inventa dicitur. Si roges, à quo inventa? A Ioſepho reſpondet Divus Hieronymus, & rectè, nam alij Virginem videbant gravidam, ſed minimè inveniebant: nec erat illis mirum, reſve nova, vterum gerere, quam ex Ioſepho fœcundam putabant; ab eo ergo ſolùm inventa eſt, qui ſubitò, & præter opinionem, in terrâ ſibi intactâ, conceptum Theſaurum invênit: eique ſtupori admodùm fuit, atque etiam Evangeliſtæ narranti, qui iuxta Theophilatum, *Inventa eſt*, dixit, quaſi de re quadam admirabili.] Origenes tamen, Inventa eſt, inquit, ab Angelis cuſtodientibus eam, protegentibus eam, conſervantibus eam, vel eius beatiſsimam animam, ad honorem illius, qui generatus erat.] Sed, vt opinor, non rectè dicitur ab his inventa, concepiſſe de Spiritu Sancto, quia non casu, & præter opinionem, fuit ab eis inventa, ſed concepturam audierunt de Spiritu Sancto, Gabriêle nunciante: vel conſcij facti myſterij Incarnationis per revelationem didicerunt. Quâ de causâ, quamuis Eliſabeth mortalium fuit prima, quæ Virginem Matrem Dei appellavit, & conſequentèr

Dubium.

Theoph. hic. Orig. hom. 1. in diver.

de

Digitized by Google

de Spiritu Sancto concepiſſe cognovit: tamen non dicitur ab eâ inventa in vtero habens: hoc enim ab Spiritu Sancto didicit, nec alitèr Virginem eſſe gravidam poterat cognoſcere, quia nondùm in tempore ſalutationis, Virginis vterus intumuerat.

2 Quo autem pacto, quibuſve ſignis (nam aliqui prægnantis mulieris ſigna Virgini adſcribunt) à Ioſepho inventa eſt in vtero habens? Origenes, & Doctor maximus, licentiâ maritali, aiunt, quâ futuræ vxoris omnia noverat. Sed Patri Maldonato hæc licentia diſplicet, & minus reverenter dictum ſonat: quia non veſtigando, ſed non quærendo: nec tactu ſed viſu, eoque puriſsimo, minimèque curioſo, Mariam prægnantem invênit.] Quod ego etiam verum iudico, & paſsim viſo mulierum exteriùs vtero tumente, prægnantes eſſe, ſatis exploratum habemus. Simon vero Caſsianus ad ſigna reccurrens: Inventa eſt, inquit, non experientiâ tactûs, ſed quia illam cognovit ex exterioribus geſtis, quod aliquid gerebat in vtero, & ſquallidabatur facies Virginis, & attenuabatur in carne.] Cui ſententiæ accinit Baptiſta Mantuanus:

Dubium.

Caſsi. de Virg. Mar. c. 15.

Mant. Parthe. lib. 2.

Pallida conceptum facies prodebat, & aluus
Maiori ſuſpenſa ſinu, pectuſque levatum,
Exîli vox clauſa ſono, manifeſta latentis
Signa dabant fœtus.

Et rurſus, poſt non pauca carmina.

Vir tamen occurrens, vt Virginis ora reverſæ
Pallida conſpexit, tumidumque exurgere ventrem,
Saucius vt nigro qui neſcius obviat angui
Obriguit, gelidum tremuit ſine ſanguine pectus.

Itaque oris pallor, ſqualida facies, carnis macies & attenuatio, vox qnoque exîlis, pectuſque anhêlum, præter aluum fœtu diſtentam, ſigna fuerunt, quibus in Virginis fœcundæ cognitionem Ioſephus ductus eſt. At mihi tot ſigna ſuperflua eſſe videntur, quando vel vnum tumentis vteri, cum graviore Virginis inceſſu ſufficiebat, imo in ea fuiſſe talia ſigna, non mihi perſuadebunt. Do lubentèr cum Ariſtotele, fœminas, quæ ex virili concubitu concipiunt, talibus ſignis teneri ac fœdari: incongruum tamen iudico, ne dicam diſſonum, partem corruptis illam facere, quæ ſanctè & illibata Virginitate,

Ariſt. de hiſt. anim, li. 7. c. 4.

ex

ex Spiritu Sancto concepit. Si enim ob hunc mirum concipiendi modum, nullis, quibus ſolent cœteræ mulieres, partus doloribus afflictata eſt, ſed placidè, dulcitèr, dignoque Dei partu, Deum & hominem peperit: & velut ipſa Virgo, iuxta Divum Gregorium Nyſſenum, neque cognovit quo pacto in corpore ipſius corpus illud divinitatem recipiens coaluerit; ſic nec partus quidem ſenſit.] Quis non arguat, ſine illis etiam ſignis gravidam fuiſſe, atque à Ioſepho inventam eſſe? Præterea Hippocratis Aphoriſmus eſt: Mulier gravida, ſiquidem maſculum gerit, benè colorata eſt; ſi vero fœminam, malè:] ergo multo magis Virgo, cuius flos impollutus erat, abſque vllo oris pallore & macie, ſed vivido ac pulcherrimo genarum colore irradiabat; per quam filius, & cœleſtis maſculus, datus eſt nobis.

Nyſſ. hom. 13 in cant.

Hippoc. lib. 5 Aphor. 42.

3 Id quoque occurrit dubitandum ex verbis Evangeliſtæ, quia dicit: *Inventa eſt in vtero habens de Spiritu Sancto*: An Ioſeph non tantum Virginem invenerit gravidam, ſed etiam Authorem divini conceptus fuiſſe Spiritum Sanctum? Nec deſunt magni Patres, qui ita ſentiant: nam Divus Baſilius perſpicuis verbis ſcribit. Vtrumque Ioſeph reperit, & conceptionem, & cauſam ex Spiritu Sancto.] Et Theophilatus: Deinde ipſe cognovit de Spiritu Sancto eam concepiſſe: propterea noluit traducere, & affligere eam, quæ de Spiritu Sancto, non ex adulterio conceperat.] Et rurſus inquit: Inventa eſt. A quo inventa eſt? A viro, hoc eſt, innotuit, quod ex Spiritu Sancto concepit. Vnde clam eam volebat dimittere, & non audebat habere vxorem, quæ tantam gratiam habebat.] Simon vero Caſsianus, vt idem aſſerat, putat Ioſephum videndi cauſa quid eius ſponſa ageret, ſimulque Eliſabetham viſitaret, illius domum adiviſſe, Vnde patuit, ait, data fide dictis, quod virtute Spiritus Sancti habebat in vtero:] quibus verbis Virginem de Spiritu Sancto concepiſſe, in domo Eliſabeth audiviſſe Ioſephum, & aſenſum præſtitiſſe declarat. Si tamen his Patribus obijciatur, ipſorum placitum cum verbis Angeli pugnare, qui totus eſt in diſſuadendo Ioſepho à præſumpto adulterio, & Sanctiſsimæ coniugis dimiſsione, quam cogitabat, ſic illum monens: *Ioſeph fili David, noli timere accipere Mariam coniugem tuam: quod enim in ea natum eſt de Spi-*

Dubium.

D. Baſil. ſupr. cit.

Theoph. Matt. c. 1.

Caſsi. de Vir. M. lib. 2. c. 16.

Spiritu Sancto eſt; Baſilius quidem pro ſe, quid reſpondeat, in promptu habet: videlicet ſponſam ſuam voluiſſe, etiam poſtquam de Spiritu Sancto concepiſſe repererat, dimittere, cùm, quia nominari talis vxoris maritus metuebat, tùm quia, quæ circa eam facta fuerant, patefacere verebatur. Quaſi velit intelligi, Angelum Ioſepho perſuaſiſſe, non debere coniugem dimittere, quia noverat de Spiritu Sancto prægnantem, nec ob id tantæ Virginis maritum nominari timere. Idem quoque vult Theophilatus. Simon vero de Caſsia, quamuis dixerit Ioſephum auditis in domo Eliſabeth de cœleſti Virginis conceptione, fidem præſtitiſſe: non tamen ita certum facit, quin dubitet, & ideo Angeli revelationem, quâ omnino illum certum faciat, minimè excludit. His Patribus adiungit Maldonatus, Originem, Bernardum, & Hieronymum, quos legi, & nihil in eis expreſſum de re hæc invenio: niſi id fortè colligatur, quia vt ſupra actum eſt, ſentiunt Ioſephum voluiſſe dimittere Virginem, quaſi in eius vtero aliquid divinum præſentien tem, ſeque indignum tantæ Virginis contubernio reputantem.

4 Sanè tamen communis ſententia eſt Joſephum ante Angeli revelationem, non cognoviſſe immaculatam Virginem de Spiritu Sancto concepiſſe, nec verba Evangeliſtæ ita intelligenda eſſe, vt hæc particula, de Spiritu Sancto, referatur ad illam, inventa eſt, ſed ad iſtam, in vtero habens. Itaque Joſeph totius ſententiæ complexum non invênit: duntaxat enim ab eo, inventi quidem conceptus authorem ignorante, & anxiè dubio, ſponſa ſua inventa eſt in vtero habens. Id quod ſatis apertè Angelus indicat, omnem ſolicitudinem dubitationemque ab eius pectore excutiens, dum Virginis Matris ſacramentum his verbis illi revelat: *Ioſeph fili David, noli timere accipere Mariam coniugem tuam, quod enim in ea natum eſt de Spiritu Sancto eſt.* Ergò de quo concepiſſet, ignorabat: ſi enim cognoviſſet, iuſtus erat, recti bonique cognitor & appretiator: quamobrem inventâ pretioſâ margaritâ in puriſsimâ Mariæ ſponſæ ſuæ conchâ, minimè vellet, imò nec cogitaret quidem, illam dimittere: ſed potius negotiatori Evangelico ſimilis, apud ſe retinere, & quantalibet cæleſtem theſaurum diligentiâ venerationeque, vt poſt Angeli admonitionem fecit, cuſto-

Digitized by Google

cuſtodire curaret. Quod autem humilis, indignum Virginis contubernio ſe reputans, illam voluerit dimittere, non probat concepiſſe de Spiritu Sancto ab eo inventam, vt prædictis nuper Patribus attribui videtur, etenim eum ſemper latuit myſterium: vnde, ipſo Divo Bernardo aſſerente, quia myſterium penetrare non poterat, volebat dimittere eam. Itaque ille ex ſanctitate immaculatâque vitâ, honeſtiſsimiſque ſuæ ſponſæ moribus, aliquid in vtero eius mirabile latêre coniectabat: cuius rei abſconditæ non aſſecutio aut cognitio, potius illi, vt ſolet in rebus inſolitis, quas non capimus, evenire, timori ac pavori erat, quàm audaciæ, aut fortitudini ad retinendum ſecum ſponſam myſterium ſtupendum in alvo geſtantem.

5 Hinc tamen ſaltèm coniecturalitèr ex Evangeliſtæ Verbis, quod Joſeph ſponſam ſuam de Spiritu Sancto concepiſſe invênit, arguere poſſumus: quippè quærentis eſt invenîre, nec ſemèl id conſtat ex Evangelio, vbi dicitur: *Quærite, & invenietis. Et, ſimile eſt Regnum Cœlorum homini negotiatori quærenti bonas margaritas, inventa vna pretioſa, dedit omnia ſua, & comparavit eam.* Et Joſeph quidem, de quo Maria concepiſſet, quærebat & mente inveſtigabat ſolerti: concepiſſe enim prodente ſe vtero iam videbat, ſolum de auctore erat ſolicitus. Itaque quod præcipuum erat, & præ oculis non habebat, quærebat & acutiſsimè meditabatur, necnon & ſeverâ lance Virginis mores penſiculabat, nihil tamen in eis, quod ſanctitatem & pudicitiam non redoleret, inveniebat: nec ipſa Virgo in diſquiſitionis ſtatêrâ appenſa; inventa eſt de egregijs virtutibus minus habens. Quærebat quoque Joſeph, an ſecum colloqui timeret, an convictum mariti fugere tentaret, ſed neque horum aliquid inveniebat: comis enim erat & affabilis ad vtrumque, ſcilicèt non habebat, ſicut qui male agit, proptèr quod odîret lucem, & imperterritam faciebat innocentia, Deique in ſe concepti tutiſsima fiducia, vt ex Chriſtiano vate ſupra viſum eſt. Et facit ad rem præſentem, quod ethnicus Poeta canit:

Luc.c.11. Matth.c.13.

Integer vitæ, ſceleriſque purùs,
Non eget Mauri iaculis, nec arcu;
Nec venenatis gravida ſagittis,
Fuſce pharetha,

Horat. lib. 1. ode.22.

Digitized by Google

Sivè per ſirteis iter æſtuoſas,
Sivè facturus per inhoſpitalem
Caucaſum ; vel quæ loca fabuloſus
Lambit Hydaſpes.

Quid ergo Ioſephum inveniſſe arguamus, niſi quod ab eo, veſtigatione vigili ac coniecturali quaſi convicto, Virgo inventa eſt in vtero habens de Spiritu Sancto? Vix eius aſſenſus in aliam quam declinaret partem habebat. Si enim quæſtio, vt definit Ariſtoteles, eſt voluntatum, vel rerum, verborumve ad invicèm, aut ad aliam diſſentientem vitam demonſtratio:] quid illa Ioſephi accuratiſsima diſcuſsio, niſi æqua omnia, nihilque candidiſsimis Virginis moribus anteactæque vitæ diſsimile demonſtravit? Vnde iure Divus Chriſoſtomus maritalem zelum, & vteri clamantis accuſationem ſola, inquit, præterita converſationis documenta vincebant.] Si tamen obijciatur, ocioſam eſſe Angeli revelationem, vel contrarium diſcurſui facto demonſtrari, dum dicit: *Ioſeph fili David, noli timere accipere Mariam coniugem tuam: quod enim in ea natum eſt de Spiritu Sancto eſt*; Neutrum ſequi dicimus, quia inveſtigatio Ioſephi, quamuis diligentiſsima, exterior & coniecturalis erat, nec illi timorem aut formidinem adimebat, vtpotè Principijs neceſſarijs non innitens, alioqui evidentèr Virginem de Spiritu Sancto concepiſſe inveniſſet: & ideo Angelus primùm ab eo timorem expulit, & poſtea ſecurum reddidit, aſſeverans divini conceptus Authorem eſſe Spiritum Sanctum.

Ariſt. de Ret. ad Alex.

Chriſ hom. 1. in c. 1. Matth.

Cap. II. *Epitheton inventa, in Virginis laudem locis Sacræ Scripturæ illuſtratur. Proverbiorum locus; Mulierem fortem quis inveniet? Ei fuſè aptatur. Navis non ſolum inſtitoris, ſed etiam Solis fuit beatiſsima Virgo.*

1 STUDIOSE Quidem ab Evangeliſtâ dictum eſt, *Inventa eſt in vtero habens*, & quaſi de re quadam mirabili, vt Theophilatus notavit: quia Virgo & Mater, quod nulli mortalium erat excogitabile, imo nec

cœleſtibus intelligentijs adinuenibile, inventa eſt. Et Sacra Scriptura in his, quæ hominum & intellectualium creaturarum captum ſuperant, hoc verbo vti ſolet, vt Deus ſpecialis rei inventæ Author appareat, & eius incomprehenſibilis ſapientia & omnipotentia nobis, cum debitâ gratiarum actione, admirationi ac laudi ſit. Vnde Paulus de Chriſto Domino ait: *Habitu inventus vt homo*: quippè qui erat Deus, & filius Dei vnigenitus, patrique ſolâ cum diſcretione perſonæ in omnibus compar, tamen corporeâ ſubſtantiâ inventus vt homo eſt. Et rurſus de illo: *Per proprium ſanguinem introiuit ſemel in ſancta, æterna redemptione inventa.* Quæ vox, inquit, Cornelius, ſignificat hanc redemptionem fuiſſe inexpectatam nobis, & à Chriſto magno ſtudio dolore, & labore partam, quaſi gemmam in fundo maris perditam, quæſitam, & inventam.] Itaque ſuo ſanguine nos redemit, abolitis & antiquatis veteris legis ritibus & cæremonijs, quæ ad carnis, non ad Spiritus purificationem ſpectabant, ſeu, vt cum Apoſtolo loquar, *quæ non poterant iuxtà conſcientiam perfectum facere ſervientem*: quod ſanè redemptio per Chriſti ſanguinem inventa facit, noſque, eo ſemel effuſo, in perpetuum emundat, atque à peccatis expiat. Sicut ergo res mirabilis eſt, & opus Dei excelſum ac penitiſsimum, filius Dei habitu inventus vt homo, & redemptio per Chriſti ſanguinem inventa: ita Virgo & Mater, & Deo gravida inventa, & in quâ Deus invenirêtur vt homo, & per ipſum æterna generis humani redemptio invenirêtur, quia æterna huiuſmodi redemptio non inveniebatur ſine Deo homine, nec Deus habitu inveniebatur vt homo, ſine Virgine Matre inventâ: diſpoſitione vtique mirabili, tanta tamque profunda Matris & filij myſteria ſtrictiſsimè eodem copulantur & decorantur Epitheto.

Ad Philip. c. 2. — Ad Hebr. c. 9. — Cornel. hìc. — Ibid.

2 Accedit inſuper ad Virginis laudem, & fœlicem omnium noſtrûm lætitiam, quod non ſine deſiderantis animi anxietate & magnâ exultatione, Andreas fratri ſuo dixit: *Invenimus Meſsiam.* In quo verbo Chriſoſtomus duo dicit ſignificari, cùm patientis preſſuram propter abſentiam, tùm exultationem poſtquam apparuit, quod expectabatur. Philippus quoque eodem verbo vſus, Nathanaêli dixit: *Quem ſcripſit*

Ioan. 1. — Chriſ. in cat. D. Thom.

Moy-

Moyſes in lege, & Prophetæ, invenimus Ieſum filium Ioſeph à Nazareth: quantâque animi alacritate dixerit, ex Sacris teſtibus quos adducit, ſatis declarat, ſiquidem nihil optabilius iucundiuſque mortalibus, quam Meſsiam invenire, quem ſacri vates venturum prædixerant. Accedit, inquam, nam etiam Maria Virgo Sanctiſsima inventa eſt in vtero habens de Spiritu Sancto hunc eundem Meſsiam, nec alitèr inventa eſt niſi vt Iſaias Prophetarat, dicente Angelo: *Hoc autem totum factum eſt, vt adimpleretur quod dictum eſt à Domino per Prophetam dicentem: Ecce Virgo in vtero habebit, & pariet filium: & vocabitur nomen eius Emmanuel, quod èſt interpretatum nobiſcum Deus.* Ecce nobis ſimilis cauſa gaudij in Virgine inventâ vterum gerente, ac in eâ invento Meſsiâ: & quodammodo principalis gaudij, ſiquidem inventâ Matre, ſpes inveniendi filij erat indubitata. Inventa eſt profectò habens in vtero omnes cœli divitias, gratiæ Authorem, Redemptorem mundi, Sacerdotem Summum, ſe pro nobis Deo immaculatam victimam offerentem, remedium denique, & peccatorum ſolamen vnicum. Hic ergo eſt Meſsias promiſſus, qui priùs inventus eſt in Virgine, quàm ab Andreâ & Philippo iam natus mundo invenirētur.

3 Mirè Spiritus Sanctus, antequàm Virgo Maria inventa eſt de eo in vtero habens, quaſi rem ſanè arduam, inventuque admodùm difficilem, pronunciavit: *Mulierem fortem quis inveniet?* Quia tamen decreto tempore erat invenienda, tantæ mulieris nobis continuò ſigna ſuggeſsit: *Procul*, inquit, *& de vltimis finibus pretium eius. Confidit in ea cor viri ſui, & ſpolijs non indigebit. Reddet ei bonum & non malum omnibus diebus vitæ ſuæ. Facta eſt quaſi navis inſtitoris de longe portans panem ſuum.* Modò priùs penſitemus, quod Mulierem fortem vocat, in quo inveniendi arduitatem poſuit: etenim mulier imbecillis ſexûs eſt nomen, nec illa quidem ad fortia nata eſt, vnde dicitur: *Quæſivit lanam & linum, & operata eſt conſilio manuum ſuarum.* Neque enim gladium, ſed *digiti eius apprehenderunt fuſum.* Quæ ergo erit hæc mulier egregia, & mulierum exceptio, quæ fortis meritò appellari & haberi debeat, niſi Virgo Maria? Conferte illam rogo, cum omnium mulierum primâ, & tunc quando virgo erat, & paùlo ante de Prov.c.31.

 viri

viri coſtâ à Deo formata, quæ proculdubio non parùm ad robur & fortitudinem faciunt, & toto cœlo diſparem invenietis Mariam, Virginem, & Mulierem fortem: Evam etiam virginem, mulierem verò imbellem. Hæc equidem ad primum mendacis colubri blandimentum, adeò debilis & imbecilla fuit, vt deitatem eſu pomi aſſequi poſſe crediderit. Certè & ipſe dœmon delicatam & mollem ſatis eſſe cognovit, quam blandâ comedendi illecebrâ aggreſſus eſt, vtpotè ad eam de fœlici ſtatu deturbandam nullis viribus opus eſſe demonſtrans. At Virgo Maria quàm fortis, quam magnanima coram Angelo vera & magna divinitatique proxima nunciante, ſteterit, vel ipſa ſuæ virginitatis defenſio ſplendidiſsimè declarat: non enim ceſsit veracibus Angeli promiſsis, non altiſsimæ Matris Dei dignitati, donec integram intactamque Dei filium, obumbrante Spiritu Sancto, ſe concepturam audivit. Non prætermittam hic, quod apud Rueum lego, viſum nempe magno naturæ miraculo adamantem qui adamantem pariebat, cuius congeneris prolis geneſim cœleſti virtuti attribuit. De adamante itaque ſcribit: Puſillâ tametſi mole, ignibus etiam vaſtiſsimis iniectus medius, pertinax atque illæſus ita permanet, vt nullam prorſus ignis actionem adimiſiſſe (etiamſi multos dies ibi perſeveret) palam oſtendat, vnde indomitam antiquis vocari gemmam invenire eſt. Hæc ille. Quæ profectò non importunè retuliſſe cenſebor, quando in fortiſsimâ gemmâ ſimillimam ſibi gemmam virtute cœli pariente, eâque igne minime læsâ, mirè adumbrata Sanctiſsima Virgo invenitur. Etenim mulier fortis, velut fortiſsimus adamas, Chriſtum Dominum divini ſpiritus concepit ac peperit virtute adamantem, obſtinatis Iudæorum perſecutionibus ſemper indomitum: qui tamen cum agnus eſſet, ſe ſuo ſanguine delinivit, & clavis, vt nos redimeret, perforandum dedit. Deinde illa, velut fortiſsimus iuxtàque puriſsimus adamas, in medio flammigeri rubi illæſa ardebat, & eius virginitas eiſdem flammis intacta coruſcabat. Præterquàmquod in crudeliſsimâ filij ſui dilecti paſsione, quam oculis hauriebat, non exanimis, non vt mollis ac delicatula fæmina eiulans, ſed ſtans iuxtà crucem (vnde Ambroſius dixit: Stantem lego, flentem non lego) in corde ſuo gladium filij acerbiſsimoſque dolores innerrabili fortitudine patiebatur.

Rueus lib. 1. de gem. c. 1.

Lib. 2. c. 15.

Nunc

Digitized by Google

4 Nunc quam accuratè illis ſignis fortiſsima Virgo indigitetur, videamus. *Procul*, inquit Spiritus Sanctus, *& de vltimis finibus pretium eius*: hoc eſt (vt Divus Bernardus interpretatur) Non vile, non paruum, non mediocre, non denique de terrâ, ſed de cœlo, nec de cœlo proximo terris pretium fortis huius muliêris, ſed à ſummo cœlo eggreſsio eius.] Idem, ſed breviùs, dixit Ambroſius: Vnde hoc munus? Non de terrâ vtique, ſed de cœlo vas ſibi hoc (id eſt Virginem) per quod deſcenderet, Chriſtus elegit, & ſacravit templum pudoris.] Itaque muliêris fortis pretium, non aliundè niſi è cœlo venîre poterat: cœlum ſanè dedit talem terris heroînam, & illas eâ mirificè Virgine Matre locupletavit. Liceat mihi verba Ambróſij vſurpare, vt quæ ille de Virginitate, ego de Mariâ Virgine prædicem. Quis igitur neget hanc Virginem fluxiſſe de cœlo, quam non facilè invenimus in terris, niſi poſtquam Deus in hæc terreni corporis membra deſcendit? Tunc in vtero Virgo concepit, & Verbum caro factum eſt, vt caro fieret Deus. Hæc nubes, aera, Angelos, ſideraque tranſgrediens, Verbum Dei in ipſo ſinu Patris invênit, & toto hauſit pectore.] Verè non de noſtris laribus, non de noſtris terris, neque de longinquis extremi orbis Britannis, neque tandem de terris alio calentibus ſole: procul quidem multò ab his, & longè ab vltimis mundi finibus, inextimabilis rutilat Virgo Maria, & pretioſior eſt, vt vertunt ſeptuaginta interpretes, lapidibus pretioſis: vel, vt habet alia lectio, longinquum ab vnionibus pretium eius; nec cum fulgentiſsimis Erythræi maris & Indici computandum gemmis.

D. Bern. hom. 2. ſup. Miſſ.

Ambr. de inſt. Virg. c. 5.

D. Ambr. lib. 1. de Virg.

5 Sequitur aliud ſignum: *Confidit in ea cor viri ſui, & ſpolijs non indigebit*. Cur in tam forti ac ſtrenuâ Virgine, quæ Angelo dixerat: *Virum non cognoſco*, cor viri ſui non confideret ac omninò imperturbatum quieſceret? Sed quia aliqui iure docent, duos viros ſeu ſponſos caſtiſsimam Virginem habuiſſe: vnum, nempe Ioſephum, de quo non concepit: alterum, Spiritum Sanctum, de quo verè concepit, & qui viri munia, non vt vir, ſed ineffabili ſuæ ſapientiæ modo geſsit: videamus quantâ vterque ſecuritate confidit in eâ. Sanè illa erat iam nupta Ioſepho, vt ſupra diſſervimus, quando ad eam Angelus miſſus eſt: & tunc quidem quanta eſſet Virgo, quàm forti-

tèr

tèr pudica, quàm virginitatis amatrix, quaſi expertus eſt Spiritus Sanctus, ſiquidem miniſtro ſuo divinum conceptum partúmque nuntianti, reſpondit: *Quomòdo fiet iſtud, quoniàm virum non cognoſco?* Et eo tandem eius conſtantiſsima pudicitia devênit, vt non ſecùs quàm edocta de mirabili concipiendi modo, per ſupervenientem in eâ Spiritum Sanctum, obumbrantemque Altiſsimi virtutem, aſſenſum præbuerit. Protinus ergo Spiritus Sanctus, mirificus ſponſus, forti mulière inventâ, confidit in eâ, quin imo ipſum cœli theſaurum ei fidit, ipſum quidem filium Dei, quem, eo operante, intra virginalia viſcera genuit. Tum quoque ipſe (ſi fas eſt dicere) præclaris ſpolijs, divitijs, ornamentiſque, à tantâ ſponsâ partis, indigère non potuit: quia victricem inſuperabilemque Virginem contrito ſerpentis capite innumera illi ſpolia erepturam præviderat, eamque ſpiritualium gratiarum, & cœleſtium ornamentorum, quibus illius animam cuiusè locupletaverat, nihil amiſſuram, ſed potius conſilio manuum ſuarum, id eſt, ſanctiſsimis virtutum operibus ampliora munera magis ac magis in dies ſuperlucraturam.

6 Ioſeph autem, alter Virginis ſponſus, etiam confidit in eâ, de ſuâ pudicitiâ honeſtiſsimiſque moribus valdè ſecurus, quibus ab eo perſpectis, nulla ſuſpicionis & zelotypiæ cauſa apparebat. Hâc tamen ſecuritate Ioſephum à principio non fuiſſe potitum, id eſt, à tempore in quo inventa eſt in vtero habens, ſed poſtquàm Angelus in ſomnis ei de Spiritu Sancto illam concepiſſe revelavit, aliqui opinantur, verba de quibus eſt ſermo exponentes. Nec alitèr ſentire poſſunt, qui dimittendæ Virginis cauſam commiſsi ſuſpicionem adulterij fuiſſe aſſerunt. Sed de hâc quidem re ſatis ſuperque ſupra egimus, vbi non hanc, ſed aliam cauſam prorsùs diverſam non paucorum Patrum patrocinio, fuiſſe oſtendimus. Et modò, quatenus ad præſentem locum attinet, advertere convenit in eo dici: *Confidit in ea cor viri ſui*: quia cor Ioſephi, quidquid oculorum ſenſus tumeſcentem vterum aſpiciens, verſatiliſque imaginatio oblatrabant, imperturbatum contemnebat: fidele enim erat, nec ab eo, quod ſemel de ſuæ ſponſæ pudicitiâ altè imbiberat, ob ſenſuum obloquentium indiſcretam cognitionem, avelli poterat. Longe equidem ab his ſenſibus cor diſtat,

Digitized by Google

& multoties, etiam in rebus bonis, ab eis diſſentit: vnde Deus queritur: *Appropinquat populus iſte ore ſuo, & labijs ſuis glorificat me, cor autem eius longe eſt à me.* Quid mirum, ſi cor viri iuſti ſenſibus ſuis noluerit credere, nec in re dubiâ & honoris, cum illis miſceri? Ioſeph ergo nunquam non confidit in eâ. Præterea, ſi contrà opinantibus demus, ſanctiſsimam ſponſam thalami maritalis violaſſe fidem, alîquando ſuſpicatum fuiſſe, non ideo illa quanvis prægnans inventa, ſponſo ſuo ita ſuſpicandi cauſam præbuit, & in zelotypiam incidendi: divinus enim erat conceptus, cuius profectò Virgo non rapinam ſe eſſe Matrem arbitrata eſt, ſed ſe ad inopinabilem dignitatem quæſitam & electam exinanivit, dicens: *Ecce ancilla Domini, fiat mihi ſecundum verbum tuum.* Deo itaque obtemperavit, Deo præſtitit fidem, proinde quæ Deo præſtitit fidem, mariti fidem non violavit. Quid quod Ioſeph ſponſam ſuam Matrem Dei eſſe, & de Spiritu Sancto concepiſſe, vnde ſibi ſiniſtra emanabat ſuſpicio, neſciebat? Anne ignorantia eſt æqua ſuſpicandi occaſio, ipſaque inde ſiniſtrè nata ſuſpicio innocentem facere nocentem poteſt? Minimè gentium, ſed ſuſpicio criminis, multotiès eſt culpa in ſuſpicante. Habuit intemerata Virgo omnes partes mulieris fortis, in qua Ioſeph, omni ſuſpicione contemptâ, poſſet tutò ſemper confidere. Iſai.c.29.

7 Nos autem ſemper confidiſſe ſentimus: & modo propter talem ſponſam, caſtiſsimamque conſortem, quàm verè de illo intelligatur, quod ſpolijs non indigebit, conſideramus. Etenim in virgineâ illius aluo, tanquam in aruo mirâ ſolius Spiritus Sancti operâ exculto, infinitum theſaurum, & omnium bonorum & divitiarum fontem invênit, necnon ſpoliatorem Samariæ & Aſſyriorum: quippe de puero Ieſu ſecundum Hieronymi, & plurium Patrum expoſitionem, dictum eſt: *Voca nomen eius, accelera, ſpolia detrahe, feſtina prædari. Quia antequam ſciat puer vocare patrem ſuum, & matrem ſuam, auferetur fortitudo Damaſci, & ſpolia Samariæ coram Rege Aſſyriorum.* Etenim ſpoliato inferno, atque immaniſsimo tyranno, *captivam duxit captivitatem, dedit dona hominibus.* Superveniens dœmone fortior vicit eum: *vniverſa arma eius abſtulit in quibus confidebat, & ſpolia eius diſtribuit.* Quis pro rei dignitate Ioſephi fœlicitatem ponderet, qui deſidera- Iſai.c.8. Ad Epheſ.c.4. Luc.c.11.

deratum gentibus, earum ſervatorem, atque omnis gratiæ donatorem in Virgine ſponſa ſua invenit? Quis, quod proptèr illam, dici haberique Chriſti Ieſu Pater audierit? Quis, quod non ſolùm tanta totque egregia ſpolia ex hoſte erepta, ſed etiam inſuperabilem ſpoliatorem in mariti domum invexerit? Quis, quantam pudicitiam candoremque virgineum, afflatu & conſortio, illa viro ſuo inhalaverit, dicente contra Heluidium Hieronymo: Tu dicis Mariam Virginem non permanſiſſe: ego mihi plus vendico, etiam ipſum Ioſeph Virginem fuiſſe per Mariam, vt ex virginali coniugio virgo filius naſceretur?] Quis tandem, quod Deus, non tantum Mariæ, vt ſcribit Bernardus, cui Angeli ſubditi ſunt, cui principatus & poteſtates obediunt, ſed etiam Ioſepho proptèr Mariam ſubditus erat?] Verè Virgo Maria mulier eximia & fortis, quæ *accinxit fortitudine lumbos ſuos, & roboravit brachium ſuum, cuius indumentum fortitudo & decor*, quæ exquiſitiſsimis de cœlo divitijs & donis domum viri ipſumque virum locupletavit & auxit. Dignè quoque de illa dicitur: *Reddet ei bonum & non malum omnibus vitæ ſuæ*: nihil enim eorum bonorum, quæ in domum aſportavit, & viro ſuo gratiâ plena communicavit, nunquàm minuit, ſempèr vero his cœleſti curâ adiecit; quo circa non malâ coniecturâ dici poteſt, aut incongruè, de Ioſeph, quod de typo eius, geminato elogio: *Filius accreſcens Ioſeph, filius accreſcens*, quia iuxta nomen ſuum ei obtigit ſponſa, ex cuius conſortio, & ob cœleſtem filium, quem in ea invênit, duplex incrementum, & quale ne vix quidem excogitari poterat, aſſecutus eſt.

Bern. hom. 1. ſup. Miſſ.

Gen. c. 49.

8 Denique quam ſtrenua fortiſque mulier inventa ſit in Virgine Mariâ, palàm oſtendit, quòd *facta eſt velut navis inſtitoris de longe portans panem ſuum*; etenim navis mercatoris, cui comparatur, fortis debet eſſe, & validis contexta trabibus, minimèque rimoſa, vt merces ſuas de longè portare poſsit: alioqui per varios marium tractus, fluctibus expoſita, vnà cum mercibus peſſum ibit. Itaquè quaſi navis facta eſt Virgo Maria, & illam in Nazareth, inquit Hugo Cardinalis, aſcendit divini Patris Verbum, quandò ipſa dixit: *Ecce ancilla Domini*: in eâque dormivit Ieſus menſibus novem, ſed ipſo excitato, id eſt, nato, facta eſt tranquillitas magna, quia

Math. c. 8.

tan-

tanta fuit vbique pax, vt deſcriberetur vniverſus orbis.] Addendum eſt inſupèr; quod tunc quidèm navis oneraria facta eſt ob illud divinum onus, quod à remotiſsimo cœlo ad noſtras terras in aureo vteri ſui navigiolo aſportavit: ſeu, vt clariùs dicam, navis frumentaria, quæ *frumentum electorum, & vinum germinans virginem*, alendo mundo attulit, videlicèt, Chriſtum Dominum, qui de ſe dicit: *Ego ſum panis vivus qui de cœlo deſcendit.* Zach.c.9. Ioan.c.6.

9 Debemus etiam, & meritò, Mariam Solis navem appellare, tùm, quia vt docet Steuchius, Nomina navibus induntur ab officio, aut miniſterio, quod præſtant: tum quia Solem navigio vehi, & Oceanum navigare, non vulgari eruditione, Petrus la Sana, vir apprimè doctus, oſtendit: additque Egyptios Deorum, & Herôum ſtatuis navigia ſubieciſſe. Quod enim aliud habuit officium Virginea navis, quàm Solem Iuſtitiæ Chriſtum Dominum in orbem inferre, & Regi ſæculorum homini facto novem menſes ſe ſubijcire, & cum eo huius ſali vndas, donec Bethlehem appulit, fauſtiſsimè ſulcare? O Mariam divini ſolis navem! tibi adſcribi debetur, quod Martianus Capella, apud modò laudatum Authorem, de ſolis navi ſcribit: In eâdem rate, inquit, fons quidam lucis ætheræ arcanis fluoribus manans, in totius naturæ lumine ferebatur.] Quis namque in te, Virgo clariſsima, veri ſolis navigio fons ille lucis cœleſtis, niſi Chriſtus Dominus, qui ait: *Ego ſum lux mundi*: qui mundum tenebris obſitum, clariſsimis fluoribus irrigavit? Facta eſt igitur Virgo Beata quaſi navis inſtitoris, quia vt providentiſsima filijs ac domui ſuæ Mater de longè omne bonum, ſive ad delicias, ſive ad ornatum, ſive ad ſplendorem pertinens, attulit: ad delicias quidem animæ, manna de Cœlo, *panem Angelorum omne delectamentum, & ſaporis ſuavitatem in ſe habentem*: ad ornatum verò ſplendoremque, veſtes & telas auro gemmiſque mirifice intextas, vt ſunt gratiæ & Spiritus Sancti dona, & nitentes virtutes: ac demum, vt vno verbo omnia comprehendam, ipſum gratiæ & omnium bonorum Authorem, & ſolem; *qui illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* Qua proptèr cum navis ſoſpitatis & ſecuritatis ſit ſymbolum, quæ (vt ait hic non ſemèl laudatus Author) vt tutò vndoſa tranſilirentur va-

Steuch. ſupr. Veg lib.4. de re mil.c.32. Petr. la ſan. in Philolog. diſſ. Mart.cap. Ioan.8. Sap.c.16. Ioan.1.

da repertum inſtrumentum eſt,& ſatis indicat arca Noe, quam meritò in Dei omnipotentis gloriam, & potiſsimùm in Dei Matrem extollimus:] rectè quoquè ipſa facta eſſe navis dicitur, quæ inventa eſt in vtero habens de Spiritu Sancto omnem nobis incolumitatem, & in hoc tempeſtuoſo mundi pelago ſecuram ad cœlum viam.

EPITHETON XII. EX D. MATH. CAP. I.

IN VTERO HABENS DE SPIRITV Sancto.

Cap. Vnicum. *Virgo & vterus eius laudantur. In parte eius dextera Chriſtus formatus eſt. Locus Proverb. Sapientia ædificavit ſibi domum, & illud Poetæ: Regia ſolis erat, de Virginis vtero explanantur. Quam cauſam denotet præpoſitio de Spiritu Sancto. An Virgo ad Chriſti conceptionem activè concurrerit. Locus Geneſ. Hoc nunc os ex oſsibus meis in Virginis laudem exponitur.*

PROFECTO Ad egregiam Virginis Mariæ commendationem, nihil excellentius dici poteſt, quàm in vtero habens de Spiritu Sancto: quia tam mirabile ſacrumque præconium, cum claro, ſive Virginum, ſive fœcundo Matrum cœtu, nihil commune habet: nulla enim Virgo, aut Mater inventa eſt, invenieturve, in vtero habens de Spiritu Sancto; itaque ſola illa de Spiritu Sancto vterum gerere digna fuit. Quis hinc non ſtatìm arguat incomparabilem illius, tàm animæ, quàm corporis virginitatem? Cant.c.7. Verè *vterus eius erat ſicut acervus tritici vallatus liliis*, non vno, non duobus, non paucis, ſed multis, quia eximiâ munditie, & quantâ excogitari poteſt puritate florebat: qui etiam meritò vallatus lilijs dicitur, nam Virgo ipſa coram Angelo Dei conceptum & partum nunciante fortiſsimâ caſtitate vallatum aſſeruit, ſeu liliato aggere munivit: Vnde meruit audire,

Spiri-

Digitized by Google

Spiritus Sanctus, qui lilia non violat, ſed longè candidiora reddit, *ſuperveniet in te.* Et ad quid ſuperventurus prædicatur, niſi ad ſponſi munus in virgineo vtero inſcrutabili opificio obeundum, ibique ad impollutum, puriſsimum dæfecatiſſimumque Virginis ſanguinem, quaſi manu tractandum, atque in dexterâ vteri parte cogendum, in quâ, ſemine recepto, vt modo cum Lactantio, & Hippocrate ſentimus, maſculus concipitur? Et ſi enim aliquando, in hâc, & in ſiniſtrâ vteri parte, vt obſervat Ariſtoteles, mas & fœmina gignantur: tamen in virgineo fœtu, cuius Deus erat vnicus Author, & per quandam acommodationem, Spiritus Sancti perſonæ tribuitur, dextram partem fuiſſe electam omninò ſentiendum eſt. Tùm quia ad maris generationem naturâ aptior eſt: tùm quia opera Dei perfectiſsima ſunt, & à dextris neceſſe eſt proveniant, quæ ſuoptè genio validiora & perfectiora ſunt ſiniſtris.

Lact. de opif. Dei. c. 12. Hipp. libr. 5. c. 48. Ariſt. lib. 4. de gen. anim. c. 1.

2 Itaquè Divinus Spiritus, qui paternæ quoquè dexteræ digitus dicitur, ex puriſsimo ſanguine Virginis, mirabile pueri Ieſu corpuſculum, apprimè formavit, & membra membris venuſtiſsimè collocata iunxit, ac diſtribuit: idque quidem non temporis ſpatio, non tarditate, aut naturæ legibus, ſed vnico inſtanti, & eo pacto quo mundi fabricam, non malleo, ſed præcepto fecit: & quo elementorum membra, non ingenio, ſed iuſsione compegit, vt inquit Chriſologus. In quo ſanè inſtanti, nullo præcedente embryone, vt aliorum fœtuum lex eſt, caro illa ſanctiſsima ſimul concepta & formata, & rationali animâ vivificata, hypoſtaſi divini verbi ſubſtitit: atque ita ſemper fuit veri hominis verique Dei vera caro, vnaquè perſona Deus & homo. Sic igitur Virgo in vtero habuit de Spiritu Sancto, qui illum ineffabilitèr ad inenarrabilem tanti pignoris generationem fœcundavit, conſecravitque. Proindè dicamus cum Divo Ambroſio. Opus Spiritus, Virginis partus eſt. Opus Spiritus, fructus eſt ventris, ſecundùm quod ſcriptum eſt, *Benedicta tu inter mulieres, & benedictus fructus ventris tui.* Spiritûs opus, flos radicis eſt. Ille, inquam, flos de quo benè eſt prophetatum: *Exiet virga de radice Ieſſe, & flos de radice eius aſcendet.*] O mirum Virginis vterum! O vas mundiſsimum, auro & gemmis omnibus pretioſius ac micantius, in quo Spiritus Sanctus vnigenito Dei filio corpus finge-

Chriſo. ſerm. 68. Amb. lib. 2. de Spir. Sanc. c. 5. Iſai. c. 11.

Digitized by Google

fingere, elaborare, li neamenta ducere, pulcherrimoque nexu membra membris illigare lubentèr dignatus eſt! O virgineum, ac planè regium Mariæ ſanguinem, quem illa Spiritui Sancto miniſtravit, & de quo ille vivum Dei filio templum, in quo perſonalitèr inſeparabilitèrque habitaret, miro ſilentio, & longe ſacratiùs conſtruxit, quàm illud Salomonis, in cuius ſtructura malleus & ſecuris & omne ferramentum non ſunt audita.

Reg. 3. c. 6.

D. Ber. in de prec. ad Virg.

3 Verè beneplacitum fuit Deo (inquit Bernardus) habitare in te, quando ex ipsâ illibata carnis tuæ ſubſtantiâ quàſi de lignis Libani architecturâ ineffabili domum ſibi ædificavit Dei ſapientia: ſuffulſit eam ſeptem columnis argenteis, ac reclinatorium aureum in eâ collocavit.] Sed quia huiuſmodi domum, quam Verbum Dei ſapientia, iuxta Bernardum ædificavit ſibi, multi Patres non ſolum de Chriſti corpote exponunt, ſed etiam de Virginis vtero, qui fuit domus, quam ad illud concipiendum & affabrè formandum, Spiritus Sanctus ædificavit: videamus quàm mirificum in pulcherrimâ eius ſtructurâ ſe architectum exhibuerit. Et quidem mihi occurrit illud, quod prophanus vates de Phœbei luminis aulâ cecinit, & commentus eſt, veriùs & ſine illâ fictione, ſacro Virginis vtero donare.

Ovid. 2. Metam.

Regia ſolis erat ſublimibus alta columnis,
Clara micante auro, flammaſque imitante pyropo:
Cuius ebur nitidum faſtigia ſumma tegebat:
Argenti bifores radiabant lumine valuæ.

Itaque, ſi magna licet componere paruis, Virginis vterus Regia Solis erat illius divini, qui ſplendor eſt æterni Patris, & iuſtitiæ Sol, omnem hominem ad vitam immortalem illuminans. Et ſanè ſublimibus alta columnis: ſiquidem ille, aulâ in vtero Virginis ſibi ædificatâ, excidit columnas ſeptem, Pario quidem marmore candidiores, adamante firmiores, atque omni gemmarum lucentium genere nitidiores: quippè nihil aliud ſunt, quàm coruſcantes virtutes ex cœli lapidicina exciſſæ ad auguſtiſsimæ aulæ fulcimentum, in quâ excelſa Dei concipiendi maieſtas dignè, vt par erat, exciperetur: nullum enim templum Deo, quàm ex virtutibus animæ cordiſque puri, decentius magiſque decorum conſtruitur. Neque in his colum-

nis

nis aliud niſi ſeptem Spiritus Sancti dona intelligimus, de quo Virgo Beata habebat in vtero ipſum donorum Authorem? Erat enim illa conceptionis ſuæ intemerata aula donis ſapientiæ & intellectus munita, quæ quidem fulſerunt, quando auditâ Angeli Salutatione, *Cogitabat qualis eſſet ita ſalutatio.* Tùm erat ſuffulta donis conſilij & fortitudinis, quæ ſimilitèr fulſerunt, quandò dixit, *Quomòdo fiet iſtud, quoniam virum non cognoſco?* Tùm donis ſcientiæ & pietatis, quæ etiam fulſêre, quandò dixit, *Ecce ancilla Domini, fiat mihi ſecundùm verbum tuum.* Tùm deniquè, dono timoris Domini, quod clare emicuit, quando *turbata eſt in ſermone Angeli.* Divus Bonaventura vero ex his Iacobi verbis: *Quæ autem deſurſum eſt ſapientia primùm quidèm pudica eſt, deinde pacifica, modeſta, ſuadibilis, bonis conſentiens, plena miſericordia, & fructibus bonis ſine ſimulatione*:] ſeptem colligit columnas, quas explicat, & Virgini applicat. Idem ſuper locum Proverbiorum, ſed duobus modis, Hugo Cardinalis facit; accommodationem autem & expoſitionem apud illos legite. Nunc ego ad illud tranſeo exponendum: Clara micante auro, flammas imitante pyropo: in quo pretioſiſsima claritas & plane cœleſtis oſtenditur virginalis aulæ, necnon ardentiſsima charitas, cuius velut ætherei pyropi lampades, lampades ſunt ignis atque flammarum. Nec vacat illud ebur quod faſtigia ſumma tegebat, ſcilicet Virginis vterum, tectum ingens, auguſtum, centum ſublime columnis: quo enim meliùs, ac ſplendidiùs poterat quàm bracteis, laminiſque eboris operîri, quod candorem & caſtitatem, vtpote materia ab elephante animali pudico proveniens, præſefert? Certe, id quod de divini ſponſi corpore prædicatur, æquum eſt de puriſsimo Virginis Mariæ ſuæ ſpecialiſsimæ ſponſæ, ſibique ſimillimæ, corpore prædicari: dicitur enim venter eius eburneus, quo eximia puritas & munditics commendatur.

D.Bona. epiſ. Iac.c.3.

Hug.Cardenal. Prov.c.9.

Cant.c.8.

Cant.c.5.

4 Valuæ tandem deſcribuntur biſores, nec alio quàm argenti lumine radiantes, per quas ego puriſsima Virginis labia intelligo, quæ quaſi valuæ ſunt & porta. Cum enim dixerit Dominus vati Ezechiêli: *Porta hæc clauſa erit, & non aperietur: & vir non tranſibit per eam, quoniam Dominus Deus Iſrael ingreſſus eſt per eam.* Portam hanc, ſanè ſeris virginitatis

Ezech.c.44.

ſem-

ſemper clauſam, eſſe Virginem Mariam, de cuius puriſsimis ſanguinibus in eius vtero, ſeu aulâ regiâ, Chriſtus Dominus conceptus eſt, communis eſt Sanctorum Patrum interpretatio. Ad huius autem aulæ ſplendidiſsimæ ingreſſum, non ego alias Deo intranti valuas fuiſſe patuiſſeque dixerim niſi Virginis labia, quæ tunc ipſamet humilitèr, & magna cum reverentiâ aperuit, quandò dixit: *Ecce ancilla Domini, fiat mihi ſecundum verbum tuum*: nam ſtatim Dominum concepit, & Verbum caro factum eſt. Itaque quaſi fores geminæ argenti lumine nitêbant: etenìm ſicut argentum purum, excoctum, extraneâque commiſtione purgatum, maximum ſplendorem emittit: ita mundiſsima Virginis labia, quorum eloquia, quæ cum Angelo nunciante habuit, caſta fuerunt, & (vt cum Davide loquar) argentum igne examinatum, purgatum ſeptuplum, id eſt, ſicut Auguſtinus interpretatur, ſeptem donis Spiritus Sancti. In eundem quidem cogitatum Hugo de Sancto Victore, mihi accedere videtur, qui verba hæc: *favus diſtillans labia tua: mel & lac ſub lingua tua*, verſans, inquit: Tota ergo Trinitas venit ad Virginem: ſuſceperat enim ab ore Patris in labijs oſculum: ſuſceperat in linguâ Patris Verbum: ſuſceperat in vnguentis Patris & Verbi Spiritum.] Et paucis interpoſitis ait: Omnia ad ſimilitudinem dicta ſunt. *Favus diſtillans labia tua.* Favus mel & ceram habet: mel divinitas eſt, cera humanitas, favus Verbum caro factum eſt in Virgine.] Addo etiam Albertum Magnum, qui ſuper hæc verba, *Creavi fructum labiorum pacem*, ſcribit: Fructus labiorum Chriſtus eſt. Quandò enim in labijs Beatæ Virginis diffuſa eſt gratia reſpondendi, *Ecce ancilla Domini, fiat mihi ſecundum verbum tuum*, tunc concepit hunc fructum, per quem facta eſt prædicta pax.]

Pſalm. 11.

Auguſt. hìc.

Hug. ſerm. de Aſſump.

Iſai. c. 57.

Alb. Mag. de laud. B. M. c. 1

5 Oportet autem in hoc maximo Virginis elogio explicemus, cur Evangeliſta ſcripſerit, *In vtero habens de Spiritu Sancto*, quâ etiam loquendi formâ Angelus vſus eſt, dicens: *Quod in ea natum eſt de Spiritu Sancto eſt.* Et quidem in his verbis, duo occurrunt dubia examinanda: Primùm, quid denotet præpoſitio *De*, an cauſam materialem, efficientemve? Angelicus Doctor ad vtramque cauſam habitudinem habere docet: qui tamen ad reſponſionem primi argumenti ait: Chriſti cor-

Dubium.

D. Thom. 3. part. quæſt. 32. art. 2. in corp.

Digitized by Google

corpus de Spiritu Sancto conceptum non propriè dici poſſe, ſed magis ex Spiritu Sancto; quod videtur probare ex Divo Ambroſio dicente: Quod ex aliquo eſt, aut ex ſubſtantiâ eſt, aut ex poteſtate eius. Ex ſubſtantiâ ſicut filius, qui ait: *Ego ex ore Altiſsimi prodivi*, Sicut Spiritus, qui à Patre procedit, de quo dicit filius: *Ille me clarificabit, quia de meo accipiet*. Ex poteſtate autem, ſicut illud eſt: *Vnus Deus Pater, ex quo omnia.* Quomodò ergo in vtero habuit Maria ex Spiritu Sancto.] Itaque verum eſt, quod præpoſitio *De* illam geminam habitudinem continet: quo circa, etiam apud Grammaticos, extra compoſitionem multoties cauſam efficientem denotat, & loco præpoſitionis, à vel abs, vel ex, ponitur, quod fecit in his verbis Terentius: Vt ſibi liceret, diſcere id de me;] ſub qua poſitione verba Angeli, & Evangeliſtæ propriè intelligere debemus de Spiritu Sancto efficiente, & Chriſti corpus in vtero Virginis formante. Sanè Sacra Scriptura *De*, & *Ex*, tùm ad cauſam efficientem, tùm ad materialem refert: ad materialem *Ex*, dicente Dei filio: *Ego ex ore Altiſsimi prodivi*; ad efficientem vero, *Vnus Deus Pater ex quo omnia*. Similiter ad materialem *De*, iuxta illud: *Ille me clarificabit, quia de meo accipiet*: ad efficientem in præſenti loco, *de Spiritu Sancto*. Vnde non ita certum eſt quod *De* propriè ſignificat cauſam efficientem, *Ex*, materialem, vt vult hìc Cornelius à Lapide, quia in ſymbolo dicitur Chriſtus conceptus de Spiritu Sancto, natus ex Maria Virgine; nam Divus Auguſtinus ſuper illud Pauli: *Ex ipſo, & per ipſum, & in ipſo ſunt omnia*, dicit: Attendendum, quod non ait, *de ipſo*, ſed, *ex ipſo*: ex ipſo enim cœli ſunt & terra, quia ipſe fecit ea, non autem de ipſo, quia non de ſubſtantia ſua. Ergo *Ex* ad cauſam efficientem refert, *De* ad materialem. Itaque pro certo habendum *De*, ad materialem cauſam, & ſimiliter *Ex*, dicere habitudinem, & ex Poetarum Principe conſtat, cum dicat:

Exoriare aliquis noſtris ex oſsibus vltor,
Qui face Dardanios ferroque ſequare colonos.

Quam habitudinem toties ſervat, quoties aliquid fieri de aliquo ſignificatur: quod non evenit, cum dicitur, *de Spiritu Sancto*, quia Chriſti corpus non eſt de ſubſtantia Spiritus Sancti, ſeu, *de eo*, ſed, *ex eo*, factore & agente, vt dictum eſt;

Ambr. lib. 1. de Spir. Sanct. c. 5.
Ecclic. 24.
Ioan. c. 16.
Teren. in Eun.
Cornel. hìc.
Virg. libr. 4. Æneid.

&

Digitized by Google

& vtriuſque clariſsimum habemus teſtimonium in hâc ſententia: *Hoc nunc os ex oſsibus meis , & caro de carne mea*: vbi *Ex*, & *De*, cauſam materialem ſignificant, dicente Adamo, Evam ex oſsibus ſuis , & de carne ſua eſſe à Deo ædificatam.

Gen.2.

Honc.ibi.

Dubium.

6 Hinc, nactâ occaſione, quæſtionem quam movet Honcala, quia curioſa eſt, & minime ad rem noſtram impertinens, tranſcribere non omittam. Quis, inquit, lector fuerit adeò ſomnolentus, qui verbis his non excitatur ad quærendum. Cur vbi videbatur ſatis fuiſſe dicere: Hoc os ex oſsibus meis, adiecerit, *nunc*, id eſt, hac vice? An quia oblatis ſibi antea cunctis alijs animalibus, nullam fœminam inter omnia illa ſibi agnatam cognoverat, qualem iam præſentem habebat? An potius quoniam dumtaxat hâc vice fœmina de ſolo viro ſit aſſumpta: cum tamen eſſet futurum tempus aliud in quo versâ vice ſumeretur ipſe vir de ſolà muliere: quippe Ieſus Chriſtus de ſolâ Matre Mariâ Virgine Beatiſsimâ? Sic demum mirabilis quidam generationis humanæ tetragonus conſumatur. Siquidem primus homo neque ex viro, neque ex fœminâ generatus eſt, ſed à Deo de ſolo terræ limo, quantum ad corpus eius ſpectat, eius manibus effectus eſt. Deindè fœmina ex ſolo viro fuit mirificè ædificata: at cæteri omnes eorum poſteri ex mare cum fœminâ fuerunt procreati, donec ventum eſt tandem ad Chriſtum, qui ex ſolâ fœminâ eâdemque Virgine Spiritus Sancti opificio conceptus eſt , atque natus.] Hucuſque ille. In quo pulcherrimo tetragono, ſeu quadruplici generationis humanæ modo, relicto illo tertio communi ex maris & fœminæ concubitu, ſi quartum cum primo, & ſecundo conferamus, quantùm his præſtet ille, ad laudem Virginis, & filij ſui, perſpicuè apparebit. Itaque primus homo fuit à Deo, & prima fœmina etiam à Deo, & ipſe Chriſtus tandem à Deo: Sed primus homo formatus à Deo, ex limo terræ, & prima fœmina ædificata à Deo ex coſtâ viri: Chriſtus verò conceptùs de Spiritu Sancto, & formatus quoad corpus de puriſsimo Virginis Mariæ ſanguine. Item ad primi hominis formationem Deus limum terræ ſumpſit: ad fœminæ ædificationem, viri coſtam: ad conceptionem & formationem Chriſti, Virgo Maria proprium ſanguinem miniſtravit, & inſuper illum Dei Verbum

ho-

Digitized by Google

homo factum ſibi aſſumpſit. O mira imparilitas! Tanta eſt igitur quantum longe eſt à terra cœlum, vnde ille *primus homo de terra terrenus*, dicitur: *ſecundus vero de cœlo cœleſtis:* 1.Corin.c.15
quia nimirùm, vt ille de terrâ factus eſt, ita hic de animato cœlo, id eſt, Virgine Mariâ, vt vocatur à Patribus: vel magis propriè, quia Verbum Divinum, quod caro factum eſt in Virgineo vtero, de cœlo venit. Præterea ſi propriùs differentiam inveſtigemus, quid terra ad Adami formationem, quid coſta illius ad Evæ ædificium habent comparatione dignum cum Virginis ſanguine, ex quo conceptus formatuſque eſt Chriſtus? Nonne tribulos & lappas & vitiorum ſegetem ac fomitem terra illa boni fructus ſterilis peccato effecta, ſpontè germinavit, & longam propèque innumeram filiorum poſteritatem pupugit & cruentavit? Et quid illa coſta, niſi durum os, quod, vt Deus emolliret, ex eo mulierem ædificavit?

7 Cæterum Virginis ſine labe ſanguis, primàque illius terreni Adami maculâ immunis, florem campi, & lilium convallium, dulcem omninò Ieſum purpurâ veſtivit, ſimulque candore ornavit: qui propterea candidus & rubicundus dicitur. Tum ſi vita eſt in ſanguine, vel in eo ſedem habet, vt aliqui opinantur, & poetarum princeps, cum dicit: Cant.c.2. Cant.c.5.

Concidit, ac multo vitam cum ſanguine fudit. Virg.Æneì.2.

Mirè in virgineo ſanguine, ex quo Author vitæ conceptus eſt, ad nos, vitam quam amiſeramus cœleſtem daturus, venire proferebatur. Nihil quidem in impolluto ſanguine erat durum aſperumve: nihil non ſuave & leniſsimum, quod ſatis prædicat, qui de eo eſt coagulatus Chriſtus Dominus, de quo ſcriptum eſt: *Ecce Rex tuus venit tibi manſuetus*, cuius tanta fuit erga peccatores clementia, vt ſibi ſpinas, verbera, clavos, probra, crucemque elegerit, & *verè languores noſtros ipſe tulerit, & dolores noſtros ipſe portaverit*, vt Iſaias prædixit. Nam Chriſtus vt homo non poterat, non clementiſsimam matris ſuæ indolem oriſque ſimilitudinem referre, cuius ſolo ſanguine genitus & alitus erat. Dicit enim Lactantius in libro de opificio Dei, de aliorum ſententiâ: Similitudines in corporibus filiorum ſic fieri putant. Quum ſemina inter ſe permiſta coaleſcunt, ſi virile ſuperaverit, patri ſimilem pervenire, ſivè marem, ſivè fœminam; ſi muliebre prævaluerit, progeniem Math.c.21. Iſai.c.53. Lact.c.12.

Digitized by Google

cuiuſque ſexus ad imaginem reſpondêre maternam.] Fortiùs ergo in hâc ſententiâ, Chriſtus Virginis progenies imagini reſpondebat maternæ: quia in eius generatione, nec ſemen virile, aut viri imago concurrit, ſed maternus ſanguis, ex quo Spiritus Sancti operâ corpus mirabilitèr formatum eſt.

Dubium. 8 Hinc conſequentèr ſecundum exoritur dubium, quomodo dicatur Virgo, *in vtero habens de Spiritu Sancto*, cum opera ad extra, iuxta Theologorum proloquium, & veritatem, ſint toti Trinitati indiviſibilitèr communia, ſicut eius eſſentia indiviſa eſt, vt dicit Auguſtinus? Sed hoc ſatis lucu-lentèr à Divo Thoma, & Theologis reſolvitur. Non equidem in concéptione, & formatione corporis Chriſti operatio totius Sanctiſsimæ Trinitatis, quæ indiviſa eſt, ſeparatur, ſed indiviſibilitèr effecta, Patri attribuitur ob authoritatem, quia filium ad Aſſumptionem naturæ humanæ in vtero Virginis miſit: filio verò, ob humanam naturam aſſumptam: denique Spiritui Sancto, ob corporis dominici formationem. Omitto alias huius rei attributiones, quæ paſsim apud ſcriptores inveniuntur. In Evangelio autem Virgo dicitur habens de Spiritu Sancto, quamuis divinum quem gerebat fœtum totius Trinitatis fuerit opus, ob triplicem cauſam, quam articulo primo citatæ quæſtionis Angelicus Doctor aſsignat: Primam, quia cum Incarnatio divini amoris ſit manifeſta declaratio, & ferventiſsimi amoris opus, Spiritui Sancto, qui eſt Patris, & filij amor, & potentiſsimus ignis, convenientèr & appoſitiſsimè attribuitur. Secundam, quia ſic oſtenditur, Dei filium incarnari, non humanis meritis, ſed merâ Dei gratiâ nobis fuiſſe donatum: quæ donatio, ſicut quarumcumque gratiarum, paſſim in Scriptura Spiritui Sancto appropriatur. Tertiam tandem, quia Sanctificatio illi tribuitur, vnde à Divo Paulo dicitur Spiritus ſanctificationis: neque enim divini Verbi incarnatio aliò ſpectabat in vtero Virginis, niſi ad ſanctificationem illius hominis, qui concipiebatur, & quem ſibi copulabat in tantam perſonæ vnitatem, vt idem ipſe Dei eſſet filius, qui filius hominis, & filius hominis, qui filius Dei, ſicut Auguſtinus inquit. Vnde Angelus poſtquàm dixit, *Spiritus Sanctus ſuperveniet in te, & virtus Altiſsimi obumbrabit tibi*, addidit: *Ideòque quod naſcetur ex te Sanctum, vocabitur filius Dei.*

Aug. lib. 1. de Trin. c. 4.
D. Thom. q. hic cit.
Ad Rom. c. 1.
Auguſtin. in Enchir. c. 40.

Deni-

9 Denique inquiri poteſt, An Virgo immaculata ad formationem,& organizationem corporis Chriſti activè concurrerit cum Spiritu Sancto? Sed in hâc re non iuvat immorari: & ſunt qui negent, & affirment graviſsimi Patres, & Authores. Præcipuè hi negant, qui Angelicum Magiſtrum ſequuntur, quibus adhæret Pater Suarez, & alij: affirmant vero Divus Bonaventura, Scotus, & eius Schola, & Cornelius à Lapide hìc. In omnium tamen ſententiâ certum & fide ſanctum eſt, Virginem Mariam fuiſſe veram hominis Dei Matrem, vt aliæ mulieres ſunt filiorum ſuorum matres, ſive paſsivè concurrant, vt docet Ariſtoteles, ſive activè vt vult Galenus. Satis quidem eſt his, quæ operâ viri generant, materiam præſtaſſe, eamque activè apparaſſe ante conceptionem, vt ſit apta proli: nec multum curandum de earum ſemine, ſi quid emittunt, quia debile eſt, & ſine virilis ſeminis commiſtione, nihil operatur, cuius activa virtus potius in eo tanquam in principio paſsivo recipi videtur. Itaque Beatiſsima Virgo in hoc venit cum alijs tantummòdo matribus, quod ante conceptionem activè præparavit materiam, & Spiritui Sancto miniſtravit, qui formandi, & organizandi corporis totum opus vno inſtanti peregit, vtpotè omnipotens virtus, quæ dicit, & factum eſt: mandat, & creatum eſt. Hinc vero ſupra modum ab alijs differt, quia Spiritu Sancto operante, mundiſsimè, & caſtiſsimè, id eſt, Virgo concepit, nec ſolùm hominem, ſed Deum ſimùl & hominem ex puriſsimo ſanguine, nullo deciſſo ſemine: quamuis ego ſentio, quod ſi aliquod ex Virgine deciſſum eſt, potuit quidem ſine vllâ virginitatis læſione, id eſt, ſine illecebrâ, aut voluptuoſo carnis motu: quia divinum concepturæ Virginis agens ſic poterat impercibiliter diſponere, vt diſpoſuit, quod nec attractionem ſanguinis in matricem perciperet.

Dubium. D.Thom. 3.p. q.32.art.4. Ariſt.lib.2.d gen.anim.c.3

10 Vnde illi, quos ſupreſſo nomine refert Divus Thomas, opinantes Virginem ad filij ſui conceptionem activè concurriſſe, & propter illud inconveniens vitandum, adſtruentes virtute activâ ab Spiritu Sancto ſupernaturalitèr fuiſſe donatam, ſuperfluè id mihi adſtruere videntur. Noſter tamen Saavedra eruditè, & copiosè Spiritum Sanctum Virginis potentiam generativam elevaſſe, vt activè operaretur, & Chriſti cor-

Loc.ſup.cit. Saav. de Mar. Deip.diſp.2.

Digitized by Google

corpus formaret, per aliquot ſectiones defendit, ſumpto fundamento ex elevatione intellectus ad viſionem beatam medio lumine gloriæ. Legat, qui voluerit. Mihi in hâc re illud Iſaiæ occurit: *Generationem eius quis enarrabit?* quod multi Patres, tàm de divinâ, quam de humanâ Chriſti generatione intelligunt: & iure, quia vtraque admirabilis, & ineffabilis, & ſoli Deo nota. Nobis autem credere datum eſt, quod ille, qui æqualis conſubſtantialiſque Patri, ex eius mente, luce inacceſsibili, in ſplendore Sanctorum, ab ævo genitus eſt: pòſt, in tempore, in ſplendidiſsimo Virginis vtero, omni virginitatis pulchritudine, & ſanctitatis fulgòre ornatiſsimo, de Spiritu Sancto conceptus eſt, ſacratiſsimum illius corpus adamuſsim formante & organizante. In quo divino opificio materiam ſuperabat opus, quia illa quidem erat naturalis puriſsimuſque ſanguis, quem Beatiſsima Virgo miniſtravit ad Dei, & hominis conceptionem: at verò quod Virgo conciperet, materiam miniſtrando, viro penitùs excluſo, ſubindeque corporis formatio, res eſt omninò ſupernaturalis, duplex miraculum, opuſque admirabile ſolius Spiritus Sancti.

Iſai. c. 53. Pſalm. 109.

11 Et quidem præter hæc mira, quæ in Virginis vtero Spiritus Sanctus celebrabat, quis enarret in eodem inſtanti concepti corporis rationalem animam, Verbique divini perſonam illi vnitam? Quis in eodem inſtanti animæ, & corporis ſanctificationem, & gratiæ plenitudinem, quæ illis ex hypoſtaticâ Verbi vnione profluebat? Id eſt, quod de divino conceptu adhuc in Virginis Matris vtero Iſaias prævidit. *Et egredietur*, inquit, *virga de radice Ieſſe, & flos de radice eius aſcendet. Et requieſcet ſuper eum ſpiritus Domini, ſpiritus ſapientiæ & intellectus, ſpiritus conſilij, & fortitudinis, ſpiritus ſcientiæ & pietatis. Et replebit eum ſpiritus timoris Domini*, ſeu reverentiæ ad Deum, vt Divus Thomas exponit. Itaque omnia hæc coniuncta, particulaque *Et* copulata Evangelicus Propheta poſuit: egreſſum nempe floris, qui eſt Chriſtus Dominus, conceptionem de virgâ Ieſſeâ, Virgine Mariâ (iuxta Patrum communem ſenſum) ſpiritum quoque ſanctum ſuper eum requieſcentem, atque illum ſeptem numeratis donis cumulatiſsimè locupletantem: vt nobis exponeret, quod ſtatim & coniunctim, Spiritu Sancto operante, & noſtram in

Iſai. c. 11. 3. part. quæſt. 7. art. 6.

vtero

vtero Virginis Dei filio aſſumente naturam, omnia ſunt facta:

Tantæ molis erat Sotêrem condere mundi.

Et intactæ dare filium Virgini, qui Deus eſſet homo, qui clauſtra novem menſes habitaret virginalia, qui interdum puriſſimo ſanguine aleretur, & corpore augeretur, ſic Sanctiſsimâ Trinitate hominum ſalutem diſponente. Iam ergo (cum Bernardo loquor, vt dulcitèr finiam) vterum tuum, Domina, velut ſacratiſsimum Dei vivi templum, totus mundus veneratur. In eo ſalus mundi initiata eſt, ibi decorem indutus eſt Dei filius, ac prælectæ ſponſæ ſuæ Eccleſiæ formoſus in ſtolâ candidâ exultantèr occurrit, deſideratum diù oſculum prælegit, ac prædeſtinatus à ſæculo nuptias Virgo cum Virgine prælibavit. Ibi ruptus eſt paries inimicitiarum, quem inter cœlum & terram protoplaſtorum inobedientia conſtruxerat. Ibi confæderata terrenis cœleſtia, & obuiarunt ſibi in oſculo pacis, quando in vnam eandemque perſonam concurrerunt divinitas, & humanitas: factumque eſt novum illud ſuper terram, vt eſſet Deus homo, & homo Deus.]

D.Bernard.in depr.ad Virg.

EPITHETON XIII. EX D. LUC. CAP. I.

CVM DESPONSATA SIBI VXORE prægnante.

Cap. I. *Cur hic de Spiritu Sancto prægnante non dicitur? Hinc Ioſephi fides oſtenditur, & laudatur. Si, vt eſt probabile, Cæſaris edictum mulieres deſcribi non cogebat, cur Ioſeph ſecum Virginem tulit, aut illa ire voluit. Virgo non aſello ſedens, ſed pedes iter confecit. Dies in quo puer Ieſus fuit deſcriptus, & ceremoniæ, quibus fiebat profeſsio. Virgo, ſe eſſe partui proximam cum ad cenſum profecta eſt non ignoravit: ſed neque ipſe Ioſeph.*

1 RURSUS, Et tertiò, Epitheton deſponſata ſe nobis offert meditandum, non tantum propter

ter ſe, quantum propter aliud ſibi adiunctum Epitheton: primùm enim Virgo dicta fuit deſponſata, poſt, deſponſata Mater, nunc tandem deſponſata prægnans, ſemperque eodem virginitatis fœcundæ myſterio declarato: quia quomodocumquè Maria deſponſata dicitur, Virgo ſemper prædicatur. Id iam nos ex Patrum doctrinâ ſatis ſuperque advertimus: & modo Caietanus, & Maldonatus advertunt, qui aiunt, vxorem deſponſatam dici, vt incognita, ſeu Virgo ſignificaretur. Nec hic profecto dubitandi adeſt locus, an deſponſata dicatur, quia nondum Ioſephi domum erat ducta, ſiquidem iam diù Angeli monitum præceſſerat, Ioſepho dicentis: *Noli timere accipere Mariam coniugem tuam: quod enim in ea natum eſt de Spiritu Sancto eſt.* Quo monito, *Exurgens Ioſeph à ſomno, fecit ſicut præcepit ei Angelus Domini, & accepit coniugem ſuam.* Quæ verba, vt ſupra viſum eſt, multi Patres, & Interpretes de traductione in domum exponunt.

Dubium.

2 Poſſumus verò hic dubitare, cur Evangeliſta Lucas his verbis, *Cum deſponſata ſibi vxore prægnante, de Spiritu Sancto*, vt fecit Matthæus, non adiunxit? Etenim ille dixit, *Habens de Spiritu Sancto.* Iudico (vt facile conijcitur) quia iam illud addendi ratio non apparebat: quoniam Angelus Virginem de Spiritu Sancto concepiſſe Ioſepho, ſtatim ac ab eo inventa eſt in vtero habens, manifeſtavit: ipſeque adeò cœleſtibus monitis fidelis fuit, vt deinceps nihil ambigerit: cuius etiam indicium eſſe poteſt, quod poſt revelationem in ſomnis; illud verbum de Spiritu Sancto nunquàm repetitur, ſive Angelus ei fugam nunciet, quia Herodes quærebat animam pueri, ſive reditum in patriam, Herode iam mortuo, ſive tandem, iuxta Cæſaris Auguſti edictum, in Bethlehem cum deſponſatâ ſibi vxore prægnante proficiſcatur. Hæc igitur laus eſt Ioſephi, quem Dominus ſuper familiam ſuam, Matrem Virginem, & filium eius de Spiritu Sancto conceptum, fidelem miniſtrum, & cuſtodem conſtituit: quia ſemèl admonitus ita firmiter credidit, vt rursùs non fuerit admonendus: ſemèl equidem dubitavit, ſed non vltra, & tunc dubitavit, quando Author conceptus ſponſæ ſuæ latebat, nec tamen in malam fluctuantis cogitationis partem incurrit, ſed ab hoc ſcopulo, manifeſtiſsimis de pudicitiâ ſuæ ſponſæ credibilitatis argumen-

men-

Digitized by Google

mentis, longè declinavit. Rectè profectò Angelicus Magiſter inquit: Fides quæ non hæſitat grano ſinâpis comparatur, quod quanto magis atteritur, tanto magis eius fortitudo ſentitur.] Et quidem talis fuit Ioſephi fides, quam poſt Angeli revelationem hauſit: etenim multis modis fuit attrita & contuſa, ſed fortior emicuit, & auctior floruit, vt elegantèr Chriſoſtomus oſtendit, illa verba Angeli ediſſerens: *Accipe puerum & Matrem eius, & fuge in Egyptum.* Quæ cum audiſſet Ioſeph, nequaquam paſſus eſt, inquit, ſcandalum, neque dixit, incerta res iſta eſt, ac prorsùs ambigua. Tu paulò antè dicebas, quia ſalvabit populum ſuum, & nunc ſe ipſum quidem non poteſt de periculis liberare: ſed fuga eſt nobis neceſſaria & peregrinatio, ac tranſmigratio longinqua. Contraria omnino ſunt facta promiſsis. Sed horum nihil prorsùs opponit, vir enim erat fidelis.] Et poſt pauca, ait: Verum ille nec per iſta quidem factus eſt ſegnior, ſed obedivit libentèr, & credidit, omnes prorſus tribulationes cum gaudio ſuſtinendo.] D. Thom. 1. Cor. cap. 13. lect. 1. Chriſoſ. hom. 8. in Math. Math. c. 2.

3 Præterea, ſimilis fuit Ioſeph grano ſinâpis, quod & ſi omnium ſeminum ſit minimum, tamen cum ſeminatum fuerit, *aſcendit in arborem, & fit maius omnibus oleribus, & facit ramos magnos, ita vt poſsint ſub vmbra eius aves cœli habitare.* Etenim ille quamquàm humilis, & ſe minimum reputans, nec dignum Virgine ſponſâ cœlitùs prægnante, proptereàque voluerit occultè dimittere eam: poſtmodùm vero ſeminata in eius intellectu, per Angeli revelationem, fide: adeò crevit, & procerior omnibus Eccleſiæ arboribus factus eſt, vt avibus cœli, Virgini nempè caſtiſsimæ, & divinæ eius proli vmbraculum eſſet amæniſsimum, tutiſsimumque aufugium. Sic enim Virgo, & Deus ipſe recèns editus mundo, iuſſus in Egyptum aſportari, experti ſunt: nihil ille laboris, & ſolicitudinis omiſit, vt à gladio Herodis infantem eximeret, & afflictæ Matri, & gentibus, per ipſum olim liberandis, incolumem ſervaret: in quo tantam adeptus eſt ſibi gloriam, vt ſui & omnium Liberatoris, & Servatoris, & Redemptoris, liberator, & ſervator, & Redemptor dici quidem poſsit: nam, vt diſertè ait Chriſologus: Chriſtus totam cauſam noſtræ ſalutis occiderat, ſi ſe parvulum permiſiſſet occidi.] Voluit ergo immaturæ mortis iniuriâ, & nobis nihil profuturæ, Mar. c. 4. Chriſol. ſerm. 151.

turæ, per Ioſephum ſui fidiſsimum cuſtodem ſervari, & liberari.

Dubium. 4 Quid inſuper eſt, quod cum deſponſatâ ſibi vxore prægnante Ioſeph proficiſcitur: & tunc quidèm, quandò ſacrum vteri pondus profectionem cum ſponsâ facilè diſſuadebat: neque Cæſaris edictum, vt graves Authores opinantur, mulieres deſcribi cogebat, ſed viros, ex hiſque duntaxàt patres familias? Quid niſi quod nobis Ioſephi fides, & ardentiſsimus erga ſponſam, & divinam prolem amor oſtenditur: quippe, quam antea ille, cum vterum gerere invênit, voluit occulte dimittere, modò illam, domi etiam prægnantem, & partui vicinam, neſcit relinquere, neſcit ab eâ ſeparari, ſine eâ proficiſci neſcit. Itaquè ex longo itinere Virginis prægnantis laſſitudinem, aut aliquid nocumenti fœtui inde eventurum, non timuit, ſed neque veritus eſt ob multitudinem Bethlehem deſcendentium, quod non potuit non prævidere, minus congruum, vt poſtea expertus eſt, hoſpitium parituræ invenire: ad omnia enim manu promptum faciebat fides, quâ divinitùs ſponſam caſtiſsimam Deum in vtero gerentem noverat: ab eoque charitas ferventiſsima, quâ vtrumque proſequebatur, foràs mittebat timorem. His profectò virtutibus viri ſancti ſuffulti, nil ſibi & ſuis timent, ſed quæcumque incommoda & pericula fortitèr adoriuntur: vt ſole clarius in martyribus apparet, & in Abrahamo, qui filium quem diligebat, auſus eſt immolare, & in Paulo, qui ſtrenuus Chriſti miles dicebat:

Ad Rom. c. 8. *Quis ſeparabit nos à Charitate Chriſti? an anguſtia, an tribulatio, an fames, an nuditas, an periculum, an perſecutio, an gladius?* Deindè coniectari licet, Ioſephum prudentiſsime iudicaſſe maiori ſolatiò fore Virgini puerperio proximæ, ſecum ferre Bethlehem, quàm domi ſolam, aut aliorum curæ relinquere: nihil enim eſt honeſtiſsimis fœminis magis iucundum quàm ſuorum virorum præſentia, & ſocialis lateri adhæſio. Quin etiam inter viros, amicorum coniunctio, & quocumquè ierint, ſocialitas, eos metu liberat, & ſecuriores reddit: Vndè quidam ſcitè canit:

Horat. Epod. lib. od. 1.

Comes minore ſum futurus in metu,
Qui maior abſenteis habet.
Vt aſsidens implumibus pullis avis

Ser-

Serpentium allapſus timet
Magis relictis.

5 Cum igitur, quæ Ioſeph movere potuerunt, cauſas ferendæ ſecum Virginis aliquomòdo inſinuavimus, ſupereſt ex parte Virginis prægnantis, & legis Cæſareæ immunis, ſiquas illa ad liberam profectionem habuit, indagare. Sed id oneris pulchrè fauſtèque ſibi aſſumpſit, & nobis ademit Pater Caniſius, cuius verba & cauſas, quia Virgine, & Authoris pietate dignas, libentiſsimè tranſcribo. Vt ad Mariam inquit redeat oratio, novem ferè menſes à conceptu ſacro complebantur, cùm illa viri ſui conſilium de itinere ſuſcipiendo intelligens, vltrò ſe illi ad profectionem adiungit. Etenim quamuis partui proxima foret, tamen ſibi ab eo viro diſcedendum haud putavit, quem vt proprium cuſtodem à Deo aſsignatum obſervare, cui vt legitimo ſponſo gratificari, cum quo etiam veluti duce, quaslibet itinerum moleſtias devorare ſecum in animo conſtitutum habebat. Nec dubium quin placêret Virgini humilitas, cùm ſibi tali viro ſubmiſsè ſeſe gerere, illique primas tribuere gauderet. Tùm arridebat ei cauſa ſuſceptæ profectionis, vt quæ pendêret ex obedientiâ, magiſtratibus licet Ethnicis exhibendâ. Accedebat & generoſus erectuſque in Deum ac Dei providentiam animus, quo ſeſe in adverſis caſibus conſolabatur, certò perſuaſa divino nutu geri omnia, eamque profectionem ad ſingularem creatoris gloriam probè ceſſuram, præſertim vt Bethlehem ſui Meſsiæ ortu ſecundùm vetus vaticinium illuſtraretur.] Itaque, vt ego ſummatim dicam, videtis, quòd ſubmiſsio & obſervantia erga virum, & cuſtodem à Deo ſibi datum, cuius lateri peramantèr, & inſeparabilitèr adhærebat, Virginem moverunt: tum prompta obedientia, tum fiducia in Deo, tum denique maior illius gloria, quam Deo ex profectione in Bethlehem, vt prudens erat, & apud Micheam, abs dubio, Sacræ Scripturæ ſtudioſa legerat, rectè acceſſuram prævidebat. Ob has ergo cauſas proſequitur laudatus Author, non ſibi parcit, & exiguam ſanè curam gerit ſui Virgo tenera. Non illam quamlibèt verecundam deterrent frequentes hominum etiam leviſsimorum cœtus, quibus Bethlehem petentibus ſeſe debuit admiſcêre. Non excuſat longum, & incommodum iter; quod brumæ in-

Caniſ. libr. 4 de Mar. Deip cap. 9.

Mich. c. 1

ſævientis augebat aſperitas, non offendit partus inſtantis neceſsitas; ſed parato & conſtanti pectore adverſus hos alioſque duros ac triſtes eventus armata quocumque vocat, & ducit Deus expeditè ſequitur, & æquabilis ſibique ſemper ſimilis perſeverat.] O Virgo fortiſsima, quid ego hìc addam, niſi quod filium tuum nondum natum imitaris? Ille enim exultavit vt gigas ad currendam laborioſiſsimam viam: & à ſummo cœlo egreſsio eius vt per verbera, ſpinas, probra atque ignominioſiſsimam crucem, nos quæreret, redimeret ſalvaretque: tu quoque nihil tibi laboris parcis, vt nobis ſalvatorem dones.

Pſalm. 18.

6 Si dicamus tamen, vt eſt aliorum opinio, & fortaſsè plurium, Cæſaris edictum omnes viros, & fœminas deſcribi iubere; & ab vnoquoque capite vectigal qualequale decretum fuit, perſolvi: ad cauſas profectionis parùm facit, ſemper enim eædem manent. Itaque Gerſon, ex Evangelio præſentem opinionem colligit; Si quæras, inquit, ob quam cauſam Virgo adierit Bethlehem, cum tam vicina eſſet puerperio? Evangeliſta reſpondet, quod fuit vt Auguſti obedîret præcepto, qui vniverſalitèr præceperat, vt vnuſquiſque ſuam adîret civitatem, quò ſcriberetur, & taxam ſibi impoſitam perſolveret: noſtra autem domina obedîre voluit.] Similiter Baptiſta Mantuanus eleganti carmine ſentit.

Gerſ. ſerm. de Nativ. Dom.

Auguſtus rerum dominus regna, oppida, & ipſos
Indigenas redigi in ſcriptis mandarat, & ibant
Cæſareis omnes cenſum nomenque daturi
Præſidibus: veterem patriam Davidis Ioſeph
Cum conſorte gravi Bethlemica regna petebat.

Mant. Parth. 1. lib. 3.

Præterea Pater Maldonatus arguit, quod ſi ſoli cenſendi erant viri, non erat cur Virgo Beata cum Ioſepho in Bethlehem civitatem ſuam veniret. Quod quidem argumentum nihil amplius evincit, quàm quod Virgo ire non tenebatur ex præcepto Cæſarei edicti, fœminas fortè non obligantis: tamen vt præcepto non coacta venerit, vt ipſa pia & humilis erat, eundi invênit ſibi cauſas, quas nuper ex Caniſio dedimus. Quandoquidèm legem illam, vt mihi videtur, quamuis vniverſalis eſſet, & omnes comprehenderet, epicheia ſeu æquitas, ob maius bonum, vel detrimentum vitandum, in his præſertim per-

perſonis, quæ defectu virium corporalium, aut læſione membrorum, aut rei familiaris inopiâ, grave incommodum paterentur, corrigi & temperari poſtulabat. Quis in his & ſimilibus caſibus, per gnomen, ſeu iudicium legis directivum, legem diceret eſſe ſervandam: aut legislatorem velle fœminas etiam prægnantes, & partui proximas, eaſque valdè inopes, vt erat Beata Virgo, iter arduum, & in terras longè diſsitas arripiendo, ſibi obtemperare? Vnde Virgo lege illâ communi abs dubio exempta fuit, cùm, quia prægnans, & puerperio proxima, tùm, quia admodum pauper: atque ita elucet magis illius humilitas & obedientia, ſiquidem præcepto non coacta, ſpontè legi obedivit, nec epicheiâ vti voluit, ſed tulit longi itineris moleſtias, & Bethlehemici tugurioli ærumnas, in quo gratiæ Aurora divinum ſolem orbi edidit.

7 Nec myſterio caret Virginis vnà cum Ioſepho in Bethlehem profectio, vt omnes Patres, & Interpretes notant: regebatur enim illa Dei inſtinctu, vt Chriſtus ibi iuxta Michææ Profetiam naſceretur. *Et tu Bethlehem terra Iuda nequaquam minima es; ex te enim exiet dux, qui regat populum meum Iſrael*; proindè illùc debuit ire prægnans, & in ipſo puerperij menſe, vt daret ortum, & Patriam in terris divinitùs deſignatam filio Dei homini: vtque etiam liquidò pateret, deſcriptis Ioſepho, & Mariâ, cum Ieſu eius filio, ipſum ex Davide Rege clariſsimo, originem ducere. Itaque, vt ait Auguſtinus: Ipſe autem vnigenitus factus eſt nobis ſapientia, & iuſtitia, & ſanctificatio, & numeratus eſt inter nos, & ſolvit tributum Cæſari.] Quod quidem factum eſt ſcripto pueri Ieſu nomine in tabulis publicis, quæ poſtea Romam ad Auguſtum tranſmiſſæ ſunt, ſicut Antonino Pio Iuſtinus Martyr ſcribit. Vnde etiam Vilelmus Langius manifeſto probat argumento, Natalem Servatoris noſtri Dei fuiſſe vigeſsimâ quintâ Decembris die, quia nimirum antiqui Senatores Romani, quibus cenſorias tabulas inſpicere permiſſum erat, illa die Natalem celebrandum prodiderunt Chriſtianis populis, vt iam tunc Romæ celebrabatur.] Quo autem die ab ortu ſuo Ieſus Cæſari nomen dederit, notat & optime Cornelius, ex ipsâ circumciſione, in quâ vocatus eſt Ieſus: vult ergo fuiſſe die octavo, vel paulò poſt, in quo circumciſio fiebat, & nomen imponeba-

Mich. c. 5.

Auguſt. lib. 5. Confeſ. c. 3.

Iuſt. Apol. 2.

Vilel. Lamp. de an. Chriſt. lib. 2. part. 2. cap. 2.

Corn. hic.

Digitized by Google

tur infanti. Nec tantùm nomen ſed etiam marium ætas nota- batur, vt Langius oſtendit: Nimirum, inquit, Quirinus, qui ab Auguſto breviarium imperij conficere volente, mandatum acceperat, omnes mares notare, eorumque qui infra pubertatem erant, ætatem adſcribere, vt cognitum haberet, quo illi tempore imperio vtiles eſſe poſſent, ſi viverent; cum cenſu acto, Ieſum non annum integrum, ſed tot ſaltem dies natum, etiam ita nomen, & ætatem ipſius in tabulâ conſignavit.] Ritum etiam quo profeſsio fiebat iuxta DioniſiumCarthuſianum ſic erat. Non enim, inquit, illa ſolum fiebat verbo, ſed etiam facto, quia dicebant ſe imperatori ſubiectos, atque in ſignum veritatis ponebant denarium, imperatoris imagine inſignitum, ſuper proprium caput, quem ſtatìm porrigebant imperatoris miniſtro, qui nomina confitentium mòx deſcripſit.]

Lang.ibid.

Carthuſ.hic.

8 Quæri ſolet, Quomòdo Beata Virgo, non vtcumquè prægnans, ſed proxima puerperio, iter quatuor dierum à Nazareth in Bethlehem conficere potuerit? Cui dubio aliqui facere ſatis videntur ex vulgi opinione, magis quàm ex veritate, aſello tardigrado, & inerti, quo ſolent pauperes vti, fuiſſe vectam aſſerentes. Id vero Pater Maldonatus reijcit, & meritò: debent enim ſic opinantes, non de Virgine prægnante, velut de alijs prægnantibus censêre: iſtæ quidem ærumnosâ carnis iniuriâ concipiunt, & totò ferè prægnantium tempore vteri pondus, & moleſtias ferunt, ac tandem vehementibus in partu cruciantur doloribus, qui vtiquè carnalis concubitus, & voluptatis in eo, illis ſunt præmio. Quod Divus Cyprianus Martyr inſinuare videtur, dum de intacta Virgine ait, ſine tormento, peperiſſe, quia in conceptu caruit voluptate.] Idem Divus Bernardus ſcribit: Iure etiam illud moleſtiſsimum tædium quo reliquæ omnes gravidæ mulieres laborare noſcuntur, ſola non ſenſit, quæ ſola ſine libidinoſa voluptate concepit.] Pedibus ergo prægnantem Virginem illud iter ſuavitèr dulcitèr, & abſque vllâ moleſtiâ, emenſam fuiſſe, proximius vero eſt, & Sanctorum Patrum doctrinæ. Dicit Divus Fulgentius: Cum eſſet gravida, ſalubri levitate plaudebat: lumen enim quod intra ſe habebat, pondus habere non poterat.] Indicat ergo illud veri hominis corpuſculum, quod in vtero gerebat, quia intimè Deo, qui lux eſt, erat vnitum, impedi-

Dubium.

Cypria.ſerm. de Nat.Dom.

D.Bern.ſerm. de Virg.Mar.

D.Fulg.ſerm. deLaud.Virg.

mento

mento non eſſe, vt Sanctiſsima Virgo pedes iret, & ſecurior ne impingeret, quia lucernam geſtabat, quam pedibus ſuis, & lumen, quod ſemitis ſuis, David anxiè deſiderabat. Etenim quemadmodùm ſolis lumen tenellis plantis, & floribus, quin eos premat, gravet, flectat, aut aliquomòdo creſcere, & cœlum verſus tendere impediat, inſidet: ſic belliſsimus ſol ac planè divinus in lilijs virginei Mariæ vteri ſedebat, virgineum florem ne minimâ quidem ponderoſitate incurvans, ſed Angelicâ levitate erigens ac elevans: proindèque ſine causâ aſellus, quo veheretur, prægnanti ad iter agendum Virgini datur. Quin potius conſequens, & quidem venerandum debet haberi, quod quæ ſine dolore peperit, ſine moleſtiâ quoque laſsitudinis Bethlehem iter peregit: vbi dulciſsimâ vteri ſui pace divinam prolem edidit, deditque meliorem toti orbi pacem, quam Octavianam illam, vel illam, quâ fano bifrontis Iani clauſo, & ſtrepitu armorum ſilente, Romanum Imperium interdùm fruebatur; meliorem inquam pacem, quæ profectò ſola dulciſsimo Angelòrum carmine, *Gloria in excelſis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis*, meruit celebrari. Chriſtus enim eſt pax noſtra, qui fecit vtraque vnum, id eſt, cœlum cum terrâ coniungens, inimicitias in carne ſuâ per crucem evacuans, vt nos docet Paulus.

Pſalm. 118.

Luc. 2.

Ad Epheſ. c. 2.

9 Porrò parum eſt dixiſſe Virginem prægnantem ſine labore profectionem in Bethlehem pedibus egiſſe niſi addamus ſummâ alacritate, atque animi lætitiâ, illud etiam egiſſe, & iamiam optatum fœliciſsimi partus diem inſtare cognoviſſe. Cuius optimam cauſam Pater Maldonatus mihi videtur aſsignare: Vero etiam ſimile eſt, inquit, Mariam neque locum, neque diem ſui partus ignoraſſe; quarè eò ſe libentiùs, atque alacriùs in viam dediſſe, quòd partum ſuum videbat appropinquare.] Eandem quoque cauſam, ſed aſſeverantiùs, & ante ipſum, Cartuſianus dedit. Profecta eſt, ait, Virgo Benedicta novem menſibus iam elapſis, quæ revelante Spiritu Sancto noverat ſe in Bethlehem parituram, vt illud Michææ impleretur.] Invenio tamen contrà aſſerentem, Simonem Caſianum, qui ita ſcribit: Ignarus tamen (de Ioſepho loquitur) quod Virgo ſic eſſet proxima partui, ſimiliter & ipſa non cognoverat tempus, quoniam ſicut præter legem ſuſceperat

Caſian. de Vit. Mar. lib. 2.

fœ-

Digitized by Google

fœtum, ſic neſciebat ſi naturali ordine, novem menſibus calculatis, eſſet editura partum.] Sed hoc mihi non probatur. Et quidem Ioſeph proximum eſſe ſuæ ſponſæ puerperium non poterat ignorare, quia ex quo inventa eſt ab eo in vtero habens, ſex ferè menſes elapſi iam erant, nec eum latebat prope alios tres apud Eliſabetham commoratam fuiſſe, à cuius reditu, ſi cognovit prægnantem eſſe, quomodo ſex alijs iam decurſis menſibus, & magis in dies more aliarum gravidarum vtero tumeſcente, partum iamiam inſtare, ignorare poterat? Et ſanè, multo minùs Beata Virgo, quæ iuxta fœminarum prægnantium morem, à die Conceptionis menſes numerabat: qui dies (vt pænè ab omnibus receptum eſt) fuit ille fœliciſsimus Angelicæ Annunciationis, poſtquàm illa dixit: *Ecce ancilla Domini, fiat mihi ſecundum verbum tuum.* Verum eſt, quod præter legem ſuſceperat fœtum: ſed hac ex parte non benè arguitur, more aliarum naturali, ſcilicèt ordine novem menſium à naturâ ſancito, ſe eſſe parituram ignoraſſe. Beata enim Virgo, vt erat perſpicaciſsima, ſatis percalluerat in ſui conceptus editione, naturalem quantùm ad tempus ordinem fore ſervandum: quia de hac re quæ ob id ipſum, quod non de viro, ſed de Spiritu Sancto conceperat, maximi erat momenti, nihil illam Angelus admonuerat, qui vtique id omittens, ſatis admonuit: & ſimilitèr ipſum Ioſephum, ei dicens: *Pariet autem filium.* Accedit quod naturali menſium decurſu, & prolis intra vterum augmento, naturalem ſervari ordinem Virgo ipſa experiebatur. Deindè à conceptu pratèr legem, ad partum etiam pratèr legem, non debet ſumi argumentum: quia qui concipiendus erat homo, erat Deus ſuper omnia benedictus, & ad eius maieſtatem & honorem, ſupra naturæ legem concipi oportebat, qui ſupra legem erat: & ideo ex Virgine, & Spiritu Sancto conceptus eſt. Vnde Divus Chriſologus ait: Noſtræ ergo ordo carnis ſecedat, hìc ſibi natura noſtra nil vendicat, vbi ad divinam progeniem cœleſtis ordo divinam inſtituitur in naturam.] Quod autem in partu virgineo, quoad novem menſium tempus, aut circitèr, non ſervaretur ordo à naturà præſcriptus, minimè opus erat, nec dignitas perſonæ conceptæ id ſibi exigebat: quia illud tempus ad corpoream fœtus perfectionem ac vegetationem eſt inſtitutum;

Chriſol. ſerm. 142.

vnde

Digitized by Google

vnde Evangeliſta dicit: *Impleti ſunt dies vt pareret*, id eſt, vt in lucem daret infantem, qui ſecundum naturæ ordinem iam in vtero perfectus erat. Et de Eliſabethâ idem dictum eſt: *Impletum eſt tempus pariendi*; quæ etiam miraculosè concepit, quamuis multò minore, & valdè diſpari miraculo, quàm intacta Virgo. Virginem itaque concipere, & etiam intra conſtitutum tempus parere, apud Ariam Montanum, natura ipſa mirabunda canit, atque ita divinum infantem celebrat: Ari. Mont. in tab. nat. Ieſu.

Excellis mea iura Puer, quòd gigneris, aut quòd
Naſceris; at meus es quod Puer, & tener es.
Ergo me ſuperas, ſine me qui naſceris infans:
Quod ſi me ſuperas, es Puer ergo Deus.
O Puer & certè Deus, ò mihi iungeris, vt te
Partibus excipiam muneribuſque meis.

Cap. III. *Laudes Virginis novem menſes prægnantis. Toto illo tempore illius corpus ferculum fuit, quòd ſibi divinus Salomon fecit. Locus Canticorum explicatur. Quanta fuerint Virginis gaudia intereà prægnantis. Longè minora fuerunt Iudithæ, & Marthæ, & Mariæ gaudia.*

1 CUR De his menſibus, quibus Beata Virgo vterum geſsit, & in eo corporatum, & hominem factum cœli, & terræ Dominatorem, ſermonem non inſtituamus? Niſi hoc omittendum nobis eſt, quia quanta ſit Virginis gloria, nemo quantolibet ingenio, & arte inſtructus dignè ponderare ſufficit: verùm, quia eius eſt maxima gloria, etiamſi inſufficientes ſumus, illius laudationem novem menſes prægnantis, & Deum in vtero gerentis, audere & aggredi debemus. Quid illa, vt hinc exordiamur, toto prægnantis tempore corporalitèr vivebat, niſi vt Deo, intra eius puriſsima viſcera indigenti, corporaliter miniſtraret? Comedebat quidem, bibebat, dormiebat: ſed comedebat, bibebat, dormiebatque Deo: quia Virginis cibus, erat Dei cibus: quia eius potus, Dei erat potus: quia eius ſomnus,

Dei erat ſomnus, quibus Deus materno affectu, & Sacratiſsima Matris venâ alebatur, potabatur, recreabatur infans. Nihil profectò illa fœliciſsima omnium Mater ſinè Deo concepto in caſtiſsimo eius ſinu agebat: ſi enim ſtabat, ſedebat, gradiebatur, laborabat, orabat, ad menſam ibat, dormitum ibat: omnia hæc cum Deo, quem ſecum vehebat. Itaque, ſicut dicit Auguſtinus: Pondus meum, amor meus, eò feror, quocumquè feror:] Sic Virgo cœleſti vteri ſui pondere, quod erat maximus illius amor, eò ferebatur, quocumquè ferebatur: ferebatque illud ſacrum pondus ſecum, quocumquè ire oportebat. In his ergo & alijs officijs incedebat Virgo Mater, mutabat locum, & corporis ſitum intra locum: at divinus Puer, nec locum, nec corporis ſitum per ſe mutabat: in ſacrario namque Matris mundiſsimo eundem, & locum, & ſitum ſervabat ac retinebat. Nam vti in pellucido cryſtallo incluſa lux illùc it, quò ferentis manus tendit: ipſa tamen vno intus gaudet, eodemque circumſcribitur immota loco: non alitèr in pulcherrimâ gemmâ, in nitidiſsimo Dei genitricis cryſtallo puer, qui lux cœleſtis erat ibi clauſa, & inde ad mundi illuminationem menſibus novem impletis exoritura, illùc ibat, quo baiula Mater ibat, ſed ſibi intra cryſtallum idem manebat locus, ſoloque virgineo erat circumſcriptus cryſtallo.

Auguſt.lib. 13. Confeſ.c.9.

2 Sanè toto illo tempore puriſsimum Virginis prægnantis corpus ferculum fuit, quod fecit ſibi Salomon, Chriſtus Dominus, de lignis Libani, vtporè caſtitatis candôre, & perpetuâ virginitate incorruptum. *Columnas eius fecit argenteas, reclinatorium aureum, aſcenſum purpureum: media charitate conſtravit propter filias Ieruſalem.* Itaque fecit illud ſtabile & firmum: quia fortiſsimis columnis expurgatiſsimo excoctoque argento munivit; vtporè nihil in Virgine Beatâ, quod non eſſet omni virtute ſonorum, ſplendens, emicans, mirificèque ornatum. Quid autem eſt reclinatorium aureum, quod procul dubio ad ferculi interiora videtur pertinere, niſi illius aureus, id eſt omni puritate rutilantiſsimus vterus? Quid eſt ſubinde aſcenſus purpureus, qui extra ferculum eſt, & ad interiora eius aditum facit, niſi Spiritus Sanctus, quippè purpureus ignis, quo operante, ad Virginis vterum, ſeu reclinatorium

Cant.c.3.

Digitized by Google

rium aureum, intravit Deus, vt ibi fieret, & novem menſibus quieſceret homo? Et quis tandem in eo ſuaviſsimè medium occupavit? Chriſtus quidem: etenim illa verba mediâ charitate conſtravit, propter filias Ieruſalem, ex Hebræo verti poſſunt, inquit Cornelius: Et medium tenet ipſe accenſus amore, qui, vt ille etiam exponit, totus eſt amor & ardor, & medium vteri Beatæ Virginis occupat, in eoque quaſi in throno, & ſolio regali conſidet, ſuamque charitatem diffundit:] nimirùm, addo ego, in pias animas, eius ortum expectantes. Corn. ibi.

3 In hoc igitur aureo curru primùm noſter Deus infans iter fecit in domum Eliſabeth: vbi, quamuis latens, exultatione, & Ioannis ſaltibus infantis in vtero, glorioſè manifeſtatus eſt: ipſaque Eliſabeth mirabili prædicatione, quis eſſet, quæ & quanta maieſtas occulta veniret, cœlitùs edocta aperuit ac proclamavit: *Vnde hoc mihi, vt veniat Mater Domini mei ad me?* Vt veniat Mater dixit: quia cognovit Beatiſsimam Virginem eſſe animatum currum, pulcherrimumque ferculum, quod in domum ſuam Dominum intulit, qui protinus parvulum in vtero Ioannem communi labe mundavit, & cæleſtibus cumulavit muneribus: quem & illa quoque ſecum experta eſt munificentiſsimum. Hinc profectò eſt, quod illa dixerit: *Ecce vt facta eſt vox ſalutationis tuæ in auribus meis, exultavit in gaudio infans in vtero meo*; quia videlicet, *vox tronitrui Domini in rota*, id eſt, in Virgineo curru placidiſsimè ibat, ſalubritèr vehebatur, & inde dulcitèr inſonuit, ab originali febre Ioannem ſanando, inſimùlque Spiritus Sancti gaudio matris, & filij pectora complendo: fuit tamen vox terribilis tonitrui in rota adverſus Dæmonem, eum Ioanne potentèr expoliando. Pſalm. 76.

4 Rurſus tandem, in eodem aureo curru, ſeu Virgine prægnante, & puerperio proximâ, divinus infans Bethlehem profectus eſt. O quanta hìc involuuntur myſteria! Virgo prægnans cœleſti pane, ferculum erat, vt in Bethlehem, domum panis, ferret panem, ibi iuxta fidelem promiſsionem naſciturum; quo verè poſſet eſſe, & dici domus panis, in quo ſolo eſt dulce alimentum, & vitalis ſaturitas. Quin etiam, ſecundum aliud ſignificatum à Patribus acceptum, ferculum

erat, id eſt, divini panis miſſus mox Bethlemi menſæ inſerendus, imminente iam Virginis partu. Tùm ferculum erat, quod omnium Dominum ferebat, vt Cæſaris Auguſti in exemplum ſtupendæ humilitatis ſervus ſcriberetur. Quis hoc non miretur, & in tantæ myſterio humilitatis meritas ei non referat gratias, qui recèns natus voluit ſcribi ſervus, & terreno imperatori cenſum pendere? Sanè ab inſtanti ſuæ in vtero intemeratæ Matris conceptione, formam proptèr nos ſervi aſſumpſit, & quàm citius potuit, proptèr nos in publicis tabulis ſe ſervum profeſſus eſt: vt magis amori pietatique ſuæ nos debitores faceret, ſimulque à Diaboli cenſu & ſervitute nos vindicaret. Itaque, inquit Beda, ſervatoris noſtri non prætereuntèr tanta tamque benigna humilitas intuenda eſt, qui non ſolum incarnari pro nobis, ſed eo tempore dignatus ſit incarnari, quo mòx cenſu Cæſaris aſcriberetur, atque ob noſtri liberationem ipſe ſervitio ſubderetur.] Atque, vt idem venerabilis Author ſentit, Exijt edictum à Cæſare Auguſto, quia imminebat edictum Regis Chriſti, quo ſalutem conſequeretur vniverſus orbis.] Quaſi dicat, Cæſar, ſuo lucro inhians, à ſalutari Chriſti Domini edicto, vt ſuum edictum emitteret latentèr, & neſciens cui in hoc ſerviret, inductus eſt. Per illud enim edictum, inquit Chriſoſtomus, Chriſti Matrem attrahebat in patriam, quam Profetæ prædixerant, ſcilicèt in Bethlehem Judæ.

Bed. hìc.

Chriſo. in cat. D. Thom.

5 Sic ergo divinâ providentiâ diſpoſitum erat, vt Virgo illùc iret prægnans, & digniſsimum ferculum eſſet, quo melior auguſtiorque Rex iret, & minimè avaro & ambitioſo, ſed ſalutari edicto, non ſolum Cæſaris ditionem, ſed totum orbem omneſque mundi plagas, vtpotè ſolus verus & immutabilis Dominus ad hominum ſalutem cenſèret. Vndè Divus Ambroſius elegantèr ſcribit: Non hìc ſpatia terrarum, ſed mentium animorumque cenſentur: Nec deſcribuntur limites, ſed proferuntur. Nec ætas vlla diſtinguitur, ſed omnis adſcribitur. Nullus enim ab hoc immunis eſt cenſu: quia omnis ætas munifica Chriſto eſt, quem vagientes pueri martyrio confitentur, quem intra vterum poſiti exultatione teſtantur.] Ad id fortaſsè alludens venerabilis Beda dicit, Chriſtus vocabulum Auguſti perfectiſsimè complevit, vtpotè ſuos & augeſcere

de-

deſiderans, & augêre ſufficiens.] Benè quidèm, nam ſanè in Auguſto vacuum & inane erat Auguſti vocabulum: quia emunctâ ſubditorum pecuniâ, eos non augebat, ſed minuebat: ipſeque illâ ennumeratione & tributo, præcipuè in ſui imperij pace & tranquillitate, quando ſuis civibus congiarium, militibus donativum diſtribuere congruentiùs videbatur, ſe indigentem ærario exhauſto profitebatur; cum verum deinde etiam ſit, Quod pauperis eſt numerare gregem. Quàm verò è contrà, auguſtè & magnificè divinus infans, ſe cenſui ſubijciens, nobis ſuas divitias largiebatur! Etenim cum omnibus ſcriptus, ſanctificabat omnes, & cum orbe relatus in cenſum, communionem ſui præbebat orbi, vt Origenes meditatur. Quo pacto eius etiam quàm longè latèque pateat Auguſtiſsimum imperium elucet, quia vt nuper ab Ambroſio dictum eſt: Non hìc ſpatia terrarum, ſed mentium animorumque cenſentur, quæ quidem ampliſsima ſunt, adeoque capacia, vt nullis bonis creatis, ſed ſolo Authore omnium bonorum Deo, impleri poſsint: qui nec alitèr mentes animóſque hominum, quàm verâ ipſius cognitione ſuo imperio ſubiugat, obſequioſoſque ſibi fide, quæ per dilectionem operatur, dulciſsimè facit. Nec dubium, quod huiuſmodi imperium ſit omnium maximum: etenim, vt quidam ait, nulla proculdubio terrena eſt poteſtas, quæ in ſpiritibus hominum, & animabus, earumque cogitationibus, & phantaſijs, aſſenſu quoque & fide, thronum & quaſi cathedram ſuam erigit; & collocat præter doctrinam & ſcientiam] cœleſtem, quæ procedit ab ore Dei, vt ego veriùs ſanctiùſque interpretor, quàm de naturali & acquiſita, de qua ille loquitur. Bacon. de augm. ſci. li. 1.

6 Modò ad Virginem redeamus novem menſes prægnantem, fœliciſsimum quidem illi tempus, in quo Deus tot dies noctesque factus homo cum ea habitavit. Quis ex hac Dei dignatione, & novo habitandi modo, quanto ſolatio, quantâque animi alacritate, & mentis dulcedine, Virgo afficeretur, memoret? Nemo ſanè, niſi Virgo ipſa, & quidem, ni fallor, id in ſuo Cantico ſatis expreſsit. Cum enim ei admirata Eliſabeth dixiſſet: *Vnde hoc mihi, vt veniat Mater Domini mei ad me?* Protinus illa: *Magnificat*, inquit, *anima mea Dominum, & exultavit Spiritus meus in Deo ſalutari meo.*

Cur confeſtim iucunditatem & animi ſui exultationem prodidit, niſi quia ſe eſſe Dei Matrem audivit? Niſi quia divinâ prole prægnans proclamata eſt? Si enim *ex abundantia cordis*,
Math.cap.12. iuxta Evangeliſtam, *os loquitur*: ex abundantia lætitiæ cordis ſui locuta eſt. Quid enim illa ad Deum ſuaviſsimè ac gratulatorio cantico laudandum in ſpiritus ſui gaudio, præſentius haberet in mente, quàm Divinum illud numen, quod habebat in ventre? Illa dies ac noctes, toto prægnantis tempore, ſe rerum omnium Dominum & Creatorem geſtare meditabatur: & quem dulciſsimè in vtero amplectebatur, dulciori mentis amplexu ſibi innectebat, & dicebat: Teneo eum corporalitèr, nec dimitto ſpiritualitèr. Scio me gerere Jeſum mundi Salvatorem, & gentibus ardentiſsimè deſideratum, vnde mihi ineffabile gaudium eſt, quia illum poſsideo, qui eſt omnium deſiderium & expectatio, quia ſuo tempore omnium Salvatorem ac Redemptorem editura ſum, *& videbit*
Luc. cap.3. *omnis caro ſalutare Dei*: quia tandem ille excelſus Dominus, quem in meis viſceribus gero, reſpexit humilitatem ancillæ ſuæ, me elegit, de me confidit, ſeque à me, de meo ſanguine, mirabili Spiritus Sancti ope, gignendum alendumque novem menſes mihi dedit.

7 Sed ſi gaudia, ſicut dolor, triſtitia & tormenta, per tempora quæ durant, metiantur: quis non videat in novem menſium diuturnitate, quàm ingentia fuerint Virginis gaudia? De corrupta Pollionis matre Poetarum Princeps verè cecinit:

Virg. Eccl.4. *Matri longa decem tulerunt faſtidia menſes.*

Reliquum eſt ergo vt nos de Virgine Dei Matre cantemus:

Matri longa decem tribuêrunt gaudia menſes.

Et ſanè ſunt multi, nec infimæ notæ Authores, qui Chriſtum Dominum in vtero matris decem fuiſſe menſes opinantur: &
Corn.Sap.capit.7. videri poteſt apud Patrem Cornelium, qui de hac re fusè ac eruditè tractat. Noto tamen, quod Servius, Virgilij interpres, ſuper illius modo memorato carmine, ait: Mares in decimo naſcuntur menſe, fœmina vero in nono; & fortaſsè ſic cenſet, quia perfectior eſt mas, quàm fæmina. Huiuſmo-
Ariſt.de Hiſt. anim. lib. 7. cap.4. di tamen differentiam Ariſtoteles non ponit: ſed quod ſeptimo menſe, & octavo, & nono, mulier parere poteſt, &

quod

Digitized by Google

quod plurimum decimo : nonnullæ etiam vndecimum tangunt.] Et paulo ante aſſeruit: Fæmina, inquiens, tardiùs quàm mas perfectionem quarumcumque partium recipit, & ſæpius in decimum menſem, quam mas protrahitur.] Verùm, vtvt ſit, ſiue Virgo nouem menſes, quod verius eſt, communiorque opinio, ſiue decem grauida fuerit, ad ampliorem lætitiam dilataſque animi ſui diuitias, quæ ex fluentiſsimo diuinæ prolis fonte illi emanabant, ſpectat. Etenim Iudith, decapitato Holoferne, ſolemni totius populi gaudio, communique lætitia, pro virili facinore & gentis ſuæ redemptione, dignè, vt par erat, celebrata eſt: at non vno die, non tribus, non ſeptem, hilaris & lætiſsimus plauſus permanſit, ſed per tres menſes gaudium huius victoriæ, inquit ſacer textus, celebratum eſt cum Iudith. Nimirùm, quantum, quàmque in dies ampliſsimum ex parta victoria triumphatricæ fæminæ gaudium accreſcebat, à decreto trium menſium proclamationis tempore declaratur. In quo illa cantico à ſe compoſito, debitas quotidiè cum populo Deo referebat gratias, ſic dulcitèr modulans: *Incipite Domino in tympanis, cantate Domino in cymbalis, & modulamini pſalmum nouum, exultate & inuocate nomen eius. Dominus conterens bella. Dominus nomen eſt illi.* Veriori ergo Iudithæ, cuius illa erat typus, Virgini nempe prægnanti, non per tres menſes, ſed per nouem, gaudia prolongata ſunt: quæ quidem in vtero gerens ſtygij Holofernis & tetrorum ſequacium domitorem cum ligno, in quo ille primos homines decipere auſus eſt, totamque poſterorum progeniem inficere, non vnius gentis, ſed omnium gentium clariorem liberatorem, ac victorem nobis donabat. Et quis neget Virginem toto illo prægnantis tempore gratias Deo egiſſe, & quotidie excellentiſsimo à ſe carmine invento, victoriam decantaſſe? Quod ſanè carmen indicibili animi voluptate, & tenſis ſuæ Lyræ fidibus, ſic emodulata eſt: *Magnificat anima mea Dominum, & exultauit ſpiritus meus in Deo ſalutari meo: quia reſpexit humilitatem ancillæ ſuæ*; & nobis illud reliquit perpetuò canendum.

Ibi. cap. 3.

Iud. cap. 16.

8 Rurſus in duarum ſororum typo Virginem nouem menſes in vtero ſuo Deum hoſpitantem conſideremus: & nobis notare licebit, quod cum duæ fuerint ſorores, & intra domum

mum eandem, de vna dicitur, quod Ieſum hoſpitio excepit:
Luc.c. 10. *Intravit Ieſus in quoddam caſtellum, & mulier quædam nomine Martha excepit illum in domum ſuam.* Quid ergo? altera ſoror nomine Maria, non illum excepit? Excepit quidem, ſed quia parùm temporis illud hoſpitium (vnius fortaſsè diei, vel duorum ad ſummum) in quo corporalitèr Chriſtus paſcebatur, duravit, Marthæ tribuitur hoſpitium, & miniſtratio, opus quidem curæ, & ſolicitudinis plenum, vnde illi dictum eſt: *Martha, Martha ſolicita es, & turbaris erga plurima.* Non ſic Maria, ſed *ſedebat ſecus pedes Domini, & audiebat verbum illius, & optimam partem elegit*, ab ea non auferendam: non enim illa raptim, non paucis horis, ſed ſedens, & quaſi per otium, verbi divini dulcedine fruebatur, & ſuaviſsima captabat gaudia: non denique illa procul ſedebat, ſed ſecùs pedes Domini, vt oſtendatur, inquit Ambroſius, diligentia, aſsiduitas, & ſolertia erga auditionem, & multam reverentiam, quam habebat ad Dominum.] Hæc ergo Maria, ſicut in nomine Virginis Mariæ typus eſt, ſic eſt in hoſpitio, quòd iucundum, quòd dulce, quòd ſuaviſsimis gaudijs plenum, quòd longum, quòd aſsiduum: tale enim fuit hoſpitium, quòd Deo infanti novem menſes in vtero ſuo Virgo præſtitit: & quamuis illum intùs, & in viſceribus ſuis gerebat & paſcebat, tamen mente ſedebat ſecus pedes illius, & audiebat verbum, à quo ſimùl dulcitèr paſcebatur, gratijſque ac muneribus cœleſtibus in mercedem hoſpitij largiſsimè cumulabatur.

9 Non enim Dominus Ieſus alicuius ſe grato animo hoſpitem recipientis, domum ingreſſus eſt, cui non redundantibus beneficijs hoſpitium ſolveret. Ille ad nuptias venit invitatus, & ibi, aquâ in vinum converſâ, ſuorum miraculorum,
Ioan.c.2. teſte Evangeliſta Ioanne, exordium ſumpſit, & manifeſtavit gloriam ſuam, ſe primo miraculo, quis eſſet, oſtendendo: & defficiente invitatis vino, omnibus illis pijſsimè ſuccurrendo. In domum Zachæi ipſe ſe recepit, qui confeſtim illum gaudens excepit: ſed mirùm quanta hinc facta eſt ei à tanto hoſpite re-
Luc.c.19. muneratio! Dixit enim ad illum Ieſus: *Hodie ſalus huic domui facta eſt, eo quod & ipſe filius ſit Abrahæ*, Nam qui erat avaritiâ ſordidus, illum fecit pauperibus de ſuis bonis munificum: & qui erat ſtaturâ puſillus, & Ieſum, videre non pote-

Digitized by Google

rat, nedum intra domum ſuam, ſed intra pectus ſuum lumine fidei vidit, & Dominum veneratus eſt: adeòque crevit, & nobilitatus eſt, vt inter filios Abrahæ, id eſt, fideles, illum ipſe Dominus annumeraret. Si ergo ſic remunerat hoſpitium breve, & menſam ſibi apponi, & illam etiam, in qua ipſe optimum vinum ponit: quis intellectus, niſi divinus, vt ſcribit Benedictus Fernandius Luſitanus, cum Virgo Deum ſuis puriſsimis viſceribus excepit, novemque menſes conceptum de ſuâ carne integerrimâ Sanctiſsimâque, geſtavit, comprehendet, quæ beneficia, quas divinitatis opes pro tali hoſpitio Matri Deus ipſe contulerit? Immenſos planè cœleſtium gratiarum cumulos, ſimul cum illo admirabili privilegio, vt Mater Virgo eſſet, officioſiſsimæ ancillæ ſuæ Deus omnipotens rependit.] Fern. in gen. cap. 19. ſect. 2. num. 9.

EPITHETON XIV. EX D. LUC. CAP. II.

MARIA CONSERVABAT OMNIA VERBA hæc conferens in corde ſuo.

Cap. I. *Virginis Beatæ vita divinorum fuit contemplatio. Quæ myſteria conferebat in corde ſuo, & quibus comparabat? Non eſt vna de hac re Doctorum ſententia. An Virgo verba Ieſu in templo inventi intellexerit? Cauſa illum quærendi quaſi perditum, non ignorantia aut timor, ſed vehemens amor fuit.*

1 AD Cœleſtem prorſus Beatiſsimæ Virginis vitam præſens Epitheton, vt mihi videtur, pertinet: cum notum ſit, quod rerum divinarum meditatio, ac myſteriorum Dei contemplatio, beatorum ſit vita. Ecce in conferendis, ſeu illis meditandis, & contemplandis tota erat occupata, vtpote quæ ſibi optimam fœliciſsimamque partem elegerat: à qua non Marthæ querela, non rerum corporalium cura, illam ne levitèr quidem removebant. Id quidem

dem nobis ſatis oſtendit Evangeliſta, qui in hoc præſenti capite, non ſemel, ſed iterum ſcribit, quod Virgo *conſervabat omnia verba hæc conferens in corde ſuo*: quod ille ſanè facit, vt duodecim annorum à Nativitate Domini, & paſtorum tranſitu in Bethlehem, vſque ad inventum puerum Ieſum in templo inter Doctores diſputantem, tempus connectat, & continuata toto illo tempore, & deinceps, cœleſtium myſteriorum collatio, quam de illis in corde ſuo contemplativa Virgo habuit, videatur.

2 Itaque videndum nobis eſt quàm dextra fuerit contemplandi magiſtra, & ſtatìm elucet in eo quod, auditis paſtorum verbis, omnia ea conſervabat & conferebat: pendet hoc ab illo, & alterum ab altero non diſiungebat: etenim prudentiſſimè, vt conferret, conſervabat, & tenacitèr memoriâ retinebat, ſeu in penitiſsimo cordis ſui ſacrario collocabat, nec vnquam excidere ſinebat, eò maximè, quia ad Dei laudem, & ſibi erant iucundiſsima meditandi materies. Qui enim res divinas, & cœleſtem doctrinam animo non recondit, non ſolum non confert, ſed eius obliviſcitur: vt ille qui *conſideravit vultum nativitatis ſuæ in ſpeculo: conſideravit enim ſe, & abijt, & ſtatim oblitus eſt qualis fuerit*. Etenim in ſpeculo ſe videntis non conſervatur imago, niſi dum ille ſe videt: ad illius præſentiam ſtat eius vultus & forma: eo autem recedente, recedit ac diſpâret: tandemque tota res extra agitur, non intra animi ſpeculum, vbi qualis quiſque ſit, turpis, an pulcher, notitia ſervatur; vnde bene apponitur, quòd conſideravit ſe, & abijt, quia etiam extra ſe abijt, qui nihil intra ſe ſuæ notitiæ conſervabit, vt rediret ad cor, & recoleret. Virgo ergo ad cor, vbi divina myſteria abſconderat, intrabat, nec tantum verba, & res per illa ſignificatas ſimplici apprehenſione aut intelligentiâ capiebat, ſed ſuperiore intellectus actu, videlicet iudicio, quod ad Virginis ſapientiam pertinet, dicente Divo Thoma, quod excogitatum examinare ad aliqua certa, dicitur ſcire vel ſapere, quod eſt phronêſis vel ſapientia. Nam ſapientiæ eſt iudicare, iuxta Philoſophum. Hoc ſanè ſolertiſsima Virgo Maria conferens faciebat: comparabat quidem myſteria certa cum certis, factâ ſequentium cum præcedentibus collatione, in qua videbat ipſorum

Iac. Epiſtol. Can. c. 1.

1. part. quæſt. 79. art. 10. ad 3.

Libr. 1. Metaph.

Digitized by Google

ad invicem ſtabilem confirmationem, fidem, & conſenſionem, vt inquit Euthimius.

3 Hinc quoque dubitari poteſt, Cum quibus hæc Virgo beata conferebat quæ audierat à paſtoribus, quia comparatio eſt vnius ad aliud? Circa quod maior pars Patrum & Interpretum ſentit illam comparaſſe dicta viſaque à Paſtoribus, cum his quæ ſibi Gabriel Angelus nunciaverat: quæ omnia cum Virgineo partu mirè conſonabant, invento etiam Puero Ieſu nato ſecundùm ſigna ab Angelo oſtenſa. Itaque quietiſſima ac puriſsima Virgo, inquit Dioniſius Carthuſianus, delectabilitèr conſideravit, quomodo Angelus ſibi Chriſtum annunciaſſet, quomodo eum concepiſſet ac peperiſſet, quomodo Angeli apparuerunt paſtoribus, & quid paſtores ſe audiviſſe, & vidiſſe proteſtabantur non ſolum Virgini glorioſæ & Sancto Ioſepho, ſed & cæteris multis, quibus opportunè poterant loqui.] Addit præterea Beda (cuius verba, quia optimè ad laudem Virginis conferentis faciunt, quamvis non pauca ſunt, mihi tranſcribere libet) Mariam hæc eadem cum priſcis Prophetis contuliſſe. Quia Sanctas Scripturas, inquit, legerat, & ſciebat prophetas, conferebat ea quæ ſecum ſunt acta de Domino, cum his quæ noverat à prophetis ſcripta de Domino, & collata ad invicèm cognovit inſtar cœleſtium Cherubim ſocia ſui vultus luce concordia. Dixerat enim Gabriel: *Ecce concipies in vtero & paries filium.* Prædixerat Iſaias: *Ecce Virgo concipiet & pariet filium.* Prædixerat Michæas: *Filias Sion in turre gregis adventuras, & poteſtatem primam tunc eſſe venturam.* Dicebant paſtores ſupernæ ſibi civitatis in turre gregis apparuiſſe cohortes, quæ natum canerent Chriſtum. Legerat Maria, *Bos cognovit poſſeſſorem ſuum, & aſinum præſepe Domini ſui.* Videbat in præſepi Dei filium vagientem, qui homines ſalvat ac iumenta, & in his ſingulis, atque huiuſmodi conferebat, quæ legerat, & comparabat his quæ audiebat & videbat.] Cum Bedà ſentit etiam Carthuſianus. Sed horum placitum non probat Cornelius à Lapide, ſic enim ſcribit: Non oracula prophetarum de Chriſto, vt vult Beda, ſed dicta & viſa paſtorum de Angelis concinentibus, *Gloria in excelſis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis*, cum his quæ ipſa in ſe experta erat,

Dubium. Carth. hic. Beda hic. Corn. hic.

putà cum annunciatione Gabrielis, Oraculo Eliſabethæ & Zachariæ, cæteriſque quæ ipſa de Chriſto nato viderat, & in ſe ſenſerat.] Non video tamen cur tam preſsè anguſtèque collatio Virginis in corde ſuo, quod erat omni prudentiâ, & cœleſtium doctrinâ præditum, ſumenda ſit, niſi ei lectionem, & ſcripturarum peritiam negemus: neque enim illa tam curtè videbat, vt perſpicacem mentis oculum ad ſola præſentia, & non ad vetera oracula extenderet.

4 Rurſus idem Epitheton ſecundò repetitum, & ob diverſam cauſam, conſideremus. Etenim Evangeliſta oſtenſo Virginis & ſponſi ſui dolore de amiſſo filio, poſteà eo inter Doctores invento, ſic illam tenerè & peramantèr cum illo expoſtulantem inducit: *Fili, Quid feciſti nobis ſic? Ecce pater tuus & ego dolentes quærebamus te.* Chariſsimum vero natum ita reſpondentem: *Quid eſt quod me quærebatis? Neſciebatis, quia in his quæ Patris mei ſunt, oportet me eſſe?* Ac tandem inquit: *Et Mater eius conſervabat omnia verba hæc in corde ſuo*, conferens vtique, vt ſupra dixerat. Quæ ſint autem hæc verba, quæ modò conſervare, & conferre Virgo dicitur, vix poteſt dubitari, eſſe ea quæ à Filio Mater audivit. Tamen Titus Boſtrenſis apud Cardinalem Toletum, verba extendit & refert non ad ea tantùm quæ nunc Chriſtus Matri reſpondit, ſed etiam ad ea quæ Virgo audierat ab Angelo, à paſtoribus, à Simeone, ab Anna. Sed hæc antè duodecim annos & ampliùs contigerant, & ideò menti Evangeliſtæ conformiùs videtur ea non extendere ad tanto tempore præterita, ſed ad ea tantùm limitare quæ denuò acciderant, vt limitant Toletus, Euthimius, & alij, & ferè idem inſinuat Evangeliſta, quaſi de re nova repetens, *Et Mater eius conſervabat omnia verba hæc in corde ſuo.* Vbi obitèr animadverto, ſupra dici, Quod Maria conſervabat: hìc vero quod Mater conſervabat; cur, rogo, nomen appellationis in cognationis nomen mutatur? Niſi quia, vt Mater, ad Filium, & verba eius, refertur: ad paſtores autem, vt audiens quæ ab illis dicebantur; & ideò ſtudioſè poſitum eſt Maria.

Cardin. Tol. annot. 85.

Dudium.

5 Sanè ex eo quod Mater conſervabat omnia verba hæc, Caietanus inquit: Hinc apparet, quod intellexit verba Ieſu, & frequenti meditatione contemplabatur, & conſervabat illa.]

Vn-

Vnde ille verba Evangeliſtæ dicentis, *Et ipſi non intellexerunt verbum quod dictum eſt ad eos*, ſoli Ioſepho per ſynecdochem attribuit: hic enim erat minus perſpicax, & in arcano Pueri Ieſu myſterio, minus inſtructus, quàm Virgo. Arguit tamen acutè Rupertus: Si Maria non neſciebat, quomòdo quærens dolebat, & dolens quærebat? Si autem neſciebat, quomòdo aut de quibus in corde ſuo conferebat? Cui dilemmati ſolvendo, multa ex Patribus & Interpretibus habemus præclara, quæ nos ſummatìm perſtringemus. Maria itaque non neſciebat, imo nec ipſe Ioſeph, puerum Ieſum eſſe Deum, cum illâ ab Angelo didicerit, & audierit: *Ideoque quod naſcetur ex te Sanctum, vocabitur Filius Dei.* Et, *hic erit magnus, & Filius Altiſsimi vocabitur.* Et Ioſeph etiam ab Angelo: *Noli timere accipere Mariam coniugem tuam, quod enim in ea natum eſt de Spiritu Sancto eſt.* Nec ignorabant Puerum Ieſum mundi redemptorem, & ad obeunda Patris ſui ſalutaria negotia veniſſe, in quibus illum modò inter Doctores occupatum reperêrunt: nam Virgo à Paſtoribus, à Simeone, ab Anna id auſcultarat, à quibus etiam Ioſeph, & inſuper ab Angelo, qui ei dixit: *Vocabis nomen eius Ieſum*, & dulciſsimum nomen continuò expoſuit: *Ipſe enim ſalvum faciet populum ſuum à peccatis eorum.* Accedit quod Rupertus, vt ſibi reſpondeat, aït de Virgine: Magna hæc Prophetiſa, quid ageretur, non ignorabat, quoniam gratiâ plena erat.] Quod autem dolentes quærerent, non in cauſâ erat, quia illum perditum & aberrantem, veluti puerum inexpertum, ſeu locorum & viarum neſcium, vt aliqui malè & incautè interpretantur, exiſtimarent: repugnat enim hoc cum cognitione, quam de divino Puero habebant: ſicut quod vel exiſtimarint illis minus obedientem & morigerum ſe oſtentaſſe, dum illis inconſultis ab eorum aſpectu ſe retrahit. Sed profectò in cauſà erat grandis vehemenſque vtriuſque parentis amor, qui talis non eſſet, niſi eos quærendi, quem valde diligebant, ſolicitos faceret: nec poterat Mater dulciſsima abſentem Puerum, quem divinitùs genuerat, non anxiè deſiderare, & cum dolore quærere: ſat ſibi erat, quod pulcherrimus Puer, *ſpecioſus præ filijs hominum*, pignus cœleſte, vnicus quoque, vnicèque ſibi dilectus filius, coram oculis ſuis non eſſet: ſat

Caiet. hic.

Rupert. lib. 1. cõm. in Cant.

Dubium.

ſibi eo carere erat, quamvis nihil illi mali timebat.

6 Certè in matribus ſic naturâ comparatum eſt, vt amore impellente, filiorum abſentiam ægrè impatientèrque ferant. Erit nobis exemplo iunioris Thobiæ mater, quæ quòd ille die ſtatuto non revertebatur, *Flebat irremediabilibus lachrimis, & dicebat heu, heu me, fili mi, vt quid te miſimus peregrinari, lumen oculorum noſtrorum, baculum ſenectutis noſtræ, ſolatium vitæ noſtræ, ſpem poſteritatis noſtræ.* Tùm, præter hos tenerrimos queſtus & lamenta, *quotidiè exiliens circumſpiciebat, & circuibat vias omnes per quas ſpes remeandi videbatur, vt procul videret, ſi fieri poſſet, venientem.* Eſt etiam huiuſmodi amoris violentia in amantibus: quid enim Magdalena querebatur? Quid flebat, niſi *tulerunt Dominum meum, & neſcio vbi poſuerunt eum?* Et quid tandem amoris vi audebat, niſi vbicumque eſſet poſitus, eum tollere? Magnus quidem in Annâ erga filium, & in Magdalenâ erga Chriſtum Dominum depingitur amor, ſed tamen pœnè nullus eſt, ſi cum Virginis amore conferatur: nam filius, quem quærebat, verè oculorum ſuorum erat lumen, verè baculus, verè vitæ ſolatium, non tantùm ſuæ, ſed omnium noſtrûm, verèque ſanctæ poſteritatis ſpes, quia de illo eſſe ſcriptum norat: *Si poſuerit pro peccato animam ſuam, videbit ſemen longævum.* Neque Annæ ſolicitudo in quærendo filio cum Virginis Matris ſolicitudine comparari poteſt, quia in filio, quem quærebat, Deum ſimùl quærebat: qui ſicut ab eâ ardentiùs amabatur, ita diligentiùs quærebatur, nunc in comitatu, modò inter cognatos & notos: Puer enim noſtri generis & ſanguinis erat; tandemque rediens Ieruſalem, poſt triduum ſolicitæ inquiſitionis, in templo, quia Deus erat, eum invênit: & quidem parata erat, ni inveniſſet, amoris impetu, & alis eius evecta, totum mundum peragrare, & circumiens civitatis vicos & plateas, filium chariſsimum quærere, & inquirere, ſicut tres dies fecit, illud tenerè repetens: *Num quem diligit anima mea vidiſtis?* Dolori etiam Matris ſimilis dolor Ioſephi ex amore reſpondebat, quia cura Pueri erat ſibi cœlitus mandata, & tanto honore vt pater eius audiret: tùm, quia ſponſam ſuam pro dilecto filio afflictam videbat: atque ex vtrâque cauſâ Ioſephi cor vehementi cruciabatur dolore.

Tob. c. 10.

Ioan. c. 20.

Iſai. c. 58.

Cant. 3.

Ref-

7 Reſtat modò nobis altera dilemmatis pars diluenda; videlicet, Si Virgo neſciebat, quomòdo, vel de quibus in corde ſuo conferebat? Dicimus ergo, quòd quamuis Virgo Beata non ignoraverit ſe communem cum Deo habere filium, aliquid tamen neſcivit, vt patet ex his Evangeliſtæ verbis: *Et ipſi non intellexerunt verbum, quod dictum eſt ad eos*; quæ quidem non ad audientes, ſed ad Virginem, & Ioſephum clarè & ſine violentia referuntur, quam ſanè faciunt verbis, qui ea ad audientes referunt. Itaque circumſtantias loci, & temporis, modumque hic, & nunc ſe occupandi in his quæ Patris ſui erant, Virgo neſcivit, vt benè docet Dioniſius Carthuſianus. Etenim ſcire non poterat, quod Puer duodenis, cùm in templo, tùm inter Doctores ſapientiſsimè reſpondendo, & interrogando, in ſe aliquid ſupra hominem eſſe, manifeſtaret. Vnde Caietanus acutè advertit, quod Ieſus non dixit, Neſciebatis quod in iſtis ſpecialibus nunc oportuit me eſſe, ſed in genere, *In his quæ Patris mei ſunt, oportet me eſſe*? Hoc enim in genere ſatis perſpectum habebat Virgo, nec tantum taleſmque Puerum in alijs præterquàm cœleſtis Patris negotijs fore occupandum. Et verba quidem Pueri Ieſu ad parentes id demonſtrant, quippè ea interrogativè protulit: quod, vt cum Cardinali Toleto ſentio, non eſt negantis, ſed affirmantis eos minimè ignorare, quod vbicumque ille erat, Patris ſui negotia procurabat: atque ita, in hoc ſenſu, non dediſſe illis cauſam ſe anxiè, & dolentèr quærendi, præ oculis ponit: ſed eos coegiſſe amorem coram habendi, quem tenerè amabant.

Libr. 2. de præc. & dign. Virg.

Tol. in Com. & annot. 81.

8 Hinc quoque patet Ambroſij mens dicentis, Hìc Mater arguitur, quia adhùc quæ humana ſunt, exigat, id eſt, quæ ex innato Matris amore prodire videbantur: in quo nihil certè vituperabile, nihil reprehenſibile, ſed potius valde pium, & laude dignum, poterat apparere, & præcipue oculis filij, qui amantiſsimæ Matris curam, & officium opportunè ſibi videbat impenſum. Quo circa, ſicut Matris ad filium verba, *Fili, quid feciſti nobis ſic? Ecce pater tuus, & ego dolentes quærebamus te*, dulciſsima & plena amoris ſunt, minimèque amarulenta (vt hæretici, perverſi homines, qui dicunt dulce amarum, & amarum dulce, de ſuo ſapôre, & palàti vitio interpretantur) ita filij ad Matrem leniſsima, & ſine felle reſponſio

eſt,

Digitized by Google

eſt; *Quid eſt quod me quærebatis?* Cur hunc pro me laborem ſuſcepiſtis, niſi quia ad hoc profectò impulit vos veſter erga filium amor? Quamuis enim vobis aberam, ſanè non ignorabatis in his quæ Patris mei ſunt, oportere me eſſe, proindèque mei quærendi curam omittere potuiſtis, ſed amor mentem præoccupavit, & vis amoris intentionem multiplicavit inquiſitionis. Sunt tamen qui in Pueri Ieſu reſponſione parentum ſuorum reprehenſionem eſſe putant; ſed nihil minus, & ſi aliqua in verbis ſonare videtur, eſt equidem ſpecie tenùs, non re, vt benè Maldonatus, & alij notant. Tùm, vt optime Caniſius arguit, Chriſtus, ſi hoc loco quicquam obiurgatione, & correctione dignum parentibus opponere voluiſſet, non tam tectè, & obſcurè loqueretur, vt ab illis ipſis, quos arguebat, non poſſet intelligi, ſicut Lucas factum eſſe deſcribit.]

Libr. 4. de Deip. Virgin, c. 18.

9 Quomodo ergo reſponſum filij Virgo Mater non intellexerit, expoſuimus, tamen illi talis neſcientia minimè obe-rat quominùs dicta ſibi in corde ſuo conferret, imo ob id animo revoluebat, vt aſsiduâ meditatione verborum ſenſum inveniret. Vel quia, vt inquit Cardinalis Toletus, omnia hæc mira erant, & profundam cauſam præſeferebant, nec tunc Beata Virgo perfectam omnium rationem, & intelligentiam aſſequebatur, & ideò conſervabat in corde ſuo. Prætereà quæcumque erant filij ſui, ſive facta, ſive dicta, maximi faciebat: proptereàque etiam non intellecta, & nondum ſibi revelata, altè animo infigebat & conſervabat, ſilentio premens, & divinæ diſpenſationi, vt ait Rupertus, interea ſerviens, donec poſſet inſtructior de illis facta, alijs revelare, & Apoſtolos ad Evangelium prædicandum vtilitèr docere. Sic ferè omnes ſentiunt, ſed quia Author Græcus, apud Divum Thomam graviter, & dilucidè rem explicat, do eius verba. Conſidera, inquit, prudentiſsimam mulierem Mariam, veræ ſapientiæ Matrem, qualiter ſcholaris ſui Pueri ſit. Non enim vt puero, neque vt viro, ſed vt Deo vacabat, idcircò nil ex dictis, aut actis ab eo, incaſſum illi patebat: ſed ſicut ſe ipſum, Verbum prius in viſceribus, ita nunc eiuſdem modos, & dicta concipiebat, & in corde ſuo quodammodo fovebat: & hoc quidem iam ſecum in præſenti contemplabatur, hoc autem expectabat

Card. Tolet. annot. 85.

Aut. Græc. in cat. D. Thom.

in

in futurum clariùs revelandum, & hac quidem tanquam regulâ, & lege per totam vitam vtebatur.] Nec durum debet videri, maximè vt expoſuimus, quod Virgo non intellexerit verbum, ſicut aliquibus recentioribus videtur, vt ait Toletus, quo permoti in varias expoſitiones abierunt. Nam nihil Virginis, & Ioſephi perfectioni derogat, ſicut ille latè probat, quod verbum ad eos dictum non intellexerint, quia ſicut in gratia, & charitate creſcebant, ita in ſcientia & fide myſteriorum, quoàd decurſu temporis extenſionem. Tol. annot. 8.

10 Hinc verò ipſe hoc excitat dubium, Quomòdo Beata Virgo non intellexiſſe dicatur Chriſti verbum, quæ Angeli nunciantis verba, maiora & profundiora myſteria ſignificantia percepit, & comprehendit? Sed facilè reſpondet: Nec hæc, nec illa aſſequi potuiſſet, niſi Deus illius mentem illuminaſſet, & modò non illuminavit.] Si quis autem quarè nunc, ſicut tunc, non illuminavit, roget? Vt appareat, inquit, diſcrimen inter Chriſtum, & Matrem, nam Chriſtus à primo ſuæ conceptionis inſtanti omni gratiâ, & ſapientiâ repletus eſt; ita vt deincèps augmento non indiguerit, ſicut Mater, que & ſi in ſua conceptione, & in Incarnationis myſterio donis, & gratijs locupletata, & aucta fuerit, non tamen tanta plenitudine vt vlteriùs gratiâ, & mentis illuſtratione ad myſteria aſſequenda non indigeret.] Verumtamen, vt dicam quod ſentio, hoc diſcrimen obiectionem non ſolvit, quia ſi Virgini mentis illuſtratio fuiſſet ad intelligendum Chriſti verbum collata, ſufficiens inter illum, & Matrem diſcrimen apparebat, ſiquidem in tempore, & quotieſcumque aliquod myſterium aſſequi debebat, novâ illuſtratione augeri, & fulciri indiguiſſet, eâque ſtatim audito Chriſti verbo conceſsâ, novæ illuſtrationis augmentum illi veniret, nec opus erat ad aliud tempus differri. Et ſi enim verba Angeli nunciantis profundiorâ myſteria continerent, tamen ille explicatiùs & clariùs Virgini, eà vt caperet, expoſuit: vnde ei dubitanti, *Quomodo fiet istud? Spiritus Sanctus ſuperveniet in te*, reſpondit: nec tunc mentis illuſtratio dilata eſt, quia ſic ad tantum myſterium, & admirabile in viſceribus Virginis opus oportebat: quod autem modò Chriſti verbum non intellexiſſet, cum ad ſpeciales circunſtantias loci & temporis, vt diximus, pertineret, quo- Dubium.

dam-

dammodo magis latebat, & intellectu erat dificilius, nec multum eius intelligentiâ tunc vrgebat: ſatis enim fuit quod Virgo intellexerit in genere, vt dixit Caietanus, Chriſtum in his eſſe quæ Patris ſui erant; & hæc ad obiectionem commodior reſponſio eſſe videtur.

Cap. II. *Virginis virtutes quæ in hoc Epitheto emicant. Illa fuit Dei ſcholaris, & pulchrum quæ Dei ſunt addiſcendi exemplum. Eius humilitas etiam non intellecta conſervantis, nec ſe à rudibus doceri dedignantis. Carpuntur ſcioli & tumidi magiſtri. Quis dignè ſit Virginis diſcipulus.*

1 NIL Sapientius ac prudentius quàm ſuo tempore loqui, vel tacere: habet enim os ſapientis, ſecundùm Eccleſiaſtici ſententiam, tempus loquendi, & tempus tacendi. Inſipiens verò tempus non obſervat, & quidem non expectato, nacta nec opportunitate, effutit quidquid in buccam venerit. Nobis autèm modò dignè obijcitur Beata Virgo, quâ nemo prudentior ac ſapientior inveniri poteſt, nobiliſsimum imitandumque tacendi, & loquendi exemplum. Etenim iam vidimus, illam ad tempus conſervaſſe, & in corde ſuo contuliſſe omnia verba, etiam non intellecta, quæ à filio ſuo audierat, quouſquè poſſet magis inſtructa, de illis loqui, & ad Eccleſiæ vtilitatem, è tacito pectore ſapientèr digeſta, & meditata depromere. Ob hoc ſanè valdè mihi arridet, quod ab Authore Græco ſcholaris Pueri ſui nuncupatur, cui, vt benè ait, non vt puero, neque vt viro, ſed vt Deo vacabat. Erat ergo in Puero, Dei ſcholaris, illius ſcholam in gymnaſio cordis ſui frequentabat, lectionem auditam ruminans, revolvens, verſans, profundèque vſquè ad apices contemplans. Multa profectò hic veniunt laudanda, in primis virgineum in addiſcendo ſilentium; fœlicius admodum ac divinius quàm illud Pythagoreorum ſcholarium, quamùis etiam laudandum, & laudat Divus Ambroſius, ſic ſcribens: Pythagoras vt diſcipuli ſui quinquenio non loquentes, tanto ſilentio loqui diſcerent, ſectam inſtituiſſe ad imi-

Eccl. c. 3.

Ambr. Pſalm. 118. ſerm. 2.

imitationem iuvenis prophetici videtur, de quo Ieremias ait: *Bonum eſt viro cum tulit iugum in iuventute ſedebit ſingularitèr, & ſilebit*:] quòd iuxta eiuſdem ſancti Doctoris expoſitionem, priùs vult loquenda cognoſcere, quàm proferre quæ ſentiat, antequàm loqui diſcat, timens ne multiloquio peccatum contrahat.] Porrò Anguſtinus fortè ſimile aliquomodo ſilentium, & quietem in diſcipulis ſuis, vt eos Rethoricam doceret, valde deſiderabat: quâ de causâ, relictâ Carthagine; Romam profectus eſt, quòd audierat quietiùs ibi ſtudêre adoleſcentes; & tamen, non ita erat, vt dictum eſt ei, vnde ipſe ait: Ecce agnoſco alia Romæ fieri, quæ non patiebar in Aphrica. Nam re vera illas everſiones à perditis adoleſcentibus ibi non fieri, manifeſtatum eſt mihi.] Sed oportet audire ab ipſo quæ Carthagine patiebatur: Contra, inquit, apud Cartaginem fœda eſt, & intemperans licentia ſcholaſticorum. Irrumpunt impudentèr, & propè furiosâ fronte perturbant ordinem, quem quiſque diſcipulis ad proficiendum inſtituerit. Multa iniurioſa faciunt, mirâ hebetudine, & punienda legibus, niſi conſuetudo patrona ſit, hoc miſeriores eos oſtendens, quo iam quaſi liceat, faciunt, quod per tuam æternam legem numquam licebit: & impunè ſe facere arbitrantur, cum ipsâ cæcitate faciendi puniantur, & incomparabilitèr patiantur peiora, quàm faciunt.] Hæc Auguſtinus. Et vtinam in noſtras Academias, & ſcholas hæc conſuetudo impia, & planè barbara non irrepſiſſet: debet illius tamen ſectatores coercêre ipſa cæcitas faciendi, qua à Deo puniuntur.

Thren.c.3.

Confeſ. lib.5. c.12.

Ibi c.8.

2 Præterea Virginis Beatæ meditatio laudanda venit: ſilebat enim vtilitèr, vt in abſcondito cordis addiſcenda myſteria meditaretur, verè Dei ſcholaris, quæ prius volebat loquenda cognoſcere, quam proferre: prius theſauro cœleſtis doctrinæ hauſto, illam alijs diſpenſare. Hoc itaque ſilentio, & contemplandi arte, magiſterij lauream meruit, & eſſe magiſtra magiſtrorum, vt rectè à Ruperto vocatur: ſiquidem Eccleſiæ Principes, Apoſtolos, & Doctores, de arcanis ad Evangelium ſpectantibus inſtruxit, ac erudivit. Sunt tamen, & frequentèr, in hoc deplorabili ſæculo, qui poſthabito, vel minus animadverſo tantæ Virginis exemplo, quin priùs ſint Dei ſcholares ſilendo, & ſtudioſê meditando, & in pectore

Digitized by Google

ſacras literas recondendo, atque Sanctorum Patrum commentaria, & lucubrationes evoluendo, audeant verbum Dei coram, & publicè è ſuggeſto exponere. Sane id eſt, quod Muſa Ariæ Montani iam antè dolenter cecinit.

Lib.6.ori.

Eſt qui ætate nova protinus inſcius
Quid monſtra e velint ſancta volumina,
Nondum diſcipulus, ſed tamen audeat
Doctorem temerè ſe populis dare
Indoctus iuvenis, conſili & indigens,
Annis, ingenio præcipiti levis,
Dictu digna, neque aut digna ſilentio
Aptus diſparibus ſiſtere terminis.

Non ſic Raymundus Nonnatus, verè Virginis filius, & fidelis diſcipulus, de quo ego in eius vita modulatus ſum.

Libr.2. cap.2. lem.5.

Divinas, vbi numen adeſt, evoluere chartas,
Hoc opus, hæc illi lectio dulcis erat.
Quæque arcana latent miro ſub cortice ſenſa
Sugere mente, velut ſugimus ore favos.
Non tamen audebat propriæ ſe credere menti:
Heu quot in errores hæc mala cauſa trahit!
Quos Eccleſia habet Patres, & Lumina adibat,
Veraque cum Patrum lumine ſenſa capit.
Sic ductus, quid Dia illi Sapientia mandat?
Quidve vetat, nullo ſcitque probatque metu?

Si enim, vt alter, in re minoris longe momenti canit:

Horat. de art. Poet.

Qui ſtudet optatam curſu contingere metam,
Multa tulit fecitque puer: ſudavit, & alſit:
Abſtinuit Venere, & vino qui Pythia cantat
Tibicen, didicit prius, extimuitque magiſtrum:

Videat ſacer tibicen, ſeu Eccleſiaſtes, quantùm, divinæ doctrinæ legique Dei priùs evigilando, ſe debeat exercêre, & proprios caſtigâre mores, inordinatoſque coërcêre affectus, vt ſalubritèr populos docendo, ſapientèr corrigat alienos.

3 Rurſus ad Virginem, cuius humilitas laudibus modo extollenda eſt, redit oratio. Verba equidem Pueri Ieſu, quamvis non intellecta, animo abſcondit, memoriæ mandavit, nec minoris fecit, quàm ſi intellexiſſet. Superborum vitium eſt, quæ non intelligunt, continuò ſpernere: tantum captui ſuo

tri-

tribuentes, vt nihil illum poſsit latere præſumant, quantu-
muis alta & recondita ſit doctrina: potiuſque ſcripturas, &
ſapientum dicta damnare audent, quàm ſuam ignorantiam
& mentis tarditatem confiteri. Atque ita iuxta Sancti Apoſ-
toli Iudæ ſententiam, *Quæcumque ignorant, blaſphemant*; & Iudæ Epiſt.
quam perverſum horum iudicium ſit, vel ex eo apparet, quòd, canon.
cum damnatio, vel probatio cognitionem poſtulent, ſicut ſu-
per hunc locum Arias Montanus ſcribit, ea damnant, quæ
ignorant. Elatione igitur reprobatâ, Virginis humilitatem
ediſcant, quæ ſapientiſsima erat, & tamen, quæ nondùm om-
ninò penetrarat, velut theſaurum aureum in cordis ſui pene-
trali conſervabat. Vel, ſi malunt, à Socrate non parui acumi-
nis Philoſopho edoceri poſſunt: hic enim, vt refert Laertius, Laert. in ſocr.
cum obſcurum Heracleti librum legiſſet, dixit: Quæ intellexi,
proba ſunt, credo & quæ non intellexi. Porrò ſic iudicare,
modeſti ac non ſe efferentis animi eſt.

4 Ex alio etiam capite Virginis humilitas cum mirâ pru-
dentiâ coniuncta, magis adhùc reſplendet, nam Ieſu filio ig-
norantiam parentum apparentèr reprehendente, nihil in ſui,
& ſponſi defenſionem excuſationis prætexuit, nihil Mater
parvulo filio oppoſuit: ſed modò, ſicut anteà, & ſemper ſe
ancillam profeſſa eſt, nihil contrà obijciens Domino ſuo, quem
in Puero filio venerabatur, a quo ſimul ac audivit: *Neſciebа-
tis quòd in his quæ Patris mei ſunt, oportet me eſſe?* Statim quæ
illum occupatio tenuerit, ſaltim in genere cognovit. Habent
hic & à nobiliſsimâ humilitatis magiſtrâ ſpecioſum omnes an-
cillæ documentum: non enim dominabus ſuis in licitis, & ho-
neſtis reſpondère, & repugnare debent, vt quondàm Agar
Dominæ ſuæ Saræ fecit, ſed ad illarum iuſſa & dicta oculis, non
lingua vti, quod ſacer Pſaltes docet: *Sicut oculi ancillæ in ma-* Pſalm. 122.
nibus dominæ ſuæ; quo pacto promptiores & obſequentiores
erunt, ad exequendum quod rectum eſt. Nec ſanè aliud fecit
Virgo Maria ancilla Domini, non ore, non verbis, non lin-
gua vſa eſt, ſed mentis oculis, quos in Deo Domino ſuo fixos
habebat: etenim hoc eſt: *Conſervabat omnia verba hæc confe-
rens in corde ſuo.* Nec ſolùm ad Domini ſui verba ſic ſe geſsit
humillima Virgo, ſed etiam ad paſtorum dicta, quod ita Si- Lib. 2. de Vir.
mon Caſianus ponderat: Audit ab Angelis Maria omnium Mar. c. 20.

 ma-

magiſtra virtutum, & velùt à ſapientioribus verba deprompta cuſtodit. Audit à paſtoribus, & ipſorum velut maxima ſuſcipit documenta, retinet & conſervat: humilitatem ſuam ipſa proteſtatur, quòd audit ab eis, quibus eſt ipſa ſuperior, & affectum movet in prolem, cum omnia quæ de ipſa novitèr dicebantur, ex delectatione, captu animi rètinebat, conferens in corde ſuo.]

5 Iure Virginis humilitas ſciolorum faſtum calcat, qui nedùm à rudibus paſtoribus, ſed etiam à ſapientioribus doceri dedignantur, non minùs ſanè ſuperbi, quàm illi Phariſæi, qui cæco a nativitate, cuius Dominus iam aperuerat oculos, arrogantèr dixerunt: *Tu doces nos?* Quaſi dicant, en vobis
Ioan. c. 10. hominis imperiti impudentia, nos homines Phariſæos ſapientiâ & eruditione ornatos docere præſumit. Vel ſic illum increpant: Si doceres rudiores te, aut pares, tolerabile fortè eſſet: ſed quod tu doceas nos Phariſæos peritiam religionis & iuſtitiæ profitentes, intòlerabile prorſus eſt. Congruentèr etiam ad typhum illorum declarandum, Divus Hilarius ſuper factum Chriſti cathedras vendentium columbas ever-
Hilar. can. 22. tentis, quærit: Quæ porrò dignitas eſt in nundinis columbarum? Aut quod privilegium in avium iſtarum commercijs reſervatum eſt, vt vendentes eas honorem ſibi arrogent cathedrarum?] Nimirum quantum ego capio (ſi mihi Hilarij dubio aliquid reſpondère licet) columba animal eſt ſimplex ac ſtolidum, iuxta illud Oſeæ: *Ephraim quaſi columba ſeducta*
Oſe. c. 7. *non habens cor*, cui benè comparantur Ephraemitæ, vt denotentur excordes, mente & ſapientiâ vacui: & ideò vendentes columbas, ſibi honorem cathedrarum, quaſi Doctores & ſapientes eſſent, arrogabant, quia in illis ſtultitiam ſuam alijs pro ſapientiâ venditabant. Horum ergo cathedras Chriſtus evertit, ne ſapientiæ colore, quam non habent, ſuperbiant, & docèri deſpiciant, etiam à ſimplicibus, ſed tamen prudentibus: qui, vtpote habentes ſimplicitatem cum prudentia con-
Math. 10. iunctam, iuxtà illud Chriſti Domini, *Eſtote prudentes, ſicut ſerpentes, & ſimplices ſicut columbæ*, capaces ſunt docendi, & ſinceriùs quàm tumidi magiſtri, quia vt elegantèr Ambroſius monet: Non gymnaſia choris referta ſapientium, ſed plebem Dominus ſimplicem requiſivit, quæ phalerare audita,

Digitized by Google

& fucare neſciret.] Ab his ergo ſapientiſsima Virgo Maria didicit, qui etſi ſimplices, tamen docibiles Dei per Angelos priùs fuerunt: & quæ audierant non phalerato ſermone, ſed humili, & cum Dei glorificatione, alijs annunciarunt.

6 Tandem ex eo quod Virgo obſervabat omnia verba hæc; diligens divinorum auſcultatrix, quàm magna fides, & penitiſsima eius ſpeculatio fuerit, apertiſsimè apparet, quod acute Pater Maldonatus vidit: Animadvertimus, inquit, cum multa alia non ſolum de Mariâ, ſed etiam de Joſepho dicat Evangeliſta, vt quod Chriſtum ambo quæſierint, quod mirati fuerint; quod tamen dicta factaque Chriſti animo recondiderit, ſemper de ſolâ Mariâ dicit.] Vnde duo vult manifeſtare, ſingularem Mariæ diligentiam in obſervandis Chriſti myſterijs, & maiorem fidem cognitionemque, vt cauſas obſervationis. O præclarum exemplum (cum Caniſio declamare iuvat) Evangelici pectoris, divinas opes tam cupidè recondentis, tam fideliter conſervantis! Non eſt Maria otioſa ſpectatrix, vel negligens auditrix eorum quæ ſeſe paſsim offerebant, ſed ſedula meditatrix & obſervatrix, vt ſacro & arcano còrdis ſui ſcrinio illa divinæ diſpenſationis opera commendaret, commendataque retineret, ne vnquam effluerent. Nec enim ſibi tantùm, ſed etiam alijs Mater provida inſerviebat, vt pretioſum pararet theſaurum opportunè aliquando depromendum, multiſque vtiliſsime comunicandum.] Porro dignè evangelici pectoris divinas opes tam cupidè recondentis, tam fideliter conſervantis, exemplum dicitur, quia illius inſtar evangelicus auditor debet eſſe, ſcilicèt diligens in recondendo, obſervando, & meditando Dei verbo, vt fructum ex eo ſibi germinet, & cum eo alijs ſuo tempore proſit. Lib. 4. de B. Virg. c. 19.

7 Et quidem hoc eſt, quod in ſeminis parabolâ nos Chriſtus Dominus docet, cum dicit: *Qui vero in terram bonam ſeminatus eſt, hic eſt qui audit verbum, & intelligit, & fructum affert, & facit aliud quidem centiſsimum, aliud autem ſexageſsimum, aliud vero trigeſsimum.* Vbi priùs ponitur, *qui audit*, nempè non oſcitantèr, ſed ſedulò: alioquì cor eius non appellaretur terra bona, pinguis, & fructui ferendo idonea. Adijcitur poſteà, *& intelligit*, ideſt, medita- Math. c. 13.

tur,

tur, & exercet, vt Pater Maldonatus rectè exponit: namque qui non intelligit, ſicut iam ipſe dixerat, non recondit alte in animo, non fovet, non meditatur, & quaſi terra cordis ſui tegit. Primum ergo, inquit Hieronymus, debemus audire, deinde intelligere, poſt intelligentias, fructus reddere doctrinarum.] Itaque qui in audiendo Dei verbo hunc rectum ordinem tenet, Virginis Mariæ eſt diſcipulus, & fidelis imitator, quem & Domina noſtra talem cognoſcit, quia inquit: *Beatus homo qui audit me, & vigilat ad fores meas quotidiè, & obſervat ad poſtes oſtij mei.* Quorum verborum ſenſus, qui tropicus eſt, non minimam in acquiſitione ſalutaris ſapientiæ diligentiam denotat, deſumpta, vt modò ſentio, à diſcipulo ſeu ſapientiæ auſcultatore metaphorâ, qui audit, obſervat, & quotidiè ſuper dictata à magiſtro invigilat, ea recolendo & meditando: hoc enim pacto Virginis diſcipulus verbum Dei audit, & eam ſic audientem, obſervantem, & in corde ſuo conferentem imitatur magiſtram. Proinde inquit puriſsima noſtra præceptrix, *Qui audit me, & vigilat ad fores meas quotidiè, & obſervat ad poſtes oſtij mei*: id eſt, iuxta ſcholæ meæ morem & commendabilem vſum: etenim non fruſtrà dictum eſt, ad fores meas, & ad poſtes oſtij mei, cum mos Academiarum ſit, auditâ iam lectione; diſcipulos ad limina & poſtes muſæi magiſtrum circumcingentes, cum illo diſputare, & doctrinam ab eo acceptam & obſervatam recolere: & quidem cum magno illorum profectu & fructu, quia huiuſmodi conferentiâ, doctrina intimius penetratur, & animis adhæret.

Hier. in cat. D.Th.

Prov c.8.

8 Veniamus ergo ad poſtes tantæ magiſtræ, de ſua doctrina ſalutarem percepturi fructum: Quis nolit ſapientiſsimæ Virginis eſſe diſcipulus, quæ audientem ſe beatum facit? *Beatus homo*, inquit, *qui audit me*; Quid ergo? *Meditabitur enim in lege Domini die ac nocte. Et erit tanquam lignum quod plantatum eſt ſecus decurſus aquarum, quod fructum dabit in tempore ſuo.* Quis nolit cœleſti ſibi propoſitâ vtilitate & fœlicitate, Dei verbum nocturnâ verſare manu verſare diurnâ? Veniamus, inquam, ad Beatam Virginem Mariam, quam Divus Lucas pinxiſſe fertur Puerum Ieſum geſtantem, in cuius manu liber habebatur, ſupra humerum verò Virginis dextrum

Pſalm. 1.

ſidus

Digitized by Google

ſidus elucebat. Hanc igitur picturam (antequàm ego illam expono) Creſolius, apud Claudium Clementem in Muſæo, ſic interpretatur: Apex Hierarchiæ, atque Princeps Religionis Meſsias ad honeſtiſsimam illam voluntatem præiuiſſe mihi videtur, qui cum agris, & penatibus careret, ac ne haberet quidem in quo ſuum caput reclinaret: diviniſsimus tamen Pictor Lucas, qui cœli afflatu, Chriſti in terris imaginem expreſsit, ei dedit in manibus librum; vt cum Dei filius noſtri cauſâ ſe opibus commodiſque vitæ ſpoliaverit, librum tamen pro omni ſupellectili voluiſſe habere videatur. Ita ſupremus omnium Parens in cuius magna manu, cum ſint divitiæ & gloria; tum libros in eâdem contineri, literæ ſacræ memorant; vt intelligamus rem eſſe numini charam, & auguſto cœli prætorio non indignam.] Optimè quidem: ipſa tamen Lucæ ſacra pictura proximiùs noſtro inſtituto venit exponenda, & ni, fallor, ſpontè: etenim Virgo geſtans Puerum Ieſum librum in manu habentem pingitur, vt nobis pateat à conceptione & infantiâ filij ſui illam nunquàm myſteria eius legere, & perpetuò in corde ſuo conferre deſtitiſſe. Neque enim liber in manu Pueri aliud poterat continere, niſi eius myſteria: ſanè non erat tabella, quam Abecedarij pueri ad ſcholas portare ſolent; longè ab his divinus infans, qui literas non didicit, cum ipſe Verbum & Patris ſapientia eſſet. Quin etiàm ſolertiſsimus pictor Lucas; memor ſui, in manu Pueri, quem geſtabat Mater, poſuit librum propter illam, de qua iam ſemel & iterum dixerat: *Mater autem conſervabat omnia verba hæc, conferens in corde ſuo.* Profectò, quid in illo libro in manu infantis ſignificare voluit, niſi quod iam de Matre teſtatus erat; quaſi diceret: En liber, quem Mater legit, & cuius myſteria confert in corde ſuo. Vel ſi mavultis, cum Chriſtus Dominus ſit ille agnus, qui (vt vidit Ioannes) *accepit de dextera ſedentis in throno librum*: ideò diſertè à Divo Luca cum eo pingitur in manu, quaſi nos invitans ad legendum, & meditandum eius mira & dulciſsima nobis myſteria, quorum iam legendi & meditandi difficultatem obijcere non poſſumus, poſtquam pijſsimus agnus ſolutis arcaniſsimi libri ſeptem ſignaculis, illum aperuit, & facilem intellectu reddidit: nam acceptâ noſtrâ naturâ, in mundo degens, cœleſtis vitæ

Claud. Clem. lib. 1. ſect. 5. c. 1.

Luc. 2.

Apoc. c. 5.

ſuæ

Digitized by Google

ſuæ operibus & doctrinâ declaravit, & maximè in cruce moriens pro nobis, explicuit.

9 Nec vacat, ſacrum agnellum, ſeu infantem, dum eſt in ſinu Virginis, librum in manu tenere: hinc enim profundum Incarnationis myſterium, quod in Virgine Matre Spiritus Sancti obumbratione fuit operatum, oſtenditur. Sane id eſt primum libri ſigillum, quia ſine Matre Virgine, ex qua Deus carnem aſſumpſit, intelligi non poteſt. Hic ergo ſit noſtræ opellæ finis, & Epithetorum Beatæ Mariæ Virginis, quæ ex Evangelio ad literam tenui ingenio, & humili calamo, Sanctorum tamen Patrum luce mihi præeunte, explanare auſus ſum. Vtinam meus labor & ſtudium in hoc ſacro ſtadio non fruſtra decurrerit; ſed qualequale eſt, non minimam, vt opto, Deo, & eius Matri, meiſque parentibus Divo Petro Nolaſco, & Raymundo Nonnato, qui non ſemel in hoc opere mihi ſubſidio fuêre, laudem & gloriam pariat. In quo quidem ſi aliquid boni reperiatur, Dei eſt, qui eſt dator omnis boni; & Matris eius, per quam omnia bona communicat; ſin vero aliquid, quamvis non ex animo, peccatum eſt, & erratum, mihi tribuo, & adſcribi volo, ſub cenſura tamen ſapientum virorum, & Sanctæ Romanæ Eccleſiæ, cui me totum & libellum lubentèr corrigendum, & emendandum ſubijcio.

FINIS.

SY3

Digitized by Google

SYNOPSIS POETICA EPITHETORUM Beatæ Mariæ Virginis.

DEcurri titulos, Virgo pulcherrima, dignos,
Quos Evangelicus cantat tibi Barbitos aptè,
Seu dulci ore ſonans Gabriëlis ab Æthere miſsi
Stellifero, ſacri fido ſeu pollice Lucæ,
Seu calamo Matthæi fila movente canôro
Aurea, ſeu voce ingenti ſeniôris Eliſæ,
Seu quo magnificas divino carmine ſummum
Virgo Deum Dominumque tuum, quem laudibus ornas
Grata humiliſque pijs, ſeu quo bona fœmina cantu
In laudes eſt auſa tuas extollere vocem,
In mediâ exiſtens turbâ, medioſque procâces
Hoſtès inter, & in Chriſtum livôre tumentes.
Nec tot mira Tibi pulchris ornata figuris,
Rhetoriciſve tropis, Virgo, præconia dantur,
Sed nuda involucris, ſacra apertaque litera pandit,
Vt quàm conveniant, ſeu ſint Tibi propria, conſtet.
Hinc equidèm meritò tèr Deſponſata *vocâris:*
Primùm (vt ego video) Ioſephi nomine caſti
Adiuncto, Matriſque deìn, *vxoris itemque*
Demùm Prægnantis: *nam* Deſponſata *pudôrem*
Ter docet illæſum, & gravidam divinitùs aluum.
Gratia quanta Tibi, ſuperus cum dixerit Ales
Te Plenam, *immenſi quam Numinis eſſe capacem*
Noverat? Hinc Tu fœmineis in ſexibus audis
Sola quidèm Benedicta: *Deum hæc laus denotat ingens*
Te concepturam: tantæ benedictio prolis
Eſt ſervata Tibi, doniſque illuſtribus implet.
Tu quid ad hæc audita, niſi Turbâta *decôrè,*
Candida purpureis admiſces floribus ora?
Virgo rubes humilis magna ad præconia cœli,
Ceu illis indigna fores: ſed non ſinis illa,
Virgo tamèn ſapiens, attentâ mente tenêre.
Exurgens *poſt, agnatam viſura, relinquis*

Digitized by Google

Prompta domūm, celerique ſubis montana per alta
Inceſſu, Regina hominum, Dominique Tonantis
Alma Parens, & fata Deo, ſacra pondera portas
Non gravis, Ætherius ſub quæ ſe flectit Olympus.
Ergo, vt Zachariæ intraras celer atria Virgo,
Brachia longæva roſeis exſuccoa lacertis
Stringis Eliſabeth, & complexu colla beato.
Tùm mirabilium voce effectrîce ſalûtas,
Quâ puer exiluit ſenis intra viſcera matris.
Mater & auditâ, Te Numinis eſſe Parentem
Divini clamat: Rursùſque vocàris ab illâ
Fœmineos inter Benedicta choros, velut antè
Nuncius effecit; ſupero ſpiramine ducti,
Et duo conteſtes tanti cognominis ambo.
Addidit illa tamèn ſupèr hoc: O ritè Beata,
Et verbis & pollicitis quæ credula miris!
Ardua cui rerum ſeries nihil attulit anceps!
Tu quoquè, Virgo decôra, ſeni teſtaris Eliſæ:
O Mihi chara nimis, Cantabor ab omnibus ecce
Gentibus, & cunctis populis, toto orbe Beata,
Ibit de gente in gentem per ſecula Nomen
Id fœlix fauſtumque meum ventura deincèps,
Non longa annorum ſeries, nullum obruet ævum.
Quin honor, & laus illius repetita manebit;
Quippè hoc Meme humilem Deus exaltavit honore
Omnipotens, qui magna mihi miracula fecit.
Quid non, Virgo Parens, in Te eſt venerabile? Laude
Quid dignum non eſt, omnique ex parte beatum?
En laudat Marcella tuum pia fœmina ventrem,
Deſpicienſque hoſtes, altè eſt confeſſa beatum:
Pectoris atque Tui formoſa en vbera plaudit,
Concinit aſsimili titulo, paritèrque beata.
Ecquid enim illa Deo ex Te intactâ Virgine nato,
Vberibuſque tuis alito, benè conſcia dixit?
Venter, ait, qui te portavit, iure Beatus,
Et quæ ſuxiſti vbera, ſunt quoque iure Beata:
Almus enim credo hæc afflarat Spiritus illi.
Nec ſine laude tuâ Matthæus, Virgo Beata,

Quod

Digitized by Google

Quod ſis, inquit, Habens *in ventre* Inventa *pudicos*
Nam caſu inventus veluti theſaurus habêris,
Non auro, gemmiſque potens, opibuſque coruſcis,
Quas mare Erythræum, tellus vel avara recondit,
Sed cœli gazâ, rerumque Authore refertus:
In quo divitiæ, & gemmæ, reperîtur & aurum,
Virtûtes nempè, & nunquam moritura voluptas,
Præmia ſola pijs, mundum contemnere ſuetis.
Tantum theſaurum, Te inventâ, invenimus, Alma
O Virgo, vnde & Habens *de Pneumate diceris alto*
Conceptum vnà in ventre Deumque hominemque ſacratũ:
Quæ laus, quæ Tibi contingat vel gloria maior,
Quàm fœtam eſſe Deo, & Sancto de Spiritu habêre?
Præterea Prægnans *vacuo non nomine dicta es:*
Tempus enim fœlix fœcundi ventris adumbrat,
In quo aurata pio ſublimis & aula fuiſti
Numinis hoſpitio, placidus dùm ludit vt infans,
In quo, ceu currus gemmis auroque coruſcus,
Regia conceptum portaſti Virgo Tonantem,
Tantaque maieſtas, Tibi quò lubuiſſet, adîbat,
Gaudebatque vehi non intellecta, ſilenſque.
Quanta tamen latet, inter amica ſilentia monſtrat;
Quando mater anus Dominum altâ voce fatetur,
Et puer incluſus ſaliens in ventre ſalutat.
Demùm, in corde arcana Dei myſteria confers,
Virgo, tuo, vel dicta Tibi, vel lecta Prophetis
In ſacris: ex quo Collatrix *mira vocâris*
Divinarum, quas ſervas in pectore, rerum.
Hoc cœleſte Tibi ſtudium, hæc meditatio grata,
Quâ cœlum penetras, humilis ſcrutâris & alta
Dona Tui Benefactoris, grateſque rependis
Dignas, mirâriſque Tibi tam munere largum;

Digitized by Google

Digitized by Google

INDEX LOCORUM SACRÆ SCRIPTVRÆ

PRIOR NVMERVS PAGINAM, SECVNDVS Numerum Marginalem denotat.

EX GENESI.

CAp. 1. Benedixit illis Deus, & dit: Creſcite & multiplicamini, pag. 4. num.
Cap. 2. Hoc nunc os ex oſsibus meis, p. 232. n. 5.
Adduxit ea ad Adam, ut videret, quid vocaret ea, p. 32. n. 11.
Cap. 3. In dolore paries filios, p. 171. num. 13.
Cap. 4. Reſpexit Dominus ad Abel, & ad munera eius, p. 14. n. 5.
Cap. 12. Egredere de terra tua, pag. 125. n. 2.
Faciamque te in gentem magnam, p. 124. n. 3. & p. 128. n. 6.
Cap. 13. Leva occulos tuos, & vide, p. 125. n. 2.
Cap. 23. Princeps Dei es apud nos, p. 126. n. 4.
Cap. 30. Abſtulit Deus opprobrium meum, p. 47. n. 6.
Cap. 33. Super benedictionem quam attulit tibi, p. 47. n. 1.
Cap. 40. Filius accreſcens Ioſeph, filius accreſcens, p. 224. n. 7.
Omnipotens benedicet tibi benedictionibus uberum, & vulvæ, p. 42. num. 2.

EX NUMERIS.

CAp. 21. Anima noſtra nauſeat ſuper cibo iſto leviſsimo, pag. 82. num. 2.

EX LIBRO IUDICUM.

CAp. 2. Dimittentes eum, & ſervientes Baal, & Aſtharoth, p. 31. n. 10.
Cap. 5. Benedicta inter mulieres Iahel, p. 52. n. 5.
Cap. 11. Hæres in domo patris noſtri eſſe non poteris, quia de adulterio natus eſt, p. 6. n. 1.
Cap. 13. Benedicta filia tu à Domino Deo excelſo, p. 52. n. 5.
Cap. 6. Incipite Domino in tympanis, cantate Domino in cymbalis, p. 253. n. 7.

Digitized by Google

EX LIBRO REGUM PRIMO.

CAp. 9. *Et cuius erunt optima queque Iſrael*, p.121.n.2.

Cap.25. *Benedicta tu quæ prohibuiſti me hodie, ne irem ad ſanguinem*, &c.p.52.n.5.

2.Cap.12.*Peccavi*, p.6.n.1.

Cap. 7. *Fidelis erit domus tua, & regnum tuum vſque in æternum, & thronus tuus erit firmus iugiter*, p.128.n.6.

Cap.13. *Percutite & interficite nolite timere, ego ſum qui præcipio vobis: roboramini, & ſtote viri fortes*, p.124.n.1.

Cap.6. *Cumque intraſſet arca Domini in Civitatem David, Michol filia Saul*, p.56.n.7.

Cap.7.*Deus Abraham*,&c.pag.42. num.2.

EX LIBRO TOBIÆ.

CAp. 10. *Flebat irremediabilibus lachrimis, & dicebat, heu me, fili mi*, p.260.n.6.

Cap. 12. *Sacramentum regis abſcondere bonum eſt*, p.9.n.4.& p.92. n.5.& p.208.n.9.

EX LIBRO IOB.

CAp.5. *Homo naſcitur ad laborem, avis ad volandum*, p.97. num.3.

Cap.10. *Vbi nullus ordo ſed ſempiternus horror inhabitat*, pag.204. num.6.

4. *Mortuus eſt plenus dierum*, pag. 20.num.2.

EX LIBRO PSALMORUM.

1. *ERit tanquam lignum quod plantatum eſt, ſecus decurſus aquarum, quod fructum dabit in tempore ſuo*, p.270.n.8.

8. *Ex ore infantium, & lactentium perfeciſti laudem*, p.161.n.3.

11. *Argentum igne examinatum, purgatum ſeptuplum*, p.230.n.4.

17. *Inclinavit cœlos, & deſcendit*, p.95.n.2.

37. *Quoniam iniquitates meæ ſupergreſſæ ſunt caput meum*, pag. 81. num.2.

44. *Aſtitit regina à dextris tuis*, pag. 122.n.2.

44. *Omnis gloria filiæ regis ab intus*, p.37.n.5.

48. *Vocaverunt nomina ſua in terris ſuis*, p.29.n.8.p.137.n.6.

50. *Ecce in iniquitatibus conceptus ſum*, p.81.n.2.

73. *Superbia eorum qui te oderunt, aſcendit ſemper*, p.95.n.2.& p. 157.n.8.

76. *Vox tonitrui domini in rota*, pag. 249.n.3.

78. *In generationem, & generationem annunciabimus laudem tuam*, p.131.n.2.

80. *Non audivit populus vocem meam*, p.128.n.5.

81. *Et filij excelſi omnes*, p. 16. n. 2.
93. *Beatus quem tu erudieris Domine; & de lege tua Docueris eum*, p. 130. n. 1.
112. *Deus humilia reſpicit in cœlo, & in terra*, p. 49. n. 8.
115. *Omnis homo mendax*, p. 15. n. 1.
118. *Beati immaculati in via: qui ambulant in lege Domini*, p. 178. num. 8.
118. *Hæc me conſolata eſt in humilitate mea*, p. 140. n. 1.
122. *Sicut oculi ancillæ in manibus Dominæ ſuæ*, p. 267. n. 4.
130. *Domine non eſt exaltatum cor meum*, p. 147. n. 7.
134. *Domine memoriale tuum in generationem, & generationem*, p. 133. n. 2.
143. *Beatum dixerunt populum cui hæc ſunt*, p. 123. n. 1.
145. *Nolite confidere in principibus, nec in filijs hominum, in quibus non eſt ſalus*, p. 124. n. 1.

EX PROVERBIJS.

CAp. 4. *Palpebræ tuæ præcedant greſſus tuos*, p. 14. n. 4.
Cap. 6. *Zelus, & furor viri non parcet in die vindictæ, nec requieſcet cuiuſquam precibus, nec recipiet pro redemptione dona plurima*, p. 205. n. 6.
Cap. 8. *Mecum ſunt divitiæ, & gloria, opes ſuperbæ, & iuſtitia*, p. 128. n. 6.
Cap. 8. *Beatus homo qui audit me, & vigilat ad fores meas quotidiè*, p. 270. n. 7.
Cap. 10. *Filius ſapiens lætificat Patrem*, p. 177. n. 7.
Cap. 17. *Gloria filiorum patres eorum*, p. 108. n. 2.
Cap. 18. *Qui prius reſpondet, quam audiat, ſtultum ſe eſſe demonſtrat*, p. 55. n. 2.
Cap. 22. *Meliùs eſt nomen bonum quàm divitiæ multæ*, p. 6. n. 1.
Cap. 22. *Vidiſti virum velocem in opere ſuo, coram regibus ſtabit, nec erit inter ignobiles*, p. 93. n. 1.
Cap. 31. *Fallax gratia, & vana eſt pulchritudo, mulier timens Dominum ipſa laudabitur*, p. 31. n. 2.
Cap. 31. *Velut navis inſtitoris de longe portans panem ſuum*, p. 81. n. 2.

EX DIVO LUCA.

CAp. 1. *Ad Virginem deſponſatam Ioſeph*, p. 1. n. 1.
Gratia plena, Dominus tecum, p. 112. n. 1.
Benedicta tu in mulieribus, p. 38. num. 1.
Turbata eſt in ſermone eius, p. 54. num. 1.
Ne timeas Maria invenisti enim gratiam apud Deum, p. 32. n. 11. & p. 101. n. 6.
Ecce concipies in utero, & paries filium, p. 3. n. 3. & p. 18. n. 11. & p. 32. n. 11. & p. 45. n. 4. & p. 85. n. 1. & p. 101. n. 6.

Quo-

Quomodò fiet iſtud, quoniam virum non cognoſco? p.4.n.4. & p. 13.n.2.
Ecce ancilla Domini, p.114.num. 1.& 2.
Fiat mihi ſecundum verbum tuum, p.3.n.3.
Et ecce cognata tua, & ipſa concepit, p.87.n.2.& p.88.n.3.& p.131.n.2.
Exurgens Maria, p.79.n.1.
Et intravit in domum Zachariæ, & ſalutavit Eliſabeth, p.83.n.3.
Benedicta tu inter mulieres, pag. 104.n.1.
Vnde hoc vt veniat Mater, p.101. n.5.& 6.& p.115.n.1.
Beata quæ credidiſti, p.86.n.1.& p.114.n.1.
Magnificat anima mea Dominum, p.135.n.4.
Ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes, p.45.n. 4.& p.116.n.3.& p.128.n.1.
Depoſuit potentes de ſede, & exaltavit humiles, p.140.n.1.
In diebus in quibus reſpexit Dominus auferre oprobrium meum inter homines, p.47.n.6.
Nequaquam ſed vocabitur Ioannes, p.29.n.8.
Nemo eſt qui vocetur hoc nomine in cognatione tua, ibid.
Cap.2. Natus eſt vobis hodie ſalvator, p.116.n.2.
Facta eſt cum angelo multitudo militiæ cœleſtis, p.70.n.3.
Aſcendit Ioſeph vt profiteretur cum Maria deſponſata ſibi vxore, p.187.n.5.
Fili quid feciſti nobis ſic, ecce pater tuus & ego, &c.p.258.n.4.
Quid eſt quod me quærebatis? &c. ibid.& n.7.
Et ipſi non intellexerunt verbum, p.261.n.7.
Cap.3. Et videbit omnis caro ſalutare Dei, p.252.n.6.
Cap.5. Exi à me domine, quia homo peccator ſum, p.190.n.9.
Cap.10. Intravit Ieſus in quoddam caſtellum, &c.p.254.n.8.
Martha Martha ſolicita es, ibid.
Optimam partem elegit, ibid.
Maria ſedebat ſecus pedes Domini, ibid.
Magiſter quid faciendo vitam eternam poſsidebo, p.180.n.10.
Cap.11. Væ vobis legis peritis qui tuliſtis clavem ſcientiæ, pag. 181. num.10.
Vniverſa arma eius abſtulit, &c. p.223.n.7.
Beatus venter qui te portavit, p. 26.n.3.& p.110.n.5.
Quinimo beati qui audiunt verbum Dei, & cuſtodiunt illud, ibid.
Cap.12. Nolite timere puſillus grex, p.57.n.5.
Cap.14. Amice aſcende ſuperius, p. 80.n.1.
Qui ſe humiliat, exaltabitur, ibid.
Cap.15. Congratulamini mihi, quia inveni drachmam, quam perdideram, p.101.n.6.
Cap.16. Mendicare, erubeſco, p.99. n.5.

Digitized by Google

Cap.19. *Hodie huic domui ſalus facta eſt eo quod,&c.p.254.n.9.*
Cap.22. *Apparuit illi Angelus de cœlo confortans eum, p.206.n.8.*

EX DIVO IOANNE.

Cap.1. *Qui illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, p.225.n.0.*
Plenum gratiæ, & veritatis,pag. 20.num.2.
De plenitudine eius nos omnes accepimus, p.108.n.3.
Invenimus Meſsiam, p.218. n.2.
Quem ſcripſit Moyſes in lege, & Prophetæ,invenimus Ieſum filium Ioſeph,ibid.
Cap.2. *Quid mihi, & tibi eſt mulier? p.90.n.4.*
Cap. 4. *Multi crediderunt in eum propter verbum mulieris, p. 130. num.1.*
Quia non propter loquelam credimus, ipſi enim audivimus, &c. ibidem.
Cap. 6. *Ego ſum panis vivus, qui, &c.p.225.n.8.*
Cap.8. *Ego ſum lux mundi, p.225. num.9.*
Semen Abrahæ ſumus, & nemini ſervivimus vnquam, pag.161. num.3.
Tu de te ipſo teſtimonium perhibes, &c.p.15.n.1.
Ego ſum qui teſtimonium perhibeo,&c.ibid.
Cap.10. *Tu doces nos? p.268.n.5.*
Cap.11. *Infremuit ſpiritu, & turbavit ſe ipſum, p.56.n.4.*
Expedit vobis vt vnus moriatur homo,&c.p.170.n.1.
Cap.12. *Et ego ſi exaltatus fuero à terra, omnia traham ad me ipſum, p.82.n.2.*
Cap.16. *Ille me clarificabit, quia de meo accipiet. p.231.n.5.*
Cap. 20. *Tulerunt Dominum meum, & neſcio vbi poſuerunt eum,pag. 260.n.6.*

EX ACTIS APOSTOLORUM

Cap.4. *Si iuſtum eſt in conſpectu Dei vos potius audire quam Deum,iudicate, p.105.n.1.*
Cap. 20. *Qualiter vobiſcum fuerim ſerviens Domino cum omni humilitate, & lachrimis, pag. 140. num.1.*

EX EPISTOLA DIVI PAULI ad Romanos.

Cap. 8. *Quis ſeparabit nos à Charitate Chriſti? an anguſtia,&c.p.240.n.4.*
Cap.9. *Super omnia Deus benedictus in ſæcula, p.111.n.2.*
Cap.12. *Non ſitis alta ſapientes,pag. 74.n.2.*
Gaudere cum gaudentibus,p.101. num.6.

Digitized by Google

EX EPISTOLA PRIMA AD Chorintios.

Cap. 2. Vt ſciamus quæ à Deo donata ſunt nobis, p. 147. n. 6.
Cap. 7. Tribulationem tamen carnis habebunt huiuſmodi, p. 18. n. 3.
Cogitant quæ Domini ſunt, vt ſint ſanctæ corpore, & ſpiritu, p. 4. n. 4.
Cap. 8. Scientia inflat, charitas ædificat, p. 179. n. 9.
Cap. 12. Idem vero Deus qui operatur omnia in omnibus, p. 132. n. 2.
Quæ putamus ignobiliora membra eſſe corporis, his honorem, &c. p. 165. n. 9.
Cap. 13. Si habuero omnem fidem ita vt montes transferam, &c. p. 118. num. 5.
Inflatus ſenſu carnis ſuæ, non tenens caput, p. 157. n. 8.
Charitas patiens eſt, benigna eſt, &c. p. 89. n. 3.
Cap. 15. Ego ſum minimus Apoſtolorum, p. 147. n. 7.
Primus homo de terra terrenus, ſecundus homo de cælo cæleſtis, p. 233. num. 6.

EX EPISTOLA SECUNDA AD Chorintios.

Cap. 10. Qui gloriatur in Domino glorietur, p. 14. n. 7.

EX EPISTOLA AD Galatas.

Cap. 5. In Chriſto Ieſu neque circunciſio aliquid valet, neque præputium, ſed fides quæ per Charitatem operatur, p. 118. n. 5.

EX EPISTOLA AD Epheſios.

Cap. 4. Vt digne ambuletis vocatione, qua vocati eſtis cum omni humilitate, & manſuetudine, p. 140. n. 1.
Captivam duxit captivitatem, dedit dona hominibus, p. 223. n. 7.
Cap. 5. Exurge qui dormis, & exurge à morovis, & illuminabit te Chriſtus, p. 94. n. 1.

EX EPISTOLA AD Philippenſes.

Cap. 2. Habitu inventus vt homo, p. 218. n. 1.
Gaudeo & congratulor omnibus vobis, p. 101. n. 6.
Cap. 3. Chriſtus reformabit corpus humilitatis noſtræ configuratum corpori claritatis ſuæ, p. 140. n. 1.

EX EPISTOLA AD Coloſſenſes.

Cap. 2. Nemo vos ſeducat volens in humilitate, & religione Ange-

Digitized by Google

*Angelorum, pag.*146. *num.*6.
*Inflatus ſenſu carnis ſuæ, & non tenens caput, p.*157.*n.*8.

EX EPISTOLA AD Thimotheum prima.

CAp. 4. *Pietas ad omnia vtilis eſt, promiſsiones habens vitæ, quæ nunc eſt, & futuræ, p.* 98. *num.*4.

EX EPISTOLA AD Hebræos.

CAp. 1. *Deus olim patribus locutus eſt in prophetis: nouiſsime vero locutus eſt nobis in filio, pag.* 150.*n.* 1.
Cap. 6. *Iterum crucifigentes filium Dei, & publicæ ignominiæ exponentes, p.*188.*n.*6.
Cap. 9. *Per proprium ſanguinem introiuvit ſemel in ſancta, æterna redemptione inventa, p.*218.*n.*1.
Quæ non poſſunt iuxta conſcientiam perfectum facere ſervientem, ibid.

EX EPISTOLA IACOBI.

CAp. 1. *Conſideravit vultum nativitatis ſuæ in ſpeculo, &c. p.*256.*n.*2.
Cap. 2. *Sicut enim corpus ſine ſpiritu mortuum eſt, ita fides, &c. p.*117.*n.*5.
Cap. 4. *Deus ſuperbis reſiſtit, humilibus autem dat gratiam, pag.*14. *num.*1.

EX EPISTOLA 1. IOANNIS.

CAp. 3. *Videte qualem Charitatem dedit nobis Pater, vt filij Dei, &c. p.*138.*n.*6.

EX EPISTOLA D. IUDÆ.

QVæcumque ignorant blaſphemant, p.*167.*n.*3.

EX APOCALIPSI.

CAp. 5. *Accepit de dextera ſedentis librum, p.*271.*n.*8.
Cap. 10. *Clamavit voce magna quemadmodum leo rugit, p.*65.*n.*4.
Cap. 31. *Surrexerunt filij eius, & beatiſsimam prædicaverunt, pag.* 120.*n.*1.
Cap. 31. *Mulierem fortem quis inveniet, procul & de vltimis finibus pretium eius, p.*219.*n.*3.

EX CANTICIS.

CAp. 1. *Trahe me poſt te, curremus in odorem vnguentorum tuorum, p.*82.*n.*2.
Indica mihi vbi paſcas, vbi cubes in meridie, ne vagari incipiam, p. 83.*n.*3.
Cap. 2. *Sicut lilium inter ſpinas, pag.* 18.*n.*3.
Cap. 3. *Columnas eius fecit argenteas,*

teas, reclinatorium aureum, aſcenſum purpureum, media Charitate conſtravit, p.148.n.2.
Num quem diligit anima mea vidiſtis? p.260.n.6.
Cap.4. Oculi tui columbrarum, abſque eo quod intrinſecus latet, pag. 208.n.9.
Sicut vitta coccinea labia tua, pag. 210.n.12.
Favus diſtillans labia tua, mel & lac ſub lingua tua, p.230.n.4.
Cap.6. Sexaginta ſunt reginæ, & octoginta concubinæ, p.4.n.4.
Quæ eſt iſta quæ progreditur quaſi aurora conſurgens, p.84.n.3.
Quæ eſt iſta quæ aſcendit quaſi aurora, p.96.n.2.
Viderunt eam filiæ, & beatiſſimam prædicaverunt reginæ, & concubinæ, & laudaverunt eam, p.121.n.2.
Cap.7. Statura tua aſſimilata eſt palmæ, p.80.n.1.
Quam pulchri ſunt greſſus tui, ibid.
Venter tuus ſicut acervus tritici vallatus lilijs, p.2 6.n. .
Cap.8. Dura ſicut infernus æmulatio, p.204.n.6.

EX LIBRO SAPIENTIÆ.

CAp. 16. Omne delectamentum, & ſaporis ſuavitatem in ſe habentem, p.225.n.9.

EX ECLESIASTICO.

CAp.3. Quantò magnus es humilia te in omnibus, p.145.n.5.
Cap.4. Humilia te in omnibus, & coram Deo inveniens gratiam, pag. 145.n.5.
Cap.8. Antequam loquaris diſce, pag. 55.n.2.
Cap. 11. Bona enim in mala convertens inſidiatur, & in electis imponit maculam, p.5.n.4.
Cap.24. Ego ex ore Altiſſimi prodivi, p.251.n.5.
Ego mater pulchræ dilectionis, & timoris, & agnitionis, & ſanctæ ſpei; p.58.n.1.
Cap.28. Antequam loquaris diſce, p. 55.n 2.
Cap.31. Beatus vir qui inventus eſt ſine macula, & qui poſt aurum non abijt, p.178.n.8.
Cap.32. Sine conſilio nihil facias; & poſt factum non pænitebit, p.14. num.4.
Cap. 42. Gloria Domini plenum eſt opus eius, p.20.n.2.
Cap.43. Luminare quod minuitur in conſummatione, p.94.n.2.

EX ISAIA.

CAp.6. Væ mihi quia tacui, quia vir pollutis labijs ego ſum: & in medio populi polluta labia habentis, ego habito, p.161.n.3.
Cap. 7. Ecce virgo in vtero habebit, & pariet filium, p.2.n. .
Cap.8. Voca nomen eius accelera, ſpolia detrahe, p.223.n.7.
Cap.11. Exiet virga de radice Ieſſe, & flos de radice eius aſcendet, p. 227.

Digitized by Google

227. num.2. & p.236.num.11.
Cap.14.In cœlum conſcendam, ſuper aſtra Dei exaltabo ſolium, p.158. num.8.
Cap.29. Appropinquat populus iſte ore ſuo, & labijs ſuis glorificat me, cor autem eorum longe eſt à me, p.223.n.6.
Cap. 53. Vere languores noſtros ipſe tulit, p.233.n.7.
Cap. 57. Creavi fructum labiorum pacem, p.230.n.4.
Quia hæc dicit dominus in ſancto habitans, p.140.n.1.
Cap.58.Si poſuerit pro peccato animam ſuam, videbit ſemen longævum, p.260.n.6.
Cap.62.Habitavit iuvenis cum virgine, & gaudebit ſponſus ſuper ſponſam, p.12.n.1.
Cap.65. Eritque antequam clament, ego exaudiam, p.100.n.5.

EX EZECHIELE.

CAp.28. Signaculum ſimilitudinis, & perfectus decore, pag. 95.num.2.
Cap. 44. Porta hæc clauſa erit, & non aperietur: & vir non intrabit per eam, quoniam Dominus Deus Iſrael ingreſſus eſt per eam, p.229. num.4.

EX DANIELE.

CAp.5. Appenſus eſt in ſtatera, & inventus eſt minus habens, pag. 158.n.9.
Cap.10. Veſtitus lineis, & renes eius accincti auro obrizo, p.65.n.4.

EX OSEA.

CAp. 7. Ephraim quaſi columba ſeducta, non habens cor, p.268. num.5.

EX MICHÆA.

CAp.5.Et tu Bethlehem terra Iuda nequaquam minima eſt: ex te enim exiet dux qui regat populum meum Iſrael, p.253.n.7.

EX ZACHARIA.

CAp.9. Frumentum electorum, & vinum germinans virgines, p.225.n.8.

EX MALACHIA.

CAp.1.Ego Deus, & non mutor, p.124.n.1.
Cap.4. Sanitas in pennis eius, p.97. num.3.

EX LIBRO SECUNDO Machabæorum.

CAp.3. Fili mi miſerere mei, quæ te in vtero novem menſibus portavi, & lac triennio dedi, & alui, p.163.n.5.

EX

EX DIVO MATTHÆO.

CAp.1. Hoc autem totum factum eſt, vt adimpleretur, quod dictum eſt à Domino, p.2.n.2.
Cap.2. Accipe puerum, & Matrem eius, & fuge in Ægyptum, pag. 239.n.2.
Cap.3. Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi benè complacui, pag. 8.num.2.
Sine modo, ſic decet nos implere omnem iuſtitiam, p.96.n.2.
Cap.5. Beati pacifici quoniam filij Dei vocabuntur, p.137.n.6.
Non veni ſolvere legem, ſed adimplere, p.5.n.1.
Cap.8. Domine non ſum dignus vt intres ſub teſtum meum, p.190.n.9.
Cap.9. Miſericordiam volo, non ſacrificium, p.173.n.2.
Cap.10. Non eſtis vos qui loquimini, ſed ſpiritus Patris veſtri, qui loquitur in vobis, ibid.
Eſtote prudentes ſicut ſerpentes, & ſimplices ſicut columbæ, pag. 268.n.5.
Cap.11. Diſcite à me, quia mitis ſum & humilis corde, p.146.n.6.
Cap.12. Ecce Mater tua, & fratres tui foris ſtant, quærentes te, pag. 174.n.4.
Quicumque enim fecerit voluntatem Patris mei, &c. ibid.
Ex abundantia cordis os loquitur, p.252.n,6.
Cap.13. Qui vero in terram bonam ſeminatus eſt, p.269.n.7.
Cap.16. Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, p.180.n.9.
Cap.17. Ceciderunt in faciem ſuam & timuerunt valdè, p.79.n.2.
Cap.21. Ecce Rex tuus venit manſuetus, p.233.n.7.
Hoſanna filio David, p.168.n.9.
Cap.24. Cælum & terra tranſebunt, verba autem mea non preteribunt, p.123.n.1.
Cap.25. Venite benedicti Patris mei, p.38.n.1. & p.122.n.3.
Cap.26. Pater, ſi poſſibile eſt, tranſeat à me calix iſte, p.206.n.8.

EX DIVO MARCO.

CAp.1. Scio quod ſis ſanctus Dei, p.16.n.4.
Cap.4. Cum ſeminatum fuerit aſcendit in arborem, & fit maius omnibus oleribus, & facit ramos magnos, p.39.n.3.

INDEX RERUM ET VERBORVM,

QVÆ IN HOC OPERE CONTINENTUR; P. Paginam, N. Numerum Marginalem deſignat.

Lit. A.

ACADEMIARUM Mos cum alluſione ad locumProverb. pag.270.num.7.

Adamas viſus, qui adamantem pariebat, p.220. n.3. In eo adumbratur Virgo Mariæ, ibidem. Et fuiſſe fortiſsimus adamas in igne rubi, & in filij ſui paſsione, oſtenditur, ibid.

Adverbium *Ecce*; cum Virgo ſedicit Beatam, propter tria ponitur; quæ illud Epitheton magis commendabile nobis faciunt, quàm idem quod Eliſabeth Virgini dedit, p.130.n.1.& 2.

Ægyptij Deorum & heroûm ſtatuis navigia ſubiecerunt, p.255.n.9.

Affectionum ſeu paſsionum rectum vſum pulchrè exponit Auguſtinus, p.68.n.7.

Agar, cur Angelo cum ea loquente, non turbata fuerit, p.65.n.5.

Amamus quem laudamus, p. 138. num.7.

Amor Virginis erga filium ſuum, quantus fuerit, exemplis Sacræ Script. ponderatur, p.260.n.6.

Anagramma numericum in Michaelis Archangeli laudem, pag. 158.n.8.

Angeroniæ ſimulachrum in ara Volupiæ, quid denotet, p.210.n.11.

Angelus cur Virginis nomen tacuit? p.29. n.8. Triplex reſponſio, ibid.& n.9.& 10.

Angelus cur Virginem Benedictam in mulieribus appellarit? p.39.n. 2. Reſponſio Patris Maldonat. & Simon. de Caſia, ibid. Alitèr reſpondetur, ibid.

Angelus Epitheta multiplicavit, vt aliquid novæ laudis, & honoris Virgini adderet, p.42.n.1.

Angelus quomodo Benedictam, ſi hoc Epitheton fœcunditatem, & prolem denotet, Virginem, quæ nondum conceperat, dicere potuit?

Digitized by Google

tuit? p. 43. n.3. Aliqui reſpondent, non de præſenti nuncupaſſe, ibid. Impugnatur hæc reſponſio, & vera aſsignatur, ibid.

Angelus quomodo timorem Virginis cognoverit? p.58. n.2. Pat. Maldonat. opinio, & aliorum non probatur, ibid. In rubore caſto, & virginali verecundia timorem Angelus cognovit, n.3.

Angeli aſpectus in forma humana non magis terret homines, quàm colloquium, ſi nihil inſolitum illis accedat, p. 64. n.4. Id exemplis Sacræ Scripturæ oſtenditur, ibid.

Angelus in forma corporali apparuit Virgini: quod ex Sermone, & ingreſſu probatur, pag.69.n.1. Corporalis Angeli forma congruentijs etiam oſtenditur, nu.2. Conformiùs Evangelio ſtans in pavimento virginei cubiculi, quàm in aere elevatus pingitur, ibidem.

Angelus exemplo Eliſabeth ſterilis prægnantis non vſus eſt, quia Virgo dubitaret, ſed vt efficaciter fidem adſtrueret, p.86.n.2.

Angelus Virgini inſinuavit Dei voluntatem eſſe, vt Eliſabetham viſitaret, iuxta Cardinalem Toletum, pag.88.n.3. Eius ſententia impugnatur, ibid.

Angelus Virginem vocavit Benedictam, nomine Eccleſiæ triumphantis: Eliſabeth vero nomine Eccleſiæ militantis, p.106.n.3.

Angelus timori Ioſephi medetur, cum eo quod erat cauſa timoris, p.206.n.7.

Angelus Chriſtum in agonia calicis oſtenſione recreat, ibid.n.8.

Ariſtippi dictum contra quendam, qui ei exprobrabat, quòd in tempeſtate timuiſſet, p.68.n.7.

Antitheta Virginis Mariæ & Evæ, p.51.n.4.

Antitheta Virginis cum Angelo loquentis & Evæ cum colubro, p.56.n.6.

Antitheſis, ſi aliqua eſt, in his verbis, Magnificat anima mea Dominum, quia reſpexit humilitatem ancillæ ſuæ, de virtute humilitatis melius intelligitur, p.149. n.9. Id ipſius Virginis verbis oſtenditur, ibid.

Antitheſis non eſt illa reſponſio Chriſti ad mulierem: Quinimo, &c.p.176.n.7.

Auguſtinus ſilentium, & quietem deſiderabit in diſcipulis, p. 265. n.1. Illorum impudentem licentiam Carthagine & Romæ, ægrè tulit, ibid.

Author ſe & ſuum librum correctioni Sanctæ Matris Eccleſiæ ſubijcit, p.272.n.9.

Lit. B.

BALAAM Aſinam loquentem malè imperturbatus audivit, pag.67.num.7.

Beatitudo ventris, quæ Virgini attribuitur, qualis ſit ſecundum

Digitized by Google

Albertum Magnum,p.169.n.10. Diſcrimen inter Marcellam, & Caypham non intelligentem verba quæ Spiritus Sancti nutu locutus eſt,ibid.

Beatitudo vera non à corporis, non à naturalibus,& acquiſitis animæ bonis nobis venit, p.179. n.9. & 10. Loca Sacræ Scriptur. pro hac re,ibid. Beatitudo verà à fide ſimul cum adimpletione verbi Dei, contra hæreticos, nobis venit, n. 11. Chriſti ſententia, Quinimo, &c. Correptionem elogij a Marcella eliciti,non continet, vt mentiuntur hæretici, ibidem.

Beatorum vita Dei contemplatio eſt,p.255.n.1.

Benefactori non rogato duplex gratia debetur, p.100. n.5. Beneficentia Virginis in profectione, & viſitatione laudatur, ibid. Fuit magna, quia Virgo non expectata, nec vocata venit ad Eliſabeth, & Ioanni ſuccurrit, ibid. Beneficij eximium genus egenti, antequam roget,ſuccurrere,ibid. Beneficium, quod precibus extorquetur, multùm minuitur, ibid. Beneficium qui precibus adeptus eſt, vnam grantiam ſibi debet, alteram donanti, ibid. Eliſabeth totam gratiam Virgini debuit,ibid.

Bernardi de dubitatione Thomæ,& ſuſpicione Ioſephi pulchra comparatio ad maiorem reſurrectionis Ieſu Chriſti, & Virginitatis Mariæ fidem,p.14.n.1.

Beza, & alij hæretici, Gratia plena, vt detrahant Virgini; gratioſam vertunt,p.37.n.5.

Lit. C.

CALCEAMENTUM Myſterij Incarnationis ſymbolum eſt, pag.80.num.1.

Calvinus ſimilis ſcorpio,p.85.n.1.

Cartagenæ expoſitio ſuper hæc verba, Quinimo, refellitur, p.176. n.6.& 7.

Carvilio claudicanti matris eius dictum prudens explicatur, pag. 106.n.2.

Cauſæ, quibus Chriſtus de Virgine Deſponſata naſci voluit in tres claſſes à D. Thoma dividuntur, p.5.n.1.

Cauſæ primæ claſsis ex parte Chriſti,ne ex adulterio conceptus putaretur, ibid. Vt Chriſti genus, more Sacræ Scriptur. per virum texeretur, p.7. n.2. Vt Ioſeph curator & tutor illius eſſet, ibid. Vt partus Virginis celaretur Diabolo,ibid. Hæc cauſa à multis impugnatur, p.8.num.2. Sed fusè defenditur, n.3.& 4. Abulenſis argumenta ſoluuntur, pag 10.n.5.

Cauſæ ſecundæ claſsis ex parte Virginis deſponſatæ, vt illi Ioſeph foret in omnibus ſolatio, p. 11. n.1. Vt Virgini famæ & pudori con-

Digitized by Google

conſuleretur, p.12. Ne à Iudæis vt adultera lapidaretur, pag.13. num.4.

Cauſæ tertiæ claſsis, vt Ioſeph nobis fidelis, & irrefragabilis Virginitatis ſuæ ſponſæ teſtis eſſet, p.14.n.1. Vt nobis Eccleſiæ Catholicæ typus daretur, p.16.n.2. Vt Virginitas & matrimonium coniuncta in Maria honorentur, p.17.n.3.

Cauſæ quibus Ioſeph quaſi coactus voluit dimittere Virginem ex Abulenſi traduntur, p.14.n.4.

Cauſæ, quæ Virginem moverunt ad profectionem in domum Eliſabeth, ex Ambroſio & alijs, p. 86.n.2.

Cauſæ, quibus Virgo ſe fore Beatam prædicandam aſſeruit, ex mente Patrum aſsignantur, pag. 133.n.1.2.& 3.

Charitas Virginis in profectione,& Eliſabethæ viſitatione Pauli verbis deſcribitur,p.89.n.3.

Charitas Virginis in profectione, & viſitatione laudatur quia celer,& aligera, & in vtero pennatam ſanitatem vehebat, p.96.n.3. Virgo avis nata eſt ad volandum in noſtrum remedium, locus Iob explicatus,ibid.

Chriſologi verba de Virgine deſponſata, & Ioſepho explicantur, & ex eis Virgo ſine originali labe concepta arguitur,p.13.n.3.

Chriſtus turbari voluit, vt verum hominem ſe monſtraret, p.56.n. 5. Secundum Auguſtinum, triſtari & mortis metu affici voluit, ne huiuſmodi affectus in nobis peccata putaremus,ibid.

Chriſtus in navicula ſeu Virginis vtero, velut nauclerus fuit; pag. 81.n.2. Chriſtus vt panis cœleſtis naturam habet elevativam, ibid. Cibus leviſsimus ab Iſraelitis probroſè dictus eſt: laus vero magna eſt, ibid. Chriſtus in Virginis vtero magneti comparatur,ibid.

Chriſtus tacitè laudavit Matrem ſuam eodem quo Marcella encomio, meliori tamen expreſſo, p. 173.n.3. Propinquitas ſpiritualis prætulit carnali, ibid. & n. 4. Maluit Matrem ſuam à cognatione ſpirituali cùm eo, quàm à carnali laudari,ibid.

Chriſti ſententia, *Quinimo beati qui audiunt*, &c. Matrem ſuam eſſe alijs beatiorem monſtrat, p. 175.n.5.

Chriſtus in vtero Virginis ſub roſa fuit,p.210.n.12.

Chriſtus in dextra virginei vteri parte conceptus eſt, p.227. n.1. Chriſti conceptio in Virginis vtero inſtantanea,n.2. Chriſti conceptio & formatio quantum excellat Adæ,& Evæ formationem, n.6. Chriſtus ſolùm ſuæ Matri ſimilis,ibid.n.7.

Chriſtus in vtero Virginis ſicut lux in chriſtallo, p.248. n.1. Chriſtus recèns natus in miræ humili-

tatis exemplum, Cæſaris ſervus voluit ſcribi, n.4. Et ob alias cauſas, ibid. Chriſtus in Virginis vtero decem menſes fuit, iuxta aliquos, ibid. n.7. Verior opinio eſt, quod novem fuerit, ibid. Chriſtus valde gratus, & munificus hoſpitantibus ſe, ibid. n.9.

Cicero non audet dicere, quod ſi Africanus de ſe teſtimonium diceret, non crederetur: nec ego de Virgine, p.15.n.1.

Comparatio multoties fit inter ea quæ ſunt diverſi generis, pag.39. num.2.

Congratulatio Virginis, & Eliſabeth mutua de acceptis à Deo beneficijs laudatur, p.101.n.6.

Copula, *Et* varias acceptiones habet in Sacr.Scriptura, pag. 108. num.3.

Corpus Virginis prægnantis ferculo Salomonis comparatur, pag. 248.n.2. Vterus eius fuit reclinatorium, ibid. Aſcenſus purpureus Spirit.Sanct.ibid.

Curſus naturæ, quos Virgo in Chriſto filio ſuo ſuſcepit, vt omnibus fœminis ſubueniret, p.51.n.4.

Lit. D.

DÆMON Numquam dixit de Chriſto, Scio te eſſe filium illius Virginis, quam prædixit Iſaias, p.10.n.4.

Delatores criminum, quam circumſpectè debeant procedere, exemplo Ioſephi admonentur, p. 13.n.4.

Deſponſatio nihil detrimenti puritati Virginis attulit, p.4.n.4.

Deus Iſaiæ Virginem fore deſponſatam non revelavit, p.9.n.4.

Deus preces Davidis pro filio ex adulterio nato, in execrationem adulterij audire noluit, pag.6. num.1.

Deus maiore dilectione quam omnes Sanctos Virginem Mariam proſecutus eſt, p.35.n.3.

Deus cum Virgine feſtina feſtinat ad noſtrum remedium, pag.97. num.3.

Deus quemlibet arte trahit, qua novit eſſe trahendum, pag.128. num.6.

Deus Sanctos beatiores reddit volens eorum virtutes cognoſci, & ab omnibus prædicari, p.137. n.6. Illuſtratur Sacr.Scriptur.locis, ibid.

Deus non reſpicit ſeu approbat vilem conditionem, & perſonæ indignitatem, vt talem, ſicut non amat abiectionem, & tormenta; quæ Martyr patitur, ſed humilitatis virtutem, pag. 148. num.8.

Deus Virgini celandum myſterium commiſit, quod Diabolo celari voluit, p.208.n.9. Canticorum locus explicatus, ibid.

Diabolus divinitatem Chriſti, ſi non ſibi celaretur, melius ex conceptu, & partu Virginis, quàm

ex Stella, & voce Patris in Iordane, & ex miraculis viſis, poſſet arguere,p.10.n.5.

Didaci Stellæ obſervatio de rebus ſeptem quas Virgo expectabat perficiendas,p.10.n.5.

Divus Petrus Nolaſco ſecum de matrimonio purè, & immaculatè cogitavit, & illud laudavit, p.75.n.3.

Divus Lucas pinxit Virginem cum puero Ieſu in brachijs, librum in manu tenente, pag.271.num. 8. Huius picturæ expoſitio ex Creſolio,ibid. Altera noſtro inſtituto proximior,ibid.

Dolor Virginis quærentis Ieſum ex amore, & deſiderio eius ortus eſt, non quia illum errantem iudicaret; p.259.n.5. Locis Sacr. Script.exornatur,n.6.

Dubium commune, Virgo Angelos videre aſſueta, quomodo turbari potuit? p.65.n.5. Illius ſolutio,ibid.

Dubium, An Gabriel ſolus, vel comitatus ad Virginem venerit? p.70.n.3. Comitatum veniſſe reſolvo,ibid.

Dubium, An Angelus facta legatione Virginem reliquerit? pag. 72.n.5. Brugenſis opinio illam quoad apparitionem tantum exteriorem reliquiſſe,ibid.

Dubium, An Virgo Ioannem ab originali labe mundandum præſcierit? pag. 89. num. 4. Negat Cardinalis Toletus, ibid. Præſciviſſe magis probabile eſt, & fuſe oſtenditur,ibid.

Dubium, Quibus verbis gratulata eſt Virgo Eliſabethæ? pag.101. num.6. Eiſdem quibus illam ſalutavit: ſalutatio fuit ſimul gratulatio,& novo modo,ibid.

Dubium, Cur Eliſabeth eodem Epithet. Benedicta, quo Virginem Angelus ſalutarat, ſalutavit? pag.104.num.1. Solutio ex Ambroſ.& Bed.ibid. Ex Albert. Magn.p.106.n.3.

Dubium,Cur Eliſabeth prius Benedictam Matrem compellavit, quam filium? p.107.n.2. Dubij ſolutio,ibid.

Dubium, An copula *Et* ſit cauſalis, & faciat hunc ſenſum: Quia Benedictus eſt fructus ventris tui, id circò tu quoque es Benedicta? pag.108.num.3. Aſſerunt Theophilat. & alij, ibid. Sed non facere illum ſenſum,rationibus, & Patrum authoritate adſtruo,n.4.& 5.

Dubium, Quod diſcrimen interſit, Inter Benedicta tu, & Benedictus fructus ventris tui? pag.111. n.1.Diſcrimina aſsignantur,ibid. num.2.

Dubium, Cur Eliſabeth his Epithetis Beata, & Benedicta Virginem laudarit? ſolutio dubij, p. 120. num. 1. Cur Eliſabet, & non Angelus, Virginem Beatam appellaverit?n.3.

Dubium, Quam ſibi Virgo Beatæ

pr-

prædicandæ cauſam aſsignet, p. 134. num.3. Interpretum variæ ſententiæ, num.4. Ordo cauſarum, quem Cardin. Tolet. aſsignat, non probatur, ibid.

Dubium, Quo Epitheto digniore Virgo Maria nominetur? pag. 136. num.5. Solutio, ibid. Dubium, Cur Spiritus Sanctus, ad hoc præconium, Beatam me dicent, Virginem de ſe promendum impulerit? num.6. Solutio, ibid.

Dubium, Humilitas quando pro conditione naturæ, quando pro virtute debeat accipi? pag. 139. num.1. Solutio, & huius rei regula aſsignatur, ibid.

Dubium, Humilitas, quam Deus in Beata Virgine reſpexit, an pro vili, & abiecta condictione, anve pro virtute accipienda ſit? pag. 140. num.2. Sententiæ Patrum, & Interpretum, ibid. & num.4. Fundamenta primæ ſententiæ, num.3. Illorum ſolutio, num.6. vſque ad 9. Secunda ſententia magis probatur, & rationibus fulcitur, n.4. & 5.

Dubium, An Humilitas potiùs quam Virginitas congruentiùs Virginem diſpoſuerit ad Deum concipiendum? pag. 151. num.2. Humilitatem congruentiùs diſpoſuiſſe Patrum teſtimonijs fuſe oſtendo, num. 3. & 4. Humilitas quomodo poteſt eſſe ſcala, quæ de ſe alta non ſapit? num.4. Dubij ſolutio, ibidem.

Dubium ex Divo Chriſoſtomo, Quid ſit, quod reſpicientes è terra in cœlum, nihil mali patimur, ſecus vero ex alta turri verſus terram? p. 157. n.7. Dubij ſolutio, ibid.

Dubium, Cur Marcella in Virginis laudatione ventrem, & vbera iunxit? p. 162. n.4. Solutio, ibid. & n.6.

Dubium, Quem Marcella magis laudarit, filium, an Matrem? p. 165. n.7. Solutio, ibid.

Dubium, An Marcella myſterium Incarnationis cognoverit? pag. 166. num.8. Venerabilis Beda affirmare videtur, ibid. Alij negant, ibid. Bedæ ſententia probatur, & defenditur, n.9. & 10.

Dubium, Marcella, quæ duos actus portandi, & ſugendi diſtinxit, cur vnum Matri, & alterum filio tribuit? p. 170. n. 11. Solutio, ibidem.

Dubium, Cur Chriſtus Dominus quaſi occultè, & latentèr elogium Marcellæ approbarit, pag. 173. n.3. Solutio, ibid.

Dubium, Cur Virgo, quæ iam Mater erat, deſponſata dicitur? pag. 183. num.1. Solutio, ibid. Dubium, An Virgo deſponſata, in Ioſephi domum traducta, & iam celebratis nuptijs, Chriſtum conceperit? num. 2. Prima Patrum ſententia in domo Ioſephi habitare concedit: celebratis

nup-

nuptijs concepiſſe negat, ibidem. Et illorum fundamenta, ibidem. Secunda ſententia vtrumque negat, num. 3. Illius fundamenta, ibid. Tertia ſententia vtrumque concedit, quæ vt probabilior defenditur, num. 4. Illius fundamenta, ibid. Aliarum ſententiarum diluuntur, n. 5. & 6.

Dubium, Cur Virgo non revelavit Ioſepho de Spiritu Sanct. ſe concepiſſe, ſiquidem, vt ſuppono, ei dicenti crederet? pag. 195. num. 15. Solutio, ibid. Quomodo Virgo coram ſponſo ſuo, aluo gravido, apparere auſa eſt, ibid. & ſolutio.

Dubium, A quo Virgo gravida inventa eſt? pag. 212. num. 1. A Ioſepho tantùm, non ab Angelis inventa, ibidem. Quomodo, aut quibus ſignis Virgo à Ioſepho inventa eſt in vtero habens? ibid. num. 2. Div. Hieronym. ſententia Pat. Maldonat. non placet, ibid. Signa exteriora, quæ ponunt Caſsianus, & Baptiſta Mantuanus reprobantur, ibidem. Signa fuerunt, vterus tumens, & gravis inceſſus, ibid.

Dubium, An Ioſeph Virginem invenerit de Spiritu Sancto habentem? pag. 214. num. 3. Sententia aliquorum Patrum affirmativa, ibid. Communis, & vera ſententia, n. 4.

Dubium, præpoſitio *De* quam cauſam, materialem an formalem ſignificet? pag. 230. num. 5. Ad vtramque habitudinem dicere reſolvitur, ibid. Cur Adam dixerit: Hoc nunc os, &c. Cum dicere ſufficeret, Hoc os ex oſſibus meis? n. 6. Solutio, ibid.

Dubium, Quomodo Virgo dicitur habens de Spiritu Sancto, & non de alijs divinis perſonis, pag. 234. num. 8. Solutio, ibid. An Virgo ad Chriſti Domini conceptionem activè concurrit? num. 9. Aliqui negant, aliqui affirmant. Vtrumque relinquitur probabile. ibidem.

Dubium, Cur Div. Lucas non dixit: Cum deſponſata ſibi vxore de Spiritu Sanct. prægnante? pag. 238. num. 2. Dubij ſolutio, ibid. Quod non dicatur, laus eſt Ioſephi, ibid. Illius fides grano ſinapis comparatur, ibid. & n. 3.

Dubium, Cur Virgine prægnante, Ioſeph cum ea Bethleem profectus eſt? pag. 240. num. 4. Solutio dubij, ibid.

Dubium, An Virgo pedes, vel aſello ſedens Bethleem adierit? pag. 244. num. 8. Affirmant aliqui, verior opinio negat, ibid. Rationibus, & ſimilitudine ſolis ſuper flores probatur, ibid.

Dubium, Quibus cum rebus audita à paſtoribus Virgo conferebat? pag. 257. num. 3. Patrum, & Interpretum ſententiæ, ibid. Sententia Cornelij à Lapide non probatur, ibid. Cum ſecundò

dícat Evangeliſta; quod Virgo conſervabat omnia verba hæc, ſint ne hæc tantùm quæ audivit à Puero Ieſu invento in templo? num.4. Titi Boſtrenſis ſententia nimis laxa videtur, ibid. Aliorum limitatior Evangelio conformior eſt, ibid. Dubium, Cur Evangeliſta dixerit Maria conſervabat, & Mater conſervabat, num. 4. Solutio, ibid. An Virgo intellexerit verba Pueri Ieſu, dicente Evangeliſta, Quod ipſi non intellexerunt verbum? num.5. Caietanus aſſirmat, ibid. Ruperti dilemma ſolvitur, num. 6.& 7.

Dubium, Quomodo Virgo non intellexiſſe dicatur Chriſti verbum, quæ Angeli nunciantis verba intellexit, pag. 263. num. 10. Toleti ſolutio, ibid. Plenior, aſsignatur, ibid.

Lit. E.

EBUR Caſtitatem diſignat, p. 229.n.3.

Eccleſia in Breviario, & aliqui legunt, *Perficientur in te*, quomodo intelligi poſsit, exponitur, p.115.n.2.

Edictum Cæſaris viros, & fœminas deſcribi iubere plurium opinio eſt, pag.242. num.6. Virgo illa lege exempta fuit, ibid. Deſcriptio quibus cæremonijs fiebat, num.7.

Edictum Cæſaris, & ſpirituale Chriſti edictum, quàm diſpaſia ſint, ponderatur, p.251.n.5.

Eliſabeth cur non leni, & ſubmiſſa voce, vt Angelus fecit, ſed magnâ Virginem vocavit Benedictam? p.105.n.1.

Eliſabeth Virginis fidem ad triplicem temporis differentiam extenſam profetavit, pag. 115. num.1.

Emphaſis pronominis *Tu*, & præpoſitionis *In*, & *inter* mulieres, p.53.n.5.

Epithetôn quando non redundat, p.1.n.1.

Epitheton Deſponſata Virginem plus amaſſe virginitatem oſtendit, p.3.n.3.

Epitheton Gratia plena quàm ſit excellens, pag.18. num.1. Illud non invênit Angelus, niſi priùs de myſterio ennunciando à Deo inſtructus: vel quia in eo omni Virginem gratiarum gazâ ornatam vidit, pag.19. num.1. Epitheta Deorum Homerus ex animi affectibus, ex actionibus, & ex pertinentibus ad corpus deduxit, ibid.

Epitheton Gratia plena ad res divinas, & ſuperiores ſpectat; & ex Sacr. Scriptura, & profana oſtenditur, p.20.n.2.

Epitheta quædam dicuntur perpetua, quia rei, cui affiguntur, ſemper conveniunt, pag.21.n.3.

Epitheton Gratiæ plena, eſt Vir-

ginis Epitheton perpetuum, & probat ſine labe originali fuiſſe conceptam, ibid.

Epitheton Gratia plena eſt ſingulare, & proprium Virginis, & ab alijs ſanctis, qui pleni gratia dicuntur, eam diſcriminat, pag. 22.n.4.

Epitheton Gratia plena dicit idoneitatem, vt mox Virgo Deum conciperet, p.24.n.1.

Epitheton Gratia plena eſt demonſtrativum Virginis Matris, num. 2. Eo Angelus vſus eſt demonſtrando, non optando, ibid.

Epitheta tribus modis ponuntur, aut laudandi, aut demonſtrandi, aut vituperandi cauſa, pag. 25.n.2.

Epitheton Gratia plena gratiam Virginis, & gratiæ Authorem, quo erat plena amplectitur, pag. 28.n.6.

Epitheton ſæpè loco nominis ponitur, pag.31.num.10. De hac re eruditio Ariæ Montani, ibid. Epitheton Gratia plena poſuit Angelus vice nominis Mariæ, ibid.

Epitheton Gratia plena ſeptem gratiarum plenitudines in Virgine denotat, pag. 33. num. 1. Illarum explicatio, & quando data eſt illi prima plenitudo, pag. 33.34.& 35.n.2.& 3.

Epitheton Gratioſa græcæ vocis ſignificationem non adæquat, p. 36.n.4.

Epitheton Gratia plena omnibus alijs, quæ ex dictione græca deducuntur, præſtat, p.36.n.4.

Epitheton Benedicta perfectiſsimum, & varijs ſignificationibus exuberat, pag.38.num.1. Eo in die iudicij Chriſtus Dominus iuſtos ornaturus eſt, ibid. Ex eo Virgo ad altiſsimamDei Matris dignitatem fore mox ſublimanda arguitur, ibid.

Epitheton Benedicta temporis, & occaſionis fuit, p.41.n.2.

Epitheton Benedicta, quam benedictionem ſignificet? ibid, num. 1. Multiplex Patrum ſententia, ibid. Aliqui gratiæ plenitudinem ſignificare aſſerunt, ſed improbatur, ibid. Aliqui fæcunditatem, & prolem: quod magis probatur, pag. 42. num. 2. Aliqui laudibus Virginem commendandam, & prædicandam, pag. 44. num.4. Sic etiam hæretici, ſed improbo ſenſu, qui fusè reprobatur, ibid. Aliqui benedictionem, Evæ male dictioni oppoſitã, p.46.n.5. Tãdem aliqui benedictionem contra ſterilitatis opprobrium, p.47.n.6. Epitheton Benedicta commendat in Virgine, quæ in virginibus, in viduis, in nuptis laudantur, ibid. Epitheton Benedicta Virginem ſine labe originali conceptam fuiſſe oſtendit, ibid. Idem docet Lutherus, ibid.

Epitheton Exurgens, à loco in quo

Vir-

Virgo erat, exponitur, pag.75. num.1.

Epitheton Exurgens indicat Virginem quamvis gravidam, non gravem, ſed levem fuiſſe ad iter agendum, pag.80.num.2. Pondus vteri eius non illam gravabat, ſed elevabat, & portabat, ibidem. Epitheton Exurgens, de loco orationis exponitur, num.3.

Epitheton Benedicta adeo magnum eſt, vt eodem Eliſabeth Virginis filium laudarit, quo etiam rem miram prædicavit, pag.107.numer.1.

Epitheton Benedicta inter mulieres, non ponit diſcrimen inter Virginem, & eius filium, ſed inter mulieres, pag.111.num.1. Epitheto Benedicta, Virgo ſine culpa originali concepta probatur, ibid. n.2. & 3. Idem docet Lutherus,ibid.

Epitheta Beata, & Benedicta, in communi, & lata acceptione vix differunt,p.122.n.3.

Epitheta ſanctis congruentèr impoſita; Mariæ vero Epitheton Virgo, iuxta Div. Epiphan. p. 199. num.19.

Epitheton Inventa, in Virginis laudem locis Sacr. Scripturæ illuſtratur, pag.217. num.1. & 2. & ſeqnentib. Illo ſolet vti Deus vt ſpecialis Author rei inventæ appareat, ibid.

Eva cur de coſta Viri formata, pag. 7.num.2.

Eva ſerpentem facultate loquendi vti putavit, vnde ſine turbatione illum audivit, pag.67.num.6. Hæc excuſatio non admittitur, ibidem.

Evangeliſta prius Virginis dignitatem, quàm nomen eius poſuit, p. 200.n.2.

Evangeliſta ſemel, & iterum ſcribit, quod Virgo in corde ſuo conferebat, & quare, pag. 1. num.1.

Lit. F.

FAMÆ Virginis non eſſet ſatis proviſſum, ſi domi Ioſephi non habita, & celebratis nuptijs concepiſſet, pag.188.num.6. Caietan. obiectio ſolvitur, num. 7. Difficilior obiectio ponitur contra tertiam ſententiam, n. 8. Solvitur,n.9.& 12.

Ferrum magneti iunctum non addit pondus, pag.80. num.2. Fæminæ prægnantes à conceptu, quem portant,gravantur,& quare,ibid.

Fides Virginis in re ardua, & omnem ſuperante captum,altè eminet,p.114.n.1.

Fides ſine operibus ad iuſtificationem nihil valere oſtenditur, pag. 117. num. 5. & 6. Fides hæreticorum nomen eſt vacuum, dimi-

diumque hominem facit vivum, dimidiumque mortuum, ibidem. Fides, ſecundum Div. Auguſtin. appellata eſt, quia fit, quod dicitur, ibidem. Fides Virginis in Annunciatione Angeli multis ſe exercuit virtutum operibus, ibidem.

Fides in Deum, honores, poteſtatem, divitias, & omnia bona, quæ homines deſiderant, largiſſimè confert, pag. 124. num. 2. 3. & 4. Exemplo fidelis Abrahæ oſtenditur, ibid. Loca Geneſis explicata, ibid.

Filij adulterorum, maculam ſuorum natalium, eos non imitando, eluere, exemplis admonentur, p. 7. num. 1.

Lit. G.

GAUDIUM Virginis meditantis Deum in vtero ſuo corporalitèr habitare, quantum fuerit, ponderatur, pag. 251. num. 6. Confertur cum alijs Sanct. mulierum gaudijs, n. 7. & 8.

Gens magna quæ intelligatur in loco Geneſis, pag. 125. num. 3. Abraham non dicitur Dei, ſed è contra, Deus Abraham, & quare, p. 126. n. 4.

Gratia, & decor qui Deo nos commendat, qualis ſit, p. 37. n. 5.

Lit. H.

HENRRICUS Germaniæ Rex ſanctam Cunegundam coniugem ſuam illibatam in matrimonio habuit, & reliquit, p. 13. num. 3.

Hæreticorum Eccleſiæ non Virginem Mariam, ſed mulierem meretricem pro typo habent, pag. 16. n. 2.

Hæretici exemplo Virginis deſponſatæ matrimonium laudant, & virginitatem improbè vitupe-rant. Coniuges qui in matrimonio virgines fuerunt, memorantur, p. 17. n. 3.

Hæretici de Virgine, quia deſponſata, impurè ſentiunt, & refelluntur, p. 4. n. 4.

Hæretici Catholicis oblatrantes, quod Virginem ſalutamus, Benedictam, carpuntur, pag. 105. n. 1. & 2.

Hæretici Catholicos in laudatione Virginis gravitèr peccare, ſuadêre conantur, pag. 138. num. 7. Hæretici Virginis humilitatem impudentèr exponunt, n. 10.

Hæretici de Marcella Virginem laudante improbè ſentiunt, p. 166. n. 8. Eorum impudentia refellitur, ibid.

Hæretici in Marcellam, & elogium invehuntur, quia Chriſtus ei reſpondit, Quinimo Beati, &c. pag. 172.

172.num.1. *Quinimo* quid ſignificet, & hæreticorum expoſitio refellitur, ibid. & n.2.

Hæretici ſtultè nobis obijciunt, quod elogio Marcellæ in Virginis laudem vtimur ſeiunctim à verbis Chriſti, p.181.n.11.

Hæretici vento Cecìæ comparantur, & ſomniorum interpretibus, num.12. Hæretici loca Sacr. Scripturæ ſine regula, prout lubet, interpretantur, ibid.

Hæretici pravè Virginis nuptias interpretantes, refelluntur, & obiurgantur, pag.198. num.18. & 19.

Hippocratis aphoriſmus de muliere, quæ marem in vtero gerit, p.214.n.2.

Homerus neque amorem, neque timorem laudavit abſque verecundia, p.62.n.4.

Homo quantò humilior, tanto laus eſt ſibi gravior, pag. 74. num.1.

Homero laudi datur quod Deorum Epitheta apte deduxerit, pag.19. num.1.

Homines in Sacr. Scriptura ob varias virtutes dicuntur beati, pag. 121.n.2.

Homines in promiſsionibus ſuis, & verbis, cum ſint mutabiles, malè volunt ſibi credi, pag.124. num.1.

Homines exemplo fidelis Abrahæ, & Virginis ad bona quæ deſiderant à Deo obtinenda, monentur, p.128 n.6.

Honor Virginis ex deſponſatione cum Ioſepho, p.202.n.4.

Humilitas Virginis, cum laudatur, magis elucet, pag.74.num. 2. Humiles res magis ad notitiam grandium, quàm grandes ad cognitionem humilium conducunt, ibid.

Humilitas Virginis in profectione feſtina ad Eliſabeth laudatur, p. 94,n.2.

Humilitas ſecura aſcendit, ſed ſecurior deſcendit, pag.103.num. 7. Humilis viam invenit è loco ſublimi deſcendendi, è contra ſuperbus, ibid.

Humilitas in Sacr. Scriptura tripliciter vſurpatur, p.139.n.1.

Humilitas honorata eſt magna prorſus, & rara virtus, num. 5. Talis fuit Virginis humilitas, ibid. Humilitas inter alias virtutes ſine ſui præiudicio ſe cognoſcit, num. 6. Humilitatis virtus ſi à poſsidente non cognoſcitur, non poterit ad Deum illam referre, ibid. Sancti illam ſe habere cognoſcunt, & ad Deum referunt, ibid. n.7.

Humilitatis virtus hominem Deo ſubijcit vt magno, & præcellenti Domino, n.9.

Humilitas, & virginitas ad Dei concipiendi munus, inter cæteras Virginis virtutes, magis à Pa-

Patribus commendantur, pag. 150. n. 1. Ipſaque Virgo magis eas commendat, ibid.

Humilitas Virginitatem commendat: Virginitas humilitatem exornat, & cæteras virtutes, pag. 151. num. 2. Humilitas eſt epiſtola commendatitia ad Dei favorem obtinendum, ibid.

Humilitas virginitati præſtat, ſicut mentis ſanctitas corporali puritati, pag. 152. num. 3. Humilitas ſcala eſt cœleſtis, per quam Deus ad terras deſcendit, ibid. num. 4.

Humilitas Div. Raymundi Nonnati, pag. 153. num. 4. Humilitas à veritate non disiungitur. Et de ea Div. Ther. dictum, ibidem.

Humilitas omnibus eiuſdem ordinis virtutibus præfertur, pag. 154. n. 5.

Humilitas Virginis Mariæ feneſtra dicitur, pag. 155. num. 6. Humilitas & ſuperbia, duæ feneſtræ mutuò ſibi inimicæ, ibid. Per humilitatis feneſtram lumen cœli: per ſuperbiæ feneſtram mentis cæcitatem accipimus, ibidem. Vtrumque exemplo Mariæ, & Evæ oſtenditur, ibid.

Humilitatis virtus gravis, & ponderoſa, ſuperbia è contra, pag. 157. n. 8.

Humilitatis, & ſuperbiæ contrarij effectus, num. 7. & 8. Locis Sacr. Scripturæ declaratur, ibid.

Humilitas Virginis Mariæ vix eſt menſurabilis, p. 159. n. 9.

Lit. I.

IAHEL Benedicta comparativè ad mulieres, quæ in tentorijs habitabant, dicitur, pagin. 53. num. 5.

Ieſu nomine Abraham quinque reges Aſſyrios vicit, pag. 127. numer. 4.

Imperturbatio in aliquibus, tàm vituperanda, quàm turbatio laudanda in Virgine Mar. pag. 66. num. 6.

Infantes degenerant à matribus, quæ eos non lactant, & nutricum fiunt filij, p. 163. n. 4.

Ingenui emendicare erubeſcunt, p. 99. n. 5.

Ioſephum non fuiſſe ſenem octogenarium cum Virginem duxit, verior opinio eſt, & contraria impugnatur, pag. 11. num. 1. Neque, quod eſſet iuvenis, incontinentia in eo timeri debet, num. 2. & 3.

Ioſephus, ſi Virgo ſui conceptus ei revelaret, crediturus exiſtimatur, pag. 192. num. 12. & 13. Ioſephum voluiſſe Virginem dimittere ob adulterij ſuſpicionem, communior & verior opinio eſt, n. 14.

Ioſephus admonitus è cœlo eſt Virginem

Digitized by Google

ginem cum Virgine vivere, pag. 198.n.19. A ſponſa ſua etiam fuit admonitus, ibid.

Ioſeph non erat cenſu dives, ſed virtutibus, p.200.n.1. Faber ſibi cœleſtis fortunæ, ibid.

Ioſepho nulla maior laus, quàm à Virgine ſibi deſponſata, num.2. Ex Evangelio probatur, num.3. Ioſepho promiſſus eſt Chriſtus tanquam Deus, Abrahamo, & Davidi tanquam homo, ibid.

Ioſephum Virginem de Spiritu Sanct. habentem inveniſſe, ſaltìm coniecturalis ratio ſuadet, p. 216.n.5.

Ioſephi cor ſenſibus ſuis non credidit, ſed in Virgine adhùc gravida inventâ, ſemper confidit, pag. 222.n.6.

Ioſephi magna gloria, quòd Chriſti poſsit dici redemptor, pag.239. num.3.

Ioſias Rex nominibus filiorum ſuorum nomen Dei affixit, & cur, p. 33.n.11.

Iudith, & Iahel, quia typus Virginis, benedictæ dicuntur, pag.52. num.5.

Iuvenes, & qui, quin prius ſint Dei ſcholares, vt fuit Virgo, Sacr. Scripturas audent exponere, carpuntur, p.265.n.2.

Lit. L.

LAUDES Alienas confundere, genus eſt invidentiæ, p. 40.n.2.

Laus propria Dei eſt prædicari ab omnibus generationibus, & tribuitur Mariæ, quia illum genuit, pag.131. num.2. Illuſtratur Patrum teſtimonijs, ibid. Laus filij cum Virgine Matre, non tàm dicitur communis, quàm eadem, ibid. Exornatur verbis Pauli ab Ambroſ. expoſitis, ibid.

Laus Virginis egregia de Spiritu Sanct. in vtero habere, pag.226. num.1. Locus Cantic. explicatus, ibid.

Legati cuiuſdam factum, vt apparentèr ſe humiliaret coram rege, p.153.n.4.

Lex Athenis erat, ne filij adulterorum parentes ſuos alerent, & cur, p.7.n.1.

Litera nomini Abrahæ ex nomine Dei addita, aliquando Deum eſſe futurum hominem ſignificat, pag.126. num.4. Literæ I. H. tercentum & octodecim valent, cum illarum myſterio, ibid. Locus ex lib.2.Reg. cap.7. explicatus, n.6.

Locus Iſaiæ; Erit antequam clament explicatus, p.100.n.5.

Locus Proverb. de excellentia Virginis ſuper omnes ſanctos, pag. 121.

121. num.1. Loca Regum, Cantic. Pſalm. de Virgine quatenus Regina & Beatiſsima ſuper omnes explicantur, n.2.

Locus Regum explicatus, pag.125. num.3.

Locus Iſaiæ de inſtantanea Chriſti conceptione expoſitus, pag.236. num.11.

Locutiones Sanct. Patr. quibus verum coniugium inter Mar.& Ioſephum videntur negare, facilè exponuntur in vero ſenſu, p.197. num.17.

Lit. M.

MARCELLA (Si forte ignobilis) præconio. Virginis ſe nobilitavit, pag.60. num. 2. Ignobilis eligitur ad laudem Virginis, quia à nobilibus, & ignobilibus laudari debet, ibid. Laus à præclaris perſonis profecta excellentior, ibid.

Marcella quædam mulier de turba dicitur, non vt eius ignobilitas notetur, ſed locus inter quos erat, num.3. Phariſæos non timuit, coram illis Chriſti, & Matris eius laudem intonans, ibid. Locis Sacr. Scripturæ id exornatur, ibid.

Marcella ventrem & vbera, quæ ſunt partes corporis minus nobiles laudavit, & cur, pag.165. num.7.

Marcella, à dignitate, à gratia, ab honore Matris tanti filij, Virginem laudavit, p.164.n.6.

Marcellæ captui ad cognoſcendum Incarnationis myſterium nihil aptius, quam illa laus, Beatus venter, &c.p.168.n.9.

Mares in decimo menſe, fœminas vero in nono naſci, opinio eſt Servij; è contrà ſentit Ariſtotel. p.252.n.7.

Maria à Div. Bonaventura, vas immenſiſsimum appellatur, pag. 22. num.4. Maria ſoli comparatur à Div. Petro Damian. quia omnium ſpirituum dignitatem hebetat, ibid. Maria omnium Sanctorum gratiam, & merita etiam collective ſumpta ſuperat, ibidem.

Mariæ virginitas quanta fuerit, ponderatur, p.198.n.18.

Menſura humilitatis eſt cuique ſuæ magnitudinis menſura, pag. 159.n.9.

Mentes hominum ſubiugare, imperium omnium maximum, pag. 251.n.5.

Michol per feneſtram ſuperbiæ ſaltantem coram arca Davidem vidit, & ſprevit, p.156.n.7.

Matribus natura dedit vbera non ad pectoris ornatum, ſed vt infantes ſuos alant, p.162.n.4.

Matres, quæ infantes ſuos non lactant, non ſunt integræ matres, ibid. Multis bonis ſe privant, num.

Digitized by Google

num.5. Matres , quæ proprios filios lactant , eos magis amant, & ab eis magis amantur,ibid.
Modus dignior laudandi à proprijs meritis venit,p.110.n.5.
Molanus in eos pictores invehitur, qui Ioſephum , vt hominem ſtolidum pingunt ,pag.12. num. 1. Caniſius eos , qui grandæuum pingunt,excuſat,ibid.
Mos antiquus tradendi ſponſas ante celebrationem nuptiarum, ſponſorum cuſtodiæ , pag. 184. num.2. Tempus cuſtodiæ deputatum , ibid. Ratio huius moris ex Div.Auguſtin.ibid.
Mos matrum alendi proprios filios apud Iſraeliticum populum viguit,p.163.n.5.
Mulierem fortem invenire difficile, pag. 219. num.3. Signa mulieris fortis Spiritus Sanct. poſuit in Proverb. propter Virginem fortem inveniendam , ibid. Ei ſigna accommodantur,ibid. & num.4. & 5. & ſeq.

Lit. N.

NAVES Ab officio nomina accipiunt , pag. 224. num.8. Navis ſecuritatis, & ſoſpitatis eſt ſymbolum,n.9.
Nomina illuſtria , ſi gratia Dei ſint vacua , nihil ſunt , pag.29. num. 8. Qui ſe eis gloriantur, nomine Ioann. Baptiſt. & Raym. Nonn. carpuntur , pag.30. num.8. Nomen novum fuit Virgini Gratia plena , quo novus & inauditus deſignatur conceptus,n.9.
Nomen Auguſti inane Chriſtus Dominus perfectiſsimè complevit, p.251.n.5.
Nomina Sanctorum cur nobis imponantur,p.33.n.11.
Numerus ſeptenerius, plenus , Virgo , cum Monade incorruptâ coniunctus dicitur , pag.35.num. 3. Virgini Mar. appropiatur, ibidem.
Nuptias celebrantes quid malê attendant , & quid attendere debeant,p.200.n.1.

Lit. O.

OCULIS Subiecta certiùs apprehendimus,p.70.n.2.
Oratione & contemplatione nihil fœlicius,p.83.n.3.
Oratores multoties orationem ad præſentem laudis materiam contrahunt,p.120.n.1.

Lit. P.

PALMA Indica vix radice terræ adhæret , Ei aſsimilatur Virgo,p.79.n.1.
Pallor oris, & carnis macies in Virgine prægnante non fuerunt,pag. 213.n.2.

Digitized by Google

Philoſophi caſus ſtellas intuentis, p.74.n.2.
Phroneſis ſeu ſapientia eſt excogitata examinare conferendo, pag. 256.n.2.
Pietas Virginis in profectione, & viſitatione Eliſabethæ Laudatur, pag.97. num.4. Eius pietati tribuitur impletio promiſsionum, quas de Ioanne fecit Angelus Zachariæ, ibid. Eundem Pietatis morem Virgo in cœlo ſervat,ibid.
Promiſsio Dei eſt infallibilis, & ſperantem non fallit, pag. 123. num.1.
Pudor & Caſtitas Virginis in profectione, & viſitatione laudantur, pagin.102. numer.7. Eius exemplo virgines monentur, ibidem.
Puer Ieſus cum libro in manu ſua nos ad legendum in eo invitat, p.271.n.8.
Pythagoras ſuos diſcipulos quinquenio ſilere inſtituit, ad imitationem iuvenis Prophetici, iuxta Div. Ambroſ. pagina 264. num.1.

Lit. R.

RAYMUNDUS Nonnatus Virginis imitator, & diſcipulus,p.266.n.2.
Raphaelis Archangeli documentum, Opera Dei revelare, & confiteri honorificum eſt, Virgo & Eliſabeth impleverunt, pag. 92. num. 5. Virgo Eliſabetham ſe occultantem detexit, ibidem. Eliſabeth, ſi antea Virginem prægnantem cognoviſſet, prius illam viſitaret, quam ab ea viſitaretur,ibid.
Regia ſolis, vt ab Ovidio deſcribitur, vtero Virginis applicatur, & locis Sacr. Scripturæ illuſtratur,p.228.n.3.& 4.
Res, iuxta Div. Ephr. non cenſentur ex nominibus, ſed ex rebus nomina, p.32. n.11. Illuſtratur loco Geneſ.ibid.
Res non intellecta pro non audita habetur,p.55.n.2.
Roſa in convivijs ſuſpenſa taciturnitatis ſymbolum,pag.210.num. 12. Finito convivio, omnia ſub roſa dicebatur, ibidem. Silentio Virginis applicatur, ibid. Roſa in labijs Virginis ſuſpenſa, ibid. Et Cant.locus explicatus,ibid.

Lit. S.

SALUTATIO Sine voce intelligitur, pag.102.num.6. Talis fuit exultatio Ioannis in vtero, ibid.
Sanctitatem corporalem, & Virginis immunitatem à culpa originali ex ventre, & eius vberibus beatis noſter Saavedr.probat, p. 171.n.13.

Sancti fide, & Charitate ſuffulti omnia pericula adoriuntur, pag. 240.n.4.
Sapientia Virginis in collatione Myſteriorum oſtenditur, p. 256. num.2.
Scala ſymbolum eſt hominum fictè humilium,p.153.n.4.
Secreti non obſervatio quibus ex cauſis oriri ſolet, pag.208.num. 10. Eſt res difficilis, ibid. Philipidis dictum,ibid. Secretum non prodidit Virgo, quamuis ad hoc gravibus impellebatur cauſis, ibid. Secretum Incarnationis Ioſepho Virgo non revelavit, quamuis vidit illud Spirit.Sanct. Eliſabethæ revelaſſe,n.11.Verè hinc Chriſti mater,ibid.
Senatores Romani prodiderunt populis Chriſtianis diem Natalis Domini, pag.243.n.7. Chriſtus in tabulis publicis ſcriptus, & quo die,ibid.
Sententia Patris Stella ſingularis ſuperGratia plena ſummatim refertur,p.28.n.7.
Sententia Patrum tenentium cauſam dimittendæ Virginis non fuiſſe Ioſepho adulterij ſuſpicionem, ſed humilitatem & reverentiam erga Virginem probabilitèr deffenditur, pag.190. num. 9. & 10. Argument. Pat. Barr. ſolvuntur,ibid.
Silentium Virginis in ſuſpicione Ioſephi laudatur,p.207.n.9.
Silentium Chriſti in falſis criminationibus,mirabilè,pag.209.num 11. Silentij ſervandi ſanctius eſt nobis exemplum in Virgine, quam in Harpocrate,n.12.
Similitudo filiorum cum parentibus quomodo in generatione fiat,p.233.n.7.
Socratis dictum de libro ſibi obſcuro,p.267.n.3.
Somnus delicatus eſt, & pacem amat,p.204.n.6.
Speculum non reddit imaginem videntis ſe,niſi dum eſt præſens, p. 248.n.2.
Spiritus Sanct. quodammodo Ioſepho indiguit, vt Virginem concipientem obumbraret,pag.201. num.4. Textus Evangelicus explicatur,ibid.
Spiritus Sanct. Virginem expertus eſt fortem, pag.221. num.5. In ea confidit, nec ſpolijs indiguit, ibidem.
Sterilitas in Iſraelitico populo erat fœminarum opprobrium,pag.47. num. 6. Apud Deum non erat illis probro, ibid. Hæretici, qui Epithet. Benedicta de benedictione communi omnibus electis interpretantur, exploduntur, num.7.
Subditi in his quæ ſunt dominij,non facere debent,quod domini,pag. 209.n.11.
Superborum vitium,quæ non intelligunt,ſpernere,p.266.n.3.

Digitized by Google

Supplicium ſecreti proditoribus, inter piſces vivere, p.210.n.12.

Lit. T.

TAPEINOSIS Modo humilitatis virtutem, modo abiectionem ſignificat, pag.146. num.6.
Teſtimonium qui de ſua innocentia dicit, non creditur, pag. 15. num.1.
Teſtudo à Venere calcata quid ſignificet? p.102.n.7.
Tetragonus generationis humanæ, p.232.n.6.
Timoris Zachariæ, & Virginis diſcrimen, p.59.n.2.
Timoris ſpecies duplex ex Ariſtotele, pag.61.num.4. Timor Virginis fuit cum reverentia, & pudore ad Deum, ibid.
Timor non eſt, vbi culpa non eſt, p.196.n.15.
Turbatio Virginis laudabilis, & perfectiſsima fuit, pag.54. num. 1. Cur Angelum ſalutantem non reſalutarit? ibid. Magna fuit illius prudentia tacere, & cogitare, n.2.
Turbatio Virginis ſpontanea, & libera fuit, num.3. Non eſt exorta ex materiæ aut corporis infirmitate, ibid. Suis paſsionibus, & affectibus liberè vſa eſt, p.56. num.4.
Turbatio Virginis quæ paſsio animi fuerit? pag. 58. num.1. Paſſiones animi quator principales, ibidem.
Turbationis cauſæ multæ aſsignantur à Patribus, & Interpretibus, pag.63. num.1. Examinantur, & verior eligitur, ibid.
Turbationis cauſa apud aliquos Author. fuit ſermo Angeli laudibus plenus, p.73.n.1.
Turbationem Virginis ex viſione, & ſermone Angeli inſolitis provenilſe verior ſententia eſt, pag. 78.n.2.
Typus Eccleſiæ Catholicæ fuit Marcella, p.172.n.13.

Lit. V.

VAGUS, Et criminoſus concubitus filijs ex eo natis iniurioſus, p.6.n.1.
Valuæ, per quas Deus vt fieret homo, intravit, labia Virginis fuerunt, p.229.n.4.
Verbum Dei in Deo, & in aure fideli ſemper manet integrum, & inmutabile, p.123.n.1.
Verba Pueri Ieſu, Neſciebatis, &c. acutè explicat Caietanus, pag. 261. num.7. Verba Ieſu ad parentes, & parentum ad Ieſum, æquè amoris plena ſunt, n.8.
Verecundiæ Eliſabeth, & Virginis diſcrimen, p.60.n.3.
Verecundiam non oriri ex timore, ſed pallorem, quidam medicus obij-

Digitized by Google

obijcit, pag. 61. num. 4. Impugnatur ſacris, & humanioribus literis, ibid. & num. 5. Verecundia virtutis eſt color, & Virginum proprius color, ibid.

Virginem non prædixit Iſaias deſponſatam, ſed quam ille prædixit, oſtendit Mathæus eſſe deſponſatam, pag. 2. num. 2. Virgo ter dicitur deſponſata, vt ante partum, in partu, & poſt partum Virgo ſignificetur, ibid.

Virgo virginitatis votum emiſit, antequam Angelus ſibi miſſus eſſet, p. 3. n. 3.

Virgo in puritate etiam omnes choros Angelicos antecellit, pag. 4. n. 4.

Virgo non ſolùm typus, ſed Eccleſiæ Archetypus eſt, p. 16. n. 2.

Virginitas perfectior matrimonio eſt: hoc corpora, illa animos iungit, p. 18. n. 3.

Virginis nomen ex ipſa re ſeu gratiâ Angelus cenſuit, pag. 32. num. 11. Nomen Mariæ tacuit, quouſque eius gratiam explanavit, ibidem.

Virgo Beata caruit carnis rebellione, vel ligato vel extincto fomite, & à quo tempore, pag. 34. n. 2. Virgo caruit omni peccato etiam originali, ibid.

Virgo in omni heroica virtute ſuper omnes ſanctos emicuit, pag. 35. n. 3.

Virgo an gratia plena dicatur à gratia quæ erat in ſe, an à Chriſto, quem conceptura erat, vel iam conceperat? pag. 25. num. 3. Patr. ſententiæ, quæ facilè conciliantur, pag. 26. num. 5. & 6. Patris Maldonat. ſententia & argum. ſoluuntur, ibid.

Virgo cum abſolute dicitur, Mariam Virgin. denotat, pag. 31. num. 10.

Virginis turbatio ex Epitheto Benedicta orta eſt, pag. 42. num. 1. Virgo Epitheton Benedicta de benedictione prolis interpretata eſt, n. 2.

Virgo quidquid eſt optimum intriplici mulierum ſtatu habuit, nempe integritatem, continentiam, ſobolem, p. 47. n. 5.

Virgo an cum alijs mulieribus in benedictione ab Angelo comparetur? Aliqui comparaſſe concedunt; aliqui negant, quod magis probabile eſt, pag. 49. num. 2. Virgo ſola eſt Benedicta, & nulli fæminæ comparabilis, num. 3. & 4. Virgo nova Eva, ſicut Chriſtus novus Adam, ibid.

Virgo longè excellentius, quam aliæ præclaræ fæminæ dicitur Benedicta, pag. 52. num. 5. Virgo ſola abſque comparatione, à typo, à cauſa, à verbis Sacræ Scripturæ Benedicta probatur, ibidem.

Virgo cur voluntariè turbata eſt? huius ratio, p. 56. n. 5.

Digitized by Google

Virgo Gabrielis, & Angelorum proprias ſubſtantias vidit mentis oculo, pag.71.num.3. Angelicus Magiſt.negare videtur,ſed explicatur,n.4.

Virginis turbationem ortam ex Angeli ſermone aliqui putant, & quare, pag. 74. num.3. Reprobat Pat. Maldonat. & negat cogitationem Mariæ ex caſtitate profectam,ibid. Ex caſtitate profecta fuiſſe probatur,ibid.

Virgo ſalutationem eſſe amatoriam non potuit cogitare, pag. 76. num. 4. Virgo gratiam diſcretionis ſpirituum habuit, ibid. Hæc gratia humilibus datur, ibidem.

Virgo ex humili profecta loco, viciniora cœló loca petebat, pag. 80. num.1. Virgo neque in otio neque in negotio ab oratione deſtitit, ibid. num. 3. Virgo in itinere ad Eliſabeth,auroræ comparatur,ibid.

Virgo iter ad Eliſabeth re benè perſpectâ arripuit, pag.85.num. 1. Huius profectionis cauſa non fuit experiri fidem dictorum ab Angelo, ibid. Calvinus impugnatur,ibid.

Virgo miraculum, & modum eius in Cana Galilææ futurum præſcivit,p.89.n.4.

Virgo quando maior, & perfectior minuebatur ſibi, in quo Lunæ comparatur, pagin. 94. num. 2. Sol, & aſtra quare non minuuntur, ſymbolice exponitur, ibid. Virginis humilitas cum Dei humilitate ad terras deſcendentis comparatur. Aſcenſiones habuit in corde ſuo, quomodo iuxta D. Bernard.ibid.

Virgo in caſtitate, & celeritate auroræ comparatur,pag.103.num. 7. Virginis reditus in domum ſuam etiam fuit cum feſtinatione,ibid.

Virgo poteſt aliquomodo dici Benedicta ſicut Chriſtus, pag.112. num.2.

Virgo non dicitur Beata ob ſolam fidem, vt volunt hæretici, pag. 116.num.3. Impugnantur, ibid. & num.4.

Virgo nondum res ſibi pollicitas poſsidebat, & Beata prædicabatur, pag. 123. num. 1. In fide quaſi illas poſsidebat,ibid.

Virgo non ſe dixit humilem propter inopiam bonorum temporalium, nec propter afflictionem, vt aliqui interpretantur, p.141. num.2.

Virginis verba in Cantico ſuo magis erant Dei dictantis, quam ſua, pag. 148. num. 8. Virgo cum dixit,Dominus reſpexit humilitatem ancillæ ſuæ,non ſolum humilitatis virtutem opere exercuit,ſed etiam de illa ſe loqui ſignificavit,ibid.n.9.

Virginis fæcunditas magis fuit præ-

miuum

Digitized by Google

mium humilitatis, quàm Virginitatis, pag.152.num.3. Virginitas Mariæ, vt Deum conciperet, ſine humilitate non placuiſſet, ibid.

Virgo, iacto per humilitatem fundamento, domum ædificavit, in qua Deus conciperetur, p.154.n.5. Loco Sacr. Scripturæ id exornatur, ibid.

Virgo ſuper omnes creaturas exaltatur, quia ſubter omnes ſe humiliavit, pag.158. num.9. Virga quâvis minor, & Regina humilium dicitur à Rup.ibid.

Virgo Mar. fuit integra Chriſti Mater quia illum genuit, & lactavit, pag.162.num.4. Admonentur matres vt illam imitentur, ibidem. De hac re Favorini Philoſophi efficax perſuaſio, ibidem.

Virgo ex beatitudine ventris ab originali culpa immunis eſſe probatur, p.171.n.13.

Virgo rectè prædicatur Beata, etiam ſub præciſsione Matris Chriſti, vt homo eſt, p. 176. n.7. Virgo ſaltim de congruo meruit eſſe Mater Dei, ibid.

Virgo ſi à Ioſepho facultatem adeundi domum Eliſabeth petijt, tamen illi myſterium non revelavit, pag. 192. num.12. Virgo Ioſepho comite non profecta eſt in domum Eliſ. ibidem. Ioſepho celatum eſt ad tempus ſponſæ prægnantis myſterium ad maiorem Virginis gloriam, ibid. Virgo non revelavit Ioſepho ſe de Spiritu Sanct. concepiſſe, ibidem. num.15.

Virgo inventa dicitur velut pretioſiſsimus theſaurus, pag. 212. num.1.

Virgo mulier fortis, Eva imbecilla, pag. 219. num. 3. Virginis pretium procul, & de vltimis finibus, ideſt è cœlo, num. 4. Virgo duos ſponſos habuit, Ioſephum, & Spiritum Sanct. num.5. Virgo ex ſe non dedit Ioſepho cauſam malè ſuſpicandi, num.6. Virgo quot, & quam magna Ioſepho ſpolia dederit, ponderatur, num. 7. Virgo navis inſtitoris, quam Deus factus homo in Nazareth aſcendit, num.8. Virgo navis oneraria, ibid. Virgo navis ſolis divini, num.9. Virgo nobis ſecuritatis, & ſoſpitatis navis, num.9.

Virgo activè præparavit materiam, & miniſtravit Spiritui Sanct. pag. 235. num.9. Virgo nullo deciſo ſemine concepit, ibid. Et adhuc deciſo ſemine ſine carnis illecebra concipere potuit, ibid.

Virgo Deſponſata prægnans dicitur, quia eo Epitheto etiam tunc Virgo declaratur, pag.238.num. 1. Virgo prægnans quibus cauſis mota fuit ad profectionem cum ſponſo ſuo, ibid.n.5.& 6.

Vir-

Digitized by Google

Virgo non ignoravit ſe eſſe partui proximam, neque Ioſeph ignoravit, pag.246. num.9. Caſsiani opinio refellitur, ibid. Virginis in partu ſervatus eſt quoad tempus, ordo à natura præſcriptus, ibid.

Virgo toto prægnantis tempore corporaliter Deo vixit, pag.247. num.1. Virgo ferculum fuit, quo Chriſtus domum Eliſabeth intravit, ibid. num. 3. Ferculum fuit in alijs ſignificationibus, ibid. num.4.

Virgo optima contemplandi magiſtra, conſervabat vt meditaretur, pag. 256. num. 2. Qui res divinas in pectore non ſervat, non confert, ſed illarum obliviſcitur, ibid. Locus Iacobi explicatus, ibid.

Virgo quamuis verba Ieſu non intellexerit omnino, ſervabat, quia ſibi maximo pretio erant, p.262. num.9.

Virgo Pueri ſui Ieſu ſcholaris dicitur, p.264. n.1.

Virgo nobiliſsimum tacendi, & loquendi exemplum, pag. 264. num.1. Eius ſilentium in addiſcendo, Prius voluit loquenda cognoſcere, quam proferre, num. 2. Fuit magiſtra magiſtrorum, num.3. Virginis humilitas, non intellecta animo recondentis, ibi. Virginis humilitas, quæ quaſi de ignorantia reprehenſa, nihil filio reſpondit, ibid. num. 4. A paſtoribus diſcere non erubuit, ibid. Hinc ſuperbi carpuntur, & Phariſæis comparantur, ibid. Loca Scripturæ ad hoc explicata, ibidem.

Virginis ſingularis diligentia in obſervandis Chriſti dictis, & factis, pag.169. num.6. De illa ſola dicitur, quod obſervabat omnia verba hæc, non de Ioſepho, ibid. Evangelicus auditor debet eſſe Virginis imitator, ibid. Parabola ſeminis explicatur, numer.7.

Virgo ſpeculum fuit, in quo nomen eius viſum fuit, pag.32. num.11.

Viris illuſtribus nihil gratius, quam ſuorum fortium geſtorum commemoratio, pag.105. num.2.

Vis & natura ſeminis & lactis ad formandos mores, prope eadem, pag.162. num.4.

Virtutes, quæ apparuerunt in Virgine, cum turbata eſt, pag. 77. num.4.

Virtutes, quæ in feſtina Virginis profectione, & viſitatione emicuerunt, aſsignantur, pag. 93. num.1. Profectio Virginis feſtina laudatur, quia in rebus exequendis celeritas valde grata Deo, ibid. Pigritia hominum reprehenditur, ibid.

Virtutis prudentiæ eſt, circunſtantijs loci, temporis, & perſonarum

Digitized by Google

rum orationem aptare,pag.101. num.6.
Vnitas taciturnitatis, Duaiitas loquacitatis hieroglyphicum, pag. 210. num. 12. Bungi expoſitio, ibid. Virgo in vtero gerebat taciturnitatis hieroglyphicum,ibid.
Voluptatis præmium in concipiendo, ſunt partus dolores, p. 244. num.8.
Vox Virginis inſtrumentum fuit à Deo aſſumptum ad Ioannem in vtero ſanctificandum, pag. 90. num.4. Et quare, ibid. Vox Eliſabeth quomodo dicitur magna, ibid.n.5.
Vterus Virginis, quia in eo Spiritus Sanct. corpus Chriſti formavit, laudatur, pag.227.num.2. Vterus Virginis domus, quam ſibi Dei ſapientia ædificavit,n.3.

Lit. Z.

ZELOTYPUS Non fuiſſe Ioſephus ex Evangelio, & alijs Scripturæ locis oſtenditur, pag.203.num.5. Zelotypia grave malum, & furor quidam deſcribitur,ibid.Zelus inferno comparatur,ibid.

FINIS.

Moneo Lectorem me neſcire quo pacto Typographus in Indice Sacræ Scripturæ Bibliorum ordinem interrupit, cuius error ſerò fuit animadverſus: parùm tamen eſt momenti. Poſt Proverbia inſeranda ſunt Cantica, & quæ ſequuntur vſque ad Matth. & Marc. deinde Lucas, & Ioann. cetæraque vſque ad Apocal.

MAG 2005947

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google